COMPENDIUM
THEOLOGIAE DOGMATICAE

TOMUS I

COMPENDIUM THEOLOGIAE DOGMATICAE

AUCTORE
CHRISTIANO PESCH S. J.

TOMUS I

DE CHRISTO LEGATO DIVINO — DE ECCLESIA CHRISTI — DE FONTIBUS THEOLOGICIS

CUM APPROBATIONE REV. ARCHIEP. FRIBURG.
ET SUPER. ORDINIS

FRIBURGI BRISGOVIAE
B. HERDER
TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS
MCMXIII
ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAE, MONACHII, VINDOBONAE,
LONDINI, S. LUDOVICI AMERICAE.

Chr. Pesch S. J. «Compendium theologiae dogmaticae», tomus I

Imprimi potest

Iulius Vanvolxem S. J.
Vice-Provincialis

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 10 Decembris 1912

✠ **Thomas,** Archiepps

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae

PROOEMIUM.

Saepe ad me pervenerunt petitiones, ut in lucem ederem Compendium theologiae dogmaticae, methodo stricte scholastica conscriptum. Cui desiderio ne satisfacerem, obstiterunt alii labores. Tandem aliquod otium nactus, opus perfeci. Quod quidem omnibus iis displicebit, qui scholasticam definiendi, probandi, disputandi rationem detestantur. His igitur non scripsi sed potius eorum commodo, qui censent methodum tot saeculorum usu probatam, etiam nunc in scholis cum fructu adhiberi ad disciplinam dogmaticam tradendam. Qui ita sentiunt, videant et iudicent, num mihi contigerit librum non prorsus inutilem conscribere. Neque tamen omnibus omnia placere res est per se manifesta; nam inter ea, quae a variis viris eruditis mihi praestanda proponebantur, quaedam erant ita opposita, ut via non esset ea conciliandi. Quare breviter indicabo, quem finem, quas condiciones spectaverim in edendo hoc opere.

In plerisque institutis theologicis uno anno proponi solet apologetica, tribus vero sequentibus annis theologia dogmatica, et una quidem lectione singulis diebus assignata. Hanc ob causam non solum tribus tomis theologiam dogmaticam presse dictam comprehendi, sed speciali tomo etiam tractatum apologeticum exposui. Iamvero quidam cupiunt, ut in apologetica omnes quaestiones ad Sacram Scripturam pertinentes omittantur, cum hae sint materia introductionis in Sacram Scripturam; alii e contra desiderant, ut in apologetica agatur de genuinitate, de inspiratione, de canone, de interpretatione Scripturae et de authentia Vulgatae, cum haec omnia in theologia dogmatica supponantur. Quid faciendum? Elegi mediam viam. Probavi genuinitatem evangeliorum, quia haec est fundamentum maxime necessarium apologeticae; similiter paulo fusius explicavi doctrinam de inspiratione biblica, quia dogmaticis praecipue argumentis haec quaestio absolvenda est; quoad ceteras autem quaestiones biblicas omisi inquisitiones historicas et sola principia dogmatica breviter indicavi. Itaque ii, quibus quaedam a me tractata non ad apologeticam pertinere videntur, ea omittant; illi vero, qui plura desiderant, facile ea supplere poterunt ex Compendio Introductionis in Sacram Scripturam, a Patre *Cornely* edito, vel ex alio libro, qui auditoribus praesto est.

Plerique aut in apologetica aut in theologica dogmatica tradunt doctrinam de fide theologica. Hunc tractatum posui post tractatum de gratia, et propter intimum rerum nexum adiunxi tractatus de spe et caritate. Virtutes vero morales reliqui theologiae morali, sicut plerumque fieri solet. Si quis earum tractationem dogmaticam desiderat, inveniet in tomo nono Praelectionum mearum dogmaticarum. Item omisi alias quaestiones, quae communiter in theologia dogmatica non discutiuntur, ut de actibus humanis, de lege divina, de perfectione christiana. Sed ante tractatum apologeticum praemisi inquisitionem philosophicam de religione et revelatione in genere, quia hic est mos ubique fere receptus. Tractatum eschatologicum simul cum tractatu de Deo fine ultimo posui in secundo tomo, quia sic aequalior materiae distributio in singulis tomis habetur, et quartus tomus integer servatur rei sacramentariae, quae nostra aetate propter exortas disputationes maximi momenti est. Eo ambitu res tractavi, ut quivis tomus uno anno et una cotidiana lectione commode absolvi possit.

Quod auctores indicandos attinet, nolui paginas implere titulis librorum, sed ante singula capita vel articulos assignavi paucos alios libros, quibus eadem res aut copiosius aut alio modo tractatur. Neque in statu quaestionis neque in obiectionibus recensui multitudinem nominum propriorum, quae plerisque manent soni sine sensu, et si forte cum magno labore memoriae mandantur, brevi post oblivioni traduntur, idque plerumque sine damno, quia talia nomina alternis alternant annis. Itaque sufficiat ea nosse, quae vel certam vel probabilem spem maioris stabilitatis ostendunt. «Enchiridion Symbolorum, Definitionum et Declarationum» ab *H. Denzinger* editum cito secundum editionem emendatam et auctam a *Cl. Bannwart,* simpliciter indicando numerum marginalem (e. g. *Denz.* n. 100). Similiter cito «Enchiridion fontium historiae ecclesiasticae antiquae», auctore *C. Kirch,* Friburgi 1910, sed addo «Enchir.» (e. g. *Kirch,* Enchir. n. 112)[1]. Ubi ponitur *cf.,* est abbreviatio pro *conferatur* vel *conferantur.*

Vix opus est efferre me specialem rationem habuisse eorum, quae nostra aetate magis necessaria sunt, ut est impugnatio errorum modernismi et rationalismi, quamquam positiva expositio et assertio veritatis catholicae multo maioris utilitatis et iucunditatis est quam singularum falsarum opinionum et obiectionum discussio; nam ut ait *Leo XIII* in encyclica «Providentissimus Deus»: «Permulta ex omni doctrinarum genere sunt diu multumque contra Scripturam [et ecclesiae doctrinam] iactata, quae nunc, utpote inania, penitus obsolevere. . . . Nempe opinionum commenta delet dies; veritas manet et invalescit in aeternum.»

---

[1] Utiliter etiam confertur *M. J. Rouët de Journel,* Enchiridion patristicum, Friburgi Brisg. 1911.

INDEX PARTIUM.

PROLEGOMENA.

INSTITUTIONES PROPAEDEUTICAE AD SACRAM THEOLOGIAM.

INQUISITIO PRAEVIA DE RELIGIONE ET REVELATIONE IN GENERE.

CAPUT I.

DE RELIGIONE IN GENERE.

CAPUT II.

DE REVELATIONE IN GENERE.

DE CRITERIIS REVELATIONIS.

CAPUT III.

DE MIRACULIS.

CAPUT IV.

DE VATICINIIS.

PARS I.

DE IESU CHRISTO LEGATO DIVINO.

CAPUT I.

DE FONTIBUS HISTORIAE IESU CHRISTI.

ARTICULUS I.

DE GENUINITATE EVANGELIORUM.

ARTICULUS II.

DE INTEGRITATE EVANGELIORUM.

ARTICULUS III.

DE CREDIBILITATE EVANGELIORUM.

CAPUT II.

DE TESTIMONIO IESU CHRISTI DE LEGATIONE SUA DIVINA.

CAPUT III.

DE ARGUMENTIS, QUIBUS CHRISTUS TESTIMONIUM SUUM COMPROBAVIT.

ARTICULUS I.

DE MIRACULIS CHRISTI.

ARTICULUS II.

DE VATICINIIS, QUIBUS PROBATUR DIVINA LEGATIO IESU CHRISTI.

ARTICULUS III.

DE MIRABILI PROPAGATIONE DOCTRINAE CHRISTI.

ARTICULUS IV.

DE INTERNIS CRITERIIS DOCTRINAE CHRISTI.

PARS II.

DE ECCLESIA CHRISTI.

CAPUT I.

DE INSTITUTIONE ET CONSTITUTIONE ECCLESIAE.

CAPUT II.

DE PROPRIETATIBUS ECCLESIAE.

CAPUT III.

DE NOTIS ECCLESIAE.

CAPUT IV.

DE SUBIECTO POTESTATIS ECCLESIASTICAE.

ARTICULUS I.

DE EPISCOPIS.

ARTICULUS II.

DE ROMANO PONTIFICE.

PARS III.

DE FONTIBUS THEOLOGICIS.

CAPUT I.

DE EXERCITIO MAGISTERII ECCLESIASTICI.

ARTICULUS I.

DE MAGISTERIO COLLEGII EPISCOPORUM.

ARTICTLUS II.

DE MAGISTERIO SUMMI PONTIFICIS.

ARTICULUS III.

DE OBIECTO MAGISTERII ECCLESIASTICI.

ARTICULUS IV.

DE SANCTIS PATRIBUS ET THEOLOGIS.

CAPUT II.

DE SACRA SCRIPTURA.

PROLEGOMENA.

§ 1.

Quid sit theologia.

Cf. *S. Thomas,* S. th. 1, q. 1; eius commentatores, ut *Gregorius de Valentia; Kleutgen,* Theologie der Vorzeit tract. 5; *J. Didiot,* Logique surnaturelle subjective, Paris 1894.

1. *Theologia,* quemadmodum ipsum nomen indicat, *versatur circa Deum,* non ita tamen, ut Deus sit unicum obiectum eius, sed ita, ut quidquid in theologia tractatur, vel sit ipse Deus, vel alia, in quantum referuntur ad Deum ut ad primum principium et ultimum finem. Ideo Deus vocatur *subiectum theologiae,* quia in theologia omnia aut directe aut indirecte de Deo praedicantur. In hoc convenit theologia cum illa parte philosophiae, quae theologia naturalis vel theodicea vocari solet, a qua essentialiter differt ratione obiecti formalis.

2. Cum in philosophia consideretur Deus, quatenus cognoscitur e principiis obiective et subiective naturalibus, *theologia, de qua hic loquimur, pertinet ad ordinem supernaturalem.* Principium eius obiectivum, e quo procedit, est revelatio divina, olim prophetis et apostolis facta et ecclesiae tradita; principium vero subiectivum est ratio fide divina illuminata. Quare *obiectum formale theologiae est verum demonstrabile ex revelatione divina publica.* Ex relatione ad Deum ut subiectum efficitur, ut res in ordine ontologico pertineant ad theologiam; ex relatione ad revelationem publicam ut ad obiectum formale efficitur, ut res in ordine logico theologice cognosci possint. Itaque *definitur theologia scientia eorum, quae de Deo ex revelatione sunt demonstrabilia.*

Deus igitur dupliciter consideratur in theologia. a) Deus ut Deus est subiectum seu, ut quidam loquuntur, obiectum formale quod vel de quo theologiae; b) Deus, quatenus revelatione reddit veritates theologice cognoscibiles, est principium et origo theologiae. Revelatio vocatur obiectum formale quo theologiae. Ipsa vero cognoscibilitas theologica, revelatione divina innitens, interdum appellatur ratio formalis sub qua; sed haec appellatio applicatur etiam ad supernaturalem illustrationem intellectus, quam theologia supponit. Alii igitur aliter his terminis uti solent. Quare simplicius

est interim retinere illam tantum distinctionem subiecti et obiecti formalis theologiae.

3. *Estne theologia veri nominis scientia?* In scientia duo distinguenda sunt: cognitio principiorum, ex quibus arguitur; et certitudo demonstrationum, quae ex principiis colliguntur. Principiorum vero cognitio hauritur aut ex eorum interna evidentia (immediata vel mediata) aut ex auctoritate. Atqui prima principia theologiae non sunt hominibus intrinsecus evidentia, sed auctoritate divina manifestantur. Ergo si quis dicit esse de ratione scientiae, ut procedat e principiis intrinsecus evidentibus, necesse est neget theologiam esse scientiam presse sumptam. Ita *Scotus* in prologo in 1 librum Sententiarum n. 26 sqq, et cum eo multi alii. Contra vero si quis dicit scientiam esse, quae ex notis certisque principiis certas conclusiones colligat, is theologiam habebit scientiam. Ita *S. Thomas* in 1 parte Summae theologicae q. 1, a. 2, et cum eo theologi plurimi.

Hic alter modus loquendi praeferendus videtur, et *theologia dicenda est scientia.* Nam quae est ratio specifica scientiae *subiective* spectatae, *certitudo ex discursu acquisita*, haec habetur in theologia; immo perfectius quam in aliis scientiis, quia firmioribus principiis fundatur. Scientia autem *obiective* spectata est *corpus propositionum certarum inter se nexarum et in unum systema collectarum.* Talis autem est theologia. Unitas scientiae theologicae patet ex unitate subiecti et obiecti formalis.

Scientia theologica, quia pendet a scientia divina, vocari solet *scientia subalternata* (subordinata), scientia vero divina dicitur *scientia subalternans* respectu theologiae. Theologia solet etiam definiri *scientia fidei,* in qua definitione fides aut sumitur obiective, in quantum est complexus veritatum revelatarum, aut sumitur subiective, quia fides est principium, unde procedit theologia, sicut naturalis ratio est principium subiectivum philosophiae, quae propterea vocatur scientia rationis. Differunt igitur specie theologia supernaturalis et theologia naturalis.

4. *Theologia a fide differt* a) *ratione materiae,* quae in fide est veritas revelata omnis et sola, in theologia vero etiam multae aliae veritates, quae ex veritatibus revelatis ope ratiocinii inferuntur; b) *ratione formae,* quia fides obiectum suum amplectitur propter auctoritatem Dei revelantis, theologia vero propter demonstrationem scientificam. «Credo, ut intellegam» (*S. Anselmus,* Cur Deus homo 1, 2); c) *certitudine,* quae in theologia est inferioris ordinis, quam in fide, cum theologia non, sicut fides, unice nitatur auctoritate divina, sed admisceat etiam humanas considerationes et conclusiones.

Nihilominus *theologia intime nectitur cum fide,* quia veritates revelatae, ex quibus procedit, sola fide tenentur, et quia utitur ratione lumine fidei illustrata. Unde habitus scientiae theologicae, etsi in se est acquisitus, potest tamen dici radicaliter supernaturalis, cum «sacra

doctrina sit velut quaedam impressio scientiae divinae» (*S. Thomas* 1, q. 1, a. 3 ad 2).

Unde patet, quanta sit dignitas huius scientiae, quia eius principia sunt *a Deo* supernaturaliter revelante, quia agit *de Deo* supernaturaliter cognoscibili, quia est *ad Deum* ut finem supernaturalem, et est quaedam quasi praelibatio visionis beatificae. Consequenter *theologia est etiam singulari modo sapientia.* Nam «sacra doctrina propriissime determinat de Deo, secundum quod est altissima causa, quia non solum quantum ad id, quod est per creaturas cognoscibile, sed etiam quantum ad id, quod notum est sibi soli de se ipso et aliis per revelationem communicatum. Unde sacra doctrina maxime dicitur sapientia» (*S. Thomas* 1, q. 1, a. 6).

§ 2.

Quae sint theologiae divisiones.

5. Theologia dividitur in *theologiam generaliter dictam* et *theologiam specialiter dictam.* Theologia specialiter dicta est doctrina de Deo ipso uno et trino. Hanc saepe Patres graeci exclusive vocant theologiam eique opponunt *oeconomiam,* i. e. doctrinam de operibus providentiae divinae ad salutem hominum spectantibus, imprimis de incarnatione (e. g. *Gregor. Naz.* orat. 45, n. 4). Etsi hic modus loquendi non iam in usu est, memoria tamen tenendus est, ut dicta Patrum intellegi possint. Theologia generaliter dicta non de solo Deo sed etiam de relatione creaturarum ad Deum agit.

6. Ex materia theologia dividitur in *theologiam speculativam* vel *dogmaticam,* quae veritates ut credendas vel tenendas tantum considerat, et *theologiam practicam* vel *moralem,* quae veritates considerat, in quantum iis diriguntur actus humani et mores recte formantur.

Theologia dogmatica fit *theologia polemica,* si ita tractatur, ut praecipue refellantur contrarii errores et repellantur adversariorum impugnationes. Exemplo sint *Bellarmini* controversiae.

Ad theologiam moralem revocari possunt *theologia ascetica,* qua instituuntur fideles ad virtutes christianas, et *theologia mystica,* quae est scientia rerum divinarum ex intima cum Deo conversatione parata. Item ad theologiam practicam pertinet recentior illa disciplina, quae appellatur *theologia pastoralis.* Haec non distinguitur determinatis limitibus ab aliis disciplinis theologicis, sed ex iis colligit ea, quae iuvant pastores animarum ad munere suo recte et salutariter fungendum. Quidam nihilominus contendunt eam esse specialem scientiam, scil. scientificam expositionem muneris pastoralis Christi et ecclesiae.

7. Theologia dogmatica dividitur in *theologiam positivam* et *theologiam scholasticam.* Theologia positiva e Sacra Scriptura, Sanctis Patribus aliisque fontibus revelationis veritates revelatas colligit et ita

principia firma conclusionum theologicarum ponit. Theologia vero scholastica, quae etiam sensu presso dicitur speculativa, tria praestat: a) e veritatibus revelatis conclusiones theologicas deducit; b) doctrinam sacram contra adversarios defendit; c) ope disciplinarum humanarum (maxime philosophiae) veritates revelatas illustrat et explicat, confirmat, nexum earum ostendit, omnia in unum systema redigit. Vocatur theologia scholastica, quia hic modus tradendi theologiam inde a saeculo XII in usu scholarum theologicarum primum locum tenebat. Inde vero a saeculo XVI plurimi et maximi theologi solebant cum theologia scholastica ita iungere theologiam positivam, ut ante expositiones speculativas praemitterent argumenta positiva ex Scriptura, Patribus, Conciliis deprompta. Qui usus etiam nunc praevalet, quantum permittit brevitas cursus theologici; nam accuratius studium theologiae positivae, ut secure et fructuose fieri possit, supponit virum in theologia scholastica bene excultum.

Praeter nomina, quae modo explicata sunt, leguntur interdum aliae appellationes. *Theologia symbolica* (i. e. comparativa) ea est, quae dogmata catholica comparat cum placitis coetuum christianorum acatholicorum (e. g. *Moehler*, Symbolik). *Theologia biblica* vocatur, quae ex sola Sacra Scriptura doctrinam colligit et dispersa Scripturae dicta in certa capita redigit. Si vero ex SS. Patribus tali modo colliguntur et disponuntur dicta theologica, habetur *theologia patristica*. Eadem ratione explicanda sunt nomina theologiae synodicae, liturgicae etc.

§ 3.

Quod sit systema theologiae dogmaticae.

8. Ut theologia, sensu obiectivo intellecta, sit una scientia, necesse est omnia doctrinae eius membra ad unum commune subiectum pertinere. Quod subiectum est Deus. Ergo ostendendum est, *quomodo in theologia omnia ad Deum referantur*. Quia agitur de organismo morali, non de organismo physico, nexus singularum partium non tam invariabilis est, ut non possint variae quaestiones aliis et aliis locis tractari. Nihilominus omnia sub quibusdam capitibus subsumuntur, quae sunt haec:

1. De Deo ipso, uno secundum naturam, trino secundum personas;
2. De Deo creatore;
3. De Deo fine ultimo;
4. De Deo redemptore;
5. De Deo sanctificatore;
6. De Deo consummatore.

Manifestum est, quomodo in hoc systemate omnia ad Deum ut subiectum referantur. Restat solum, ut haec distributio breviter explicetur.

9. Istud systema non est a priori excogitatum sed ex fontibus revelationis confectum. Deus enim quaedam revelavit de seipso, quaedam de operibus suis. De seipso revelavit alia, quae pertinent ad unitatem naturae; alia, quae pertinent ad trinitatem personarum. Itaque quia Deus in theologia consideratur ratione suiipsius, alia vera secundum relationem, quam habent ad Deum, *a tractatu de Deo uno et trino theologia orditur.*

Prima autem relatio rerum creatarum ad Deum in eo est, quod egressae sunt a Deo ut primo principio efficiente. Unde tractatum de Deo ipso sequitur tractatus *de Deo creatore,* in quo tractatu agitur 1. de creatione generatim, 2. de opificio mundi, 3. de homine, 4. de angelis. Quia vero creaturae rationales productae non sunt in ordine pure naturali sed elevatae ad ordinem supernaturalem, ideo agitur, 5. de Deo elevante seu de statu iustitiae originalis. Quem statum cum homines mox peccato perdiderint, additur tractatus de peccato originali.

Altera principalis relatio creaturarum est ad *Deum finem ultimum,* quia Deus non solum est causa efficiens sed etiam causa finalis omnium rerum. Et quia inferiores res proxime factae sunt propter hominem, homo autem inmediate propter Deum, ideo praecipue considerandus est Deus ut finis ultimus hominis, ad quem finem homo tendit actibus humanis, unde tractatus de actibus humanis intime cohaeret cum tractatu de Deo fine ultimo.

Attamen post peccatum commissum homo non iam poterat assequi finem suum ultimum, nisi Deus eum misericorditer eruisset e statu peccati. Quod Deus praestitit mittendo Iesum Christum redemptorem, qui est secunda persona sanctissimae Trinitatis. Unde agendum est *de Deo redemptore,* qui tractatus duas partes habet: a) de ipso Redemptore, quae pars vocatur christologia; b) de opere redemptionis, quae pars vocatur soteriologia (soteria graece, latine est redemptio).

Fructus autem redemptionis singulis hominibus applicatur per gratiam sanctificantem, qua homo cum Deo supernaturaliter iungitur seu sanctificatur. Unde agendum est *de Deo sanctificatore.* Comitatus autem quidam gratiae sunt virtutes supernaturaliter infusae et dona Spiritus Sancti. Hinc duo tractatus de gratia et de virtutibus. Additur tractatus de contrariis virtutum, i. e. de vitiis et de peccatis, quibus homo a Deo separatur.

Iamvero Deus gratiam et virtutes infundit mediis quibusdam ritibus a Christo institutis, qui vocantur sacramenta. Ergo ad tractatum de Deo sanctificatore pertinet etiam tractatus de sacramentis.

Tandem finitur cursus theologicus tractatu *de Deo consummatore,* in quo tractatu consideratur consummatio singulorum hominum et consummatio totius mundi. Hic tractatus vocatur etiam eschatologia (ἔσχατα = ultima).

10. *S. Thomas Summam theologiae dividit in tres partes,* quarum prima agit de Deo uno et trino et de Deo creatore, secunda dividitur in duas partes, quarum altera agit de ultimo fine et de virtutibus et vitiis in genere, de lege, de gratia; altera agit de virtutibus et vitiis in specie; tertia parte (quam non finivit) agit de Deo redemptore, de sacramentis, de Deo consummatore.

Haec divisio conincidit fere cum ea, quam supra proposuimus. Sed S. Thomas in Summa multas quaestiones habet, quae nunc assignantur aut philosophiae aut theologiae morali. Tractatum de peccato originali iungit non cum tractatu de iustitia originali sed cum tractatu de peccato; ergo non in prima parte sed in prima secundae legitur tractatus de peccato originali.

Partes Summae subdividuntur in quaestiones et articulos. Unde brevitatis gratia solet Summa citari sine speciali titulo, indicando partem, quaestionem, articulum. E. g. *1, q. 79, a. 5,* vel *1, 2, q. 3, a. 2;* i. e. primae partis quaestio 79, articulus 5, vel primae partis secundae partis quaestio 3, a. 2. Interdum additur *c.* vel *ad 1, 2, 3.* Sensus est: in corpore articuli, quod semper incipit: «Respondeo dicendum quod», vel in solutione primae, secundae, tertiae obiectionis. Alia opera S. Thomae allegantur addito speciali titulo.

§ 4.
Quis fuerit progressus historicus theologiae.

Cf. *Hurter,* Nomenclator literarius theologiae catholicae; *Grabmann,* Geschichte der scholastischen Methode I, Freiburg 1909; II, 1911; *Scheeben,* Handbuch der katholischen Dogmatik I, n. 1027 sqq, ubi alii fontes indicantur.

11. De epocha SS. Patrum. Ii scriptores theologici, qui et antiquitate et sanctitate eminent, vocantur Patres ecclesiae. Epocha SS. Patrum computatur usque ad S. Ioannem Damascenum et S. Gregorium Magnum inclusive. Alii eam latius extendunt.

Patres, qui mox post apostolos vixerunt, appellantur *Patres apostolici.* His accensentur *S. Clemens Romanus* (Pontifex 90—99?), *S. Barnabas* (cuius epistula a plerisque habetur non genuina), *S. Ignatius Antiochenus* († initio saeculi II), *Papias* (cuius librorum pauca tantum fragmenta supersunt), *Hermas* (circa medium saeculum II), scriptor anonymus Epistulae ad Diognetum.

Sunt alia quaedam scripta, quae nomina apostolorum prae se ferunt, et quamvis apostolos auctores non habeant, tamen magni momenti sunt ad mores primorum saeculorum diiudicandos: «Doctrina duodecim Apostolorum», «Didascalia Apostolorum» (ed. *Funk,* 1905), «Constitutiones Apostolorum» (apud *M* 1, ubi Clementi Romano adscribuntur), «Canones apostolici» (in tomo I collectionum Conciliorum, *Hardouin, Mansi* etc.), «Canones Apostolici» orientalium, quibus addi possunt «canones Hippolyti».

12. *Apologetae* vocantur quidam Patres, qui saeculo II defendebant religionem christianam contra iudaeorum et gentilium impugnationes. Inter quos eminent *S. Iustinus* martyr († circa 167), *S. Theophilus Antiochenus* († 182), *Minucius Felix* († post 166). Item apologias scripserunt *Aristides* et *Athenagoras.*

Mox exorto gnosticismo et aliis falsis doctrinis veritas catholica tuenda erat contra haereticos. Id maxime praestitit *S. Irenaeus* († 202), cuius opus praecipuum constat quinque libris et citari solet «Contra haereses.» Pretiosum opusculum «De praescriptionibus haereticorum» edidit *Tertullianus,* qui postea (c. 202) montanista factus est († c. 240). Ipsum magistrum et exemplar scribendi elegit *S. Cyprianus* († 258), cuius imprimis epistulae valde utiles sunt.

13. Systema doctrinae catholicae excolere coeperunt asseclae *scholae alexandrinae,* e qua schola prodierunt *Clemens Alexandrinus* († c. 217) et *Origenes* († 254), pater exegesis scientificae, qui opere «De principiis», i. e. de doctrinis fundamentalibus, conatus est doctrinam catholicam ad formam artis redigere, sed sine successu. Origenis discipuli sunt *S. Gregorius Thaumaturgus* († c. 270) et *S. Dionysius Magnus* († 264 ve 265).

Sicut schola alexandrina adamabat expositiones Sacrae Scripturae allegoricas, ita *schola antiochena,* quam *Lucianus* martyr († 311) fundaverat, litterali Scripturae expositioni inhaerebat. Maximus exegeta huius scholae est *Theodoretus* († c. 458), maximus vero orator *S. Ioannes Chrysostomus* († 407). *Theodorus* autem, episcopus *Mopsuestenus* († c. 428), nestorianismo praelusit.

14. Inde ab initio saeculi IV errores orti sunt contra mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis. *Arius,* presbyter alexandrinus († 336), negabat divinitatem Christi. Quam haeresim damnavit *concilium nicaenum,* primum conciliorum oecumenicorum (a. 325). Contra arianos insigni fortitudine pugnavit *S. Athanasius* († 373), inter occidentales vero *S. Hilarius Pictaviensis* († 366) et *S. Ambrosius* († 397). Non omnino fideliter doctrinam catholicam proponit *Eusebius Pamphili* († c. 340), parens historiae ecclesiasticae. Post concilium nicaenum prae ceteris duo cappadoces *Aëtius* et *Eunomius* arianismum propagabant. Quibus restiterunt tres alii cappadoces, iique viri clarissimi et doctissimi, *S. Basilius Magnus* († 379) eiusque frater *S. Gregorius Nyssenus* († 395) et *S. Gregorius Nazianzenus* († c. 390). Eodem saeculo IV non arianismum tantum sed etiam alias haereses impugnavit *S. Epiphanius* († 403). Contra donatistas, schismaticos africanos, scripsit *S. Optatus Milevitanus. S. Cyrillus Hierosolymitanus* († 386) catechesibus, *S. Ephraem* († post 378), diaconus syrus, orationibus et carminibus doctrinam catholicam illustrarunt.

15. Sicut Arius divinitatem, ita *Nestorius* negavit personalem unitatem Christi, dicens in Christo esse duas personas, alteram divinam, alteram humanam, moraliter inter se iunctas. Quae haeresis damnata est a *concilio ephesino* (a. 431). Fortissimus Nestorii adversarius

erat *S. Cyrillus Alexandrinus* († 444), cuius christologiam plura concilia approbaverunt.

Alius adversarius Nestorii erat *Eutyches.* Sed hic in oppositum errorem incidit, i. e. in monophysitismum, negando duas in Christo esse naturas. Qui error in *concilio chalcedonensi* (451) damnatus est. Contra Eutychis haeresim multa egregie dixit et scripsit *S. Leo Magnus* papa († 461). Cum monophysitismo cognatus est monotheletismus. Monotheletae non admittebant in Christo duas voluntates et operationes. Quibus restiterunt *S. Sophronius* († post 637) et *S. Maximus Confessor* († 662). Monotheletismus damnatus est a *concilio III constantinopolitano* (680).

16. Cum in Oriente praecipue quaestiones christologicae agitarentur, in Occidente ineunte saeculo V orta est haeresis, quae ab auctore suo *Pelagio* pelagianismus vocatur. Hic negavit peccatum originale et necessitatem gratiae. Contra quem doctrinam catholicam defenderunt *S. Hieronymus* († 420), qui in re exegetica vocatur «Doctor maximus», et prae ceteris *S. Augustinus* († 430), qui ingenii acumine inter Patres ecclesiae parem non habet. Eius vestigia sequuntur *S. Prosper Aquitanus* († c. 463) et *S. Fulgentius Ruspensis* († 533). S. Prosper fortiter etiam pugnavit contra semipelagianismum, qui est pelagianismus quidam temperatus. Inter semipelagianos, qui numquam erant haeretici, eminet *Ioannes Cassianus* († c. 435), ceteroqui vir optimus. Etiam *Vincentius Lirinensis* († 450), qui celeberrimum edidit «Commonitorium pro catholicae fidei antiquitate et universalitate», et *Faustus Reiensis* (in fine saeculi V) aspersi sunt semipelagianismo. Eodem saeculo insigne lumen ecclesiae erat *S. Gregorius Magnus* († 604), qui solet ultimus Patrum latinorum considerari. Oratores ecclesiastici ea aetate florebant *S. Petrus Chrysologus* († 450) et *S. Maximus Taurinensis* († post 465). Inter Patres graecos ultimus habetur *S. Ioannes Damascenus* († ante 754) qui ea, quae a veteribus doctoribus scripta erant, in Summam quandam theologicam collegit, quae citari solet «De Fide orthodoxa».

Saeculo V in lucem prodierunt opera *Dionysii Areopagitae,* qui dicitur. Quorum operum auctorem cum media aetate censerent esse Dionysium apostoli Pauli discipulum, maxima veneratione digna habuerunt et saepe commentariis illustrarunt. Similiter *Boëthii* († c. 525), senatoris romani, opera scholastici saepe exposuerunt.

17. Aetati SS. Patrum successit epocha compilatorum, quorum magna laus est, quod temporibus migrationum populorum thesauros litterarios antiquitatis christianae posteritati servaverunt. Speciali mentione digni sunt *S. Cassiodorus* († c. 570), *S. Isidorus Hispalensis* († 636), *Venerabilis Beda* († 735). Hoc studium agendi «per magistros antiquos, quod impleri non potuit per novellos» (*Cassiod.,* De inst. divin. litter. praef.) permansit usque ad finem fere saeculi XI.

18. De epocha scholasticorum veterum. Theologiae scholasticae parens aestimatur *S. Anselmus,* episcopus cantuariensis († 1109), qui non contentus notitia eorum, quae SS. Patres tradiderant, studuit ea speculative explicare. «Fides quaerens intellectum» est tessera eius. Hac intentione praecipua dogmata ita tractavit, ut facile in unum systema redigi possint. Eadem via ingrediuntur *Hugo a S. Victore* († 1141) et *Richardus a S. Victore* († 1173), item *Gulielmus Alvernus* (Parisiensis; † 1249). Coeperunt ea aetate multi «Summas Sententiarum» componere, i. e. dicta S. Scripturae et SS. Patrum ad dogmata ecclesiae pertinentia in certa quaedam capita redigere et speculative interpretari. Quo in genere nemo maiorem successum habuit quam *Petrus Lombardus* († 1164), «Magister sententiarum», cuius «Sententiae» usque ad saeculum XVI fuerunt «liber textus» in omnibus fere scholis theologicis. «Summam theologiae» secundum methodum dialecticam edidit *Alexander Halensis,* Franciscanus, «Doctor irrefragabilis» († 1245), qui parens fuit veteris scholae franciscanae simul cum *S. Bonaventura,* «Doctore seraphico» († 1274), qui praeter commentarios in Lombardi Sententias edidit insigne «Breviloquium veritatis theologicae» et mysticam theologiam cum scholastica pulcherrime iunxit. «Doctor sollemnis» vocatur *Henricus Gandavensis* († 1293), vir ingeniosissimus.

19. Cum saeculo XIII per arabes philosophia aristotelica in Occidente spargi coepta esset, *B. Albertus Magnus,* Ordinis Praedicatorum, «Doctor universalis» († 1280), eam ab arabum corruptione purgatam theologiae quasi ancillam utilissimam conduxit. Huius magni magistri maior discipulus est *S. Thomas Aquinas*, «Doctor angelicus» († 1274), theologorum scholasticorum maximus. Ex eius operibus praeter Summam theologiae et commentarios in Sententias praecipue ad theologiam dogmaticam pertinent «Compendium theologiae», «De veritate catholicae fidei contra gentiles», «Quaestiones disputatae», in quibus multae res dogmaticae fusius exponuntur quam in Summa. Vestigia S. Thomae sequitur *Aegidius Romanus,* Ordinis Eremitarum S. Augustini, «Doctor fundatissimus» († 1316).

Ex Ordine S. Francisci prodiit vir acerrimi ingenii *Ioannes Duns Scotus* (solet simpliciter allegari «Scotus»), «Doctor subtilis» († 1308), qui totam Aquinatis doctrinam in crisim vocavit, in multis ab ea recessit, novam scholam franciscanam incohavit, quae a vetere Alexandri et Bonaventurae forma valde differt. Inter Scoti discipulos commemorandus est *Franciscus de Mayronis* († 1327), item *Petrus Aureolus*, «Doctor facundus» († 1322), qui doctrinam thomisticam strenue impugnavit. Contra quem surrexit defensor S. Thomae «Princeps thomistarum» *Ioannes Capreolus* († 1444). Summam theologicam S. Thomae commentariis instruxit *Thomas de Vio,* vulgo *Caietanus* († 1534), Summam contra gentiles *Franciscus de Sylvestris,* vulgo *Ferrariensis* († 1528). Alii perrexerunt in exponendis Sententiis Lombardi, ut

Didacus Deza, vulgo *Hispalensis* († 1523). Ex Ordine Praedicatorum adversarius S. Thomae est *Durandus a S. Porciano* († 1334). Inter commentatores Scoti praecipui sunt *Franciscus Lychetus* († 1516) et *Petrus Tartaretus* († 1494).

20. Scholam nominalium fundavit *Gulielmus Occam,* «Venerabilis inceptor» († 1349), qui et doctrinam S. Thomae et doctrinam Scoti, magistri sui, saepe impugnat. Huic scholae accensentur inter alios *Ioannes Gersonius* († 1419) et *Gabriel Biel,* «ultimus scholasticus» († 1495). In Ordine Carmelitarum novam scholam fundavit *Ioannes Bachonius* († 1346), sed Carmelitae postea inhaeserunt doctrinae S. Thomae. Ex eodem Ordine bene meritus est de theologia catholica *Thomas Waldensis* († 1430), qui eam defendit contra wiclifitas et husitas. Secundum rationes practicas magis quam speculativas Summam theologiae, eruditionis plenam, edidit *S. Antoninus* († 1447). Totam vero theologiam scriptorum medii aevi permagno numero voluminum complexus est *Dionysius Carthusianus* (*Ryckel;* † 1471), qui epochae scholasticorum veterum dignum finem imposuit. Temporibus igitur medii aevi id maxime effectum est, ut tota theologia in unum corpus colligeretur, systematice disponeretur, speculative explicaretur. Quaedam autem partes theologiae ea aetate etiam ratione materiae primum plene exculta sunt, ut imprimis tractatus de sacramentis

21. De epocha theologiae recentioris. Novum omnino statum nacta est theologia per *concilium tridentinum* (1543—1563). Iam tempore ipsius concilii floruerunt insignes theologi, ut *Ambrosius Catharinus* († 1543), *Melchior Canus* († 1560), cuius clarissimum opus exstat «De locis theologicis», *Dominicus Sotus* († 1560), *Petrus Sotus* († 1563), omnes ex Ordine Praedicatorum, qui cum aliis contra insurgentes haereses pugnabant.

Sed ad summam perfectionem pervenit theologia post finitum concilium. Floruerunt in Ordine Praedicatorum *Dominicus Bañez* († 1604), auctor scholae neothomisticae seu doctrinae de praedeterminatione physica, *Bartholomaeus Medina* († 1581), *Petrus de Ledesma* († 1616), *Didacus Alvarez* († 1635), *Ioannes a S. Thoma* († 1644), *Ioannes Gonet* († 1681), *Antonius Goudin* († 1695), *Xantes Mariales* († 1660), alii. Ex Ordine Carmelitarum ad thomistas accedunt auctores «Cursus salmanticensis in Summam S. Thomae», *Philippus a SS. Trinitate* († 1671), alii; item plures ex Ordine S. Benedicti, ut *Alphonsus Curiel* († 1609) et *Augustinus Reding* († 1692). Scoti doctrinam propugnant plerique Franciscani, ut *Franciscus de Herrera* († c. 1600), *Theodorus Smising* († 1626), *Mastrius de Meldula* († 1673), *Philippus Faber* († 1630), *Ioannes Bosco* († 1684), *Ioannes Poncius* († 1660).

22. Paulo ante concilium tridentinum (a. 1540) fundata est Societas Iesu, e qua mox multi et magni theologi podierunt. Ut abstrahamus

ab aliis theologiae provinciis, in re dogmatica eminent *Franciscus Toletus* († 1596), qui parens scientiae theologicae in Societate Iesu dici potest, dein *Ludovicus Molina* († 1600), a cuius nomine cultores «scientiae mediae» vocantur molinistae, *Gregorius de Valentia* († 1603), *Franciscus Suarez*, «Doctor eximius» († 1617), *Gabriel Vazquez* († 1604), *Leonardus Lessius* († 1623), *Adamus Tanner* († 1632), *Ruiz de Montoya* († 1632), *Ioannes Martinez de Ripalda* († 1648), *Ioannes de Lugo* († 1660), multi alii. Theologiam polemicam excoluit maxime *Robertus Bellarminus* († 1621), theologiam positivam *Dionysius Petavius* († 1652).

Alii theologi insignes illius aetatis sunt *Thomas Stapleton* († 1598), controversista, *Andreas Duvallius* († 1637) et *Nicolaus Ysambertus* († 1642), doctores sorbonici, *Ludovicus Thomassinus* († 1695), Oratorianus.

23. Post medium saeculum XVII incipit «epocha epigonorum», quam computant usque ad finem saeculi XVIII. Hac quoque aetate edita sunt opera dogmatica non spernenda. Ita e schola thomistica prodierunt *Carolus Renatus Billuart* († 1757), *Ludovicus Gotti* († 1742), *Bernardus de Rubeis* († 1775); e schola scotistica *Claudius Frassen* († 1711), *Thomas ex Charmes* († 1765); e Societate Iesu *Theophilus Raynaudus* († 1663), *Iacobus Platel* († 1681), *Dominicus Viva* († post 1710), *Paulus Antoine* († 1743), et post multos alios omnium digna corona «Theologia wirceburgensis», cuius auctores sunt *Udalricus Munier* († 1759), *Henricus Kilber* († 1783), *Thomas Holzklau* († 1783), *Ignatius Neubauer* (1795). E schola augustinensium magnum opus edidit *Laurentius Berti* († 1766). Inter doctores sorbonicos eminet *Honoratus Tournely* († 1729).

24. Initio saeculi XIX theologia scholastica quasi sepulta iacebat regnante ubique fere vulgari rationalismo, quo etiam theologi quidam catholici infecti erant. Inter hos maxime noti sunt *Georgius Hermes* († 1831) et *Antonius Guenther* († 1863), quorum systemata ecclesia reprobavit, quia non rationem fidei subiciebant sed fidei dominari volebant. Contra rationalismum infeliciter pugnabant traditionalistae, qui vim rationis humanae ad cognoscendas veritates religiosas et morales nimis deprimebant. Ita *Ludovicus Bautain* († 1867) et *Augustinus Bonnety* († 1879). Horum quoque errores ecclesia reprobavit, sicut et errorem ontologistarum, qui docebant homines habere immediatam, etsi confusam, Dei cognitionem innatam. Huc pertinent *Vincentius Gioberti* († 1852) et *Antonius de Rosmini-Serbati* († 1855).

Sed non defuerunt viri, qui doctrina et ingenio praediti, theologiam ad pristinam dignitatem reducere studuerunt. Ita *Bruno Libermann* († 1844), *Henricus Denzinger* († 1833), maxime vero *Ioannes Perrone* († 1876) et *Iosephus Kleutgen* († 1883). Horum et aliorum

theologorum opera effectum est, ut theologia scholastica novas vires recuperaverit novosque et optimos indies fructus ferat, praesertim postquam Summi Pontifices *Pius IX* et *Leo XIII* eam summis laudibus celebrarunt et omnibus theologis catholicis colendam et fovendam commendarunt.

25. Recentissime orta est doctrina falsa, quae quidem inter protestantes iam diu vigebat, sed paulatim etiam catholicorum quorundam mentes contagione infecit. «Modernismus» vocatur hic morbus, consistens in extremo quodam subiectivismo, ex cuius placitis religio, revelatio, fides potius quam in obiectiva veritate, a Christo ecclesiae tradita, fundantur in singulorum hominum interna experientia, qua quis cum Deo, intellectualiter non cognoscibili, mysticum quoddam commercium habet. Sola haec interna et subiectiva ad Deum relatio essentiale elementum est totius vitae religiosae. Cetera omnia: ecclesia, dogmata, sacramenta sunt secundaria quaedam adiumenta, quae possunt esse utilia ad religiosos sensus commovendos, dummodo perpetuo sese accomodent subiectivis progressibus et necessitatibus. Unde in religione nihil stabile, omnia fluunt.

Hoc systema, utpote religionis christianae evertens et ecclesiae a Christo institutae inimicum, merito damnatum est. At venenum istud adhuc serpit. Quare theologo catholico magna cautio et diligens cura opus est, ne per ullas rimas hanc pestem in sacram doctrinam penetrare permittat. «Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt» (1 Tim 6, 20). Tu vero «scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis» (ib. 3, 15). Fideliter, sobrie, pie, catholice! Cf. *Caes. Carbone,* De modernistarum doctrinis, Romae 1909; *Jul. Bessmer,* Philosophie und Theologie des Modernismus, Freiburg 1912; *A. Gisler,* Der Modernismus[2], Einsiedeln 1912; *I. M. Piccirelli,* De catholico dogmate universim, Neapoli 1811.

INSTITUTIONES PROPAEDEUTICAE AD SACRAM THEOLOGIAM.

Cf. *A. Bougaud,* Le christianisme et les temps présents [8], Paris 1901; germanice Mainz 1891 sqq; *Fr. Hettinger,* Lehrbuch der Fundamentaltheologie [3], Freiburg 1912; — Apologie des Christentums [9], Freiburg 1906 sqq; *C. Gutberlet,* Lehrbuch der Apologetik [3], Münster 1903 sqq; *P. Schanz,* Apologie des Christentums I [4], Freiburg 1910; *C. Mazzella,* De religione et ecclesia; *A. Schill,* Theologische Prinzipienlehre [3], Paderborn 1909; *I. Ottiger,* Theologia fundamentalis I, Friburgi Brisg. 1897; *A. Tanquerey,* De vera religione, de ecclesia, de fontibus theologicis [13], Tornaci 1910; *I. Muncunill,* De vera religione, Barcinone 1908; *P. Mannens,* Theologia fundamentalis [2], Ruremundae 1910; *Caesar Manzoni,* De religione, de ecclesia, de fontibus revelationis [2], Augustae Taur. 1909.

PRAENOTANDA.

26. Cum theologia dogmatica ut principia supponat veritates revelatas, ante eam necessario demonstrandum est, num quid Deus revelaverit; nam principia revelata non sunt per se nota sicut principia naturalia, e quibus philosophia procedit.

Imprimis in quaestionem venit illa *revelatio, cuius Iesus Christus est auctor.* Fuerunt quidem vel dicuntur fuisse etiam aliae revelationes divinae. Sed sola christiana revelatio fuit tantae universalitatis et efficaciae, ut totam faciem orbis terrarum mutaverit et incomparabilis momenti etiam nunc sit in totum genus humanum. Hac revelatione stabilita, quid de aliis censendum sit, non difficile erit diiudicare.

27. Quare theologiae dogmaticae praemittitur alia disciplina, quae *apologetica* communiter appellatur, quia defendit et in tuto ponit principia, super quae aedificatur theologia dogmatica. Vocatur etiam *theologia fundamentalis* (vel generalis), quia obiectum eius est revelatio, quae est fundamentum theologiae. Neque tamen apologetica ipsa proprie est theologia, cum desit ei, quod theologiae supernaturali est maxime essentiale, scilicet argumentari ex veritatibus revelatis. Apologeticae autem est argumentis historicis et philosophicis ostendere revelationem esse factam, et finis eius est viam parare ad theologiam proprie dictam; tum solum cum res quasdam vere revelatas esse probaverit, iis uti poterit ad ulterius argumentandum. Itaque *subiectum huius scientiae* est credibilitas ordinis supernaturalis, a Deo revelati; *obiectum formale* est cognoscibilitas historica et philosophica huius credibilitatis;

obiectum materiale, quidquid de revelatione ante theologiam supponendum est. Unde *apologetica definiri potest:* Institutio eorum, quae de ordine supernaturali seu revelato scitu necessaria sunt ad theologiam excolendam. Ideo merito haec disciplina vocatur *propaedeutica ad sacram theologiam.*

28. Per se igitur apologetiea non respicit nisi revelationem supernaturalem, praecipue eam, quae per Iesum Christum facta est. Solent nihilominus multi generales quasdam considerationes praemittere de religione et de revelatione eiusque criteriis. Quae quidem abstracta consideratio potius ad philosophiam quam ad theologiam pertinet et merito in philosophia tractatur[1]; attamen quia non ubique hoc fit, sed res ad cursum theologicum transmitti solet, has quaestiones generales et abstractas praevia aliqua inquisitione brevissime considerabimus.

Unde *divisio tractatus* haec erit: Post quaestionem de religione et revelatione in genere primum inquirendum est, num Christus legatum divinum se declaraverit et probaverit. Ergo prima pars *De Iesu Christo legato divino.* Dein videndum est, quomodo Christus doctrinam a se revelatam ad nos pervenire voluerit, et inveniemus ad hunc finem ab eo institutam esse societatem visibilem, cui negotium doctrinam suam conservandi, tradendi, explicandi tradiderit. Unde secunda pars *De ecclesia Christi.* Tertio quaeritur, quinam sint fontes, ex quibus doctrina ecclesiae haurienda sit. Ergo tertia pars *De fontibus theologicis.*

29. Nostris temporibus inter quosdam catholicos, maxime in Gallia, opinio invaluit apologeticae traditionali praeferendam esse *apologeticam immanentiae.* Nam, inquiunt, cum permulti homines, kantianismo et positivismo infecti, non iam admittant possibilitatem demonstrationis rerum transcendentalium, i. e. non pure experimentalium, incassum laborant ii, qui student argumentis obiectivis historicis et philosophicis probare veritatem religionis christianae. Itaque potius procedendum est ex subiecto et ostendendum esse in homine exigentiam quandam moralem et religiosam, cui per solam christianam religionem perfecte satisfiat. Vituperant methodum «traditionalem» apologeticae ut «extrinsecismum», cum velit extrinsecus hominibus imponere officia religionis; ut «historicismum», cum argumentis historicis velit probare id, quod est supra omnem historiam; ut «intellectualismum», cum putet omnia se rationibus intellectualibus posse efficere. Huic igitur methodo obsoletae opponunt methodum «immanentiae vitalis», «psychologiae religiosae», «dynamismi moralis», quia, inquiunt, haec methodus docet hominem per sui ipsius attentam considerationem, per religiosam experientiam, per morales conatus pervenire ad religionem supernaturalem.

---

[1] Cf. e. g. *I. Hontheim,* Institutiones theodicaeae, Friburgi Brisg. 1893, 53 sqq 814 sqq; *T. Pesch,* Institutiones philosophiae naturalis II[2], ib. 1897, 374 sqq; *Th. Meyer,* Institutiones iuris naturalis II, ib. 1900, 6 sqq.

30. *Quid de apologetico systemate immanentiae censendum?* Si illi apologetae id solum intendunt, ut tradant methodum quandam animos hominum, falsis opinionibus philosophicis deceptorum, disponendi ad catholicam veritatem facilius amplectendam, varia proponunt, quae ad hunc finem utilia sunt. Sed si volunt abrogare veterem apologeticam et in locum abrogatae substituere novum suum systema, graviter errant.

Nam a) *nihil est in viribus et actionibus naturalibus hominis, quod ad ordinem supernaturalem vel cognoscendum vel amplectendum valeat,* cum de essentia entis supernaturalis sit, ut omnem potentiam et exigentiam naturalem superet. Quare *Pius X* in encyclica «Pascendi dominici gregis» queritur non deesse catholicos homines, qui immanentiae doctrina «pro apologesi utuntur, idque adeo incauti faciunt, ut in natura humana non capacitatem solum et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetae catholici opportunis adhibitis temperationibus demonstrarunt, sed germanam verique nominis exigentiam.» Talem autem methodum talesque doctrinas ait Pontifex non esse «ad aedificandum aptas sed ad destruendum, non ad catholicos efficiendos sed ad catholicos ipsos ad haeresim trahendos» (*Denz.* n. 2103). Verum quidem est omnes homines nunc esse in ordine, qui sit supernaturalis, neque quemquam rationis compotem privari motionibus Spiritus Sancti. At hoc ita esse non constat nisi ex revelatione supernaturali, neque hominibus non credentibus proponi potest ut obiectum magis notum ad religionem christianam, in se minus notam, demonstrandam.

b) *In specie cum essentia fidei christianae pugnat methodus immanentiae exclusive sumpta.* Nam fidei est ob auctoritatem Dei revelantis credere dogmata revelata. Hoc autem repugnat, quamdiu de facto revelationis divinae et de auctoritate Dei revelantis sufficiens certitudo non habetur. Et quia revelatio, de qua agitur, non cuivis homini immediate fit, sed olim electis quibusdam hominibus facta et per hos posteris tradita est, si ignorantur vel in dubium vocantur facta illa obiectiva, quibus innititur fides supernaturalis, corruat necesse est tota religio christiana et cum ea tota theologia dogmatica. Itaque hoc fundamentum obiectivum, historicum, intellectuale nullis considerationibus psychologicis et subiectivis compensari potest. Adhibeant haec ad impedimenta quaedam removenda et ad praeparandos animos, ut facilius admittant argumenta obiectiva, sed meminerint subiectivismum exaggeratum esse pessimum inimicum religionis catholicae, quippe quae, antequam est religio subiectiva singulorum, essentialiter sit religio obiectiva, omnibus hominibus ex praecepto divino amplectenda.

«Traditionali» igitur via probabimus factum revelationis christianae. Quodsi infideles argumenta nostra a priori reiciunt, nihil nos movet, quia ideo vis argumentorum non minor est. Neque nostrum hic est kantianos convertere sed fundamenta theologiae in tuto collocare. Quomodo vero singuli homines inducendi sint ad fidem amplectendam, nulla generali methodo tradi potest, cum secundum singulorum condiciones internas et externas iudicandum sit [1].

---

[1] Plura de hac re scripsi in «Theologische Zeitfragen» I, Freiburg 1900, 69 sqq. ubi etiam alios libros indicavi (cf. «Theologische Zeitfragen» VI, 1908).

INQUISITIO PRAEVIA DE RELIGIONE ET REVELATIONE IN GENERE.

CAPUT I.

DE RELIGIONE IN GENERE.

Cf. *Guil. Wilmers,* De religione revelata, Ratisbonae 1897; *G. van Noort,* Tractatus de vera religione[2], Amstelodami 1907; *A. de Broglie,* Problèmes et conclusions de l'histoire des religions, Paris 1885; — Religion et critique, ib. 1896; *Th. Specht,* Lehrbuch der Apologetik, Regensburg 1912, 21 sqq. De virtute religionis: *S. Thomas* 2, 2, q. 81 sqq; *Suarez,* De religione; *Th. Bouquillon,* De virtute religionis; *I. B. Wirthmüller,* Die moralische Tugend der Religion, Freiburg 1881; *I. Mausbach,* Das Wesen der Religion, in opere: Religion, Christentum und Kirche I, Kempten 1911, 1 sqq; *Chr. Pesch,* Praelectiones dogm. IX, n. 293 sqq.

Prop. I. Deus, cuius exsistentia probatur in philosophia, est Deus personalis.

31. *Stat. quaest.* Sunt etiam inter eruditos non pauci, qui omnem veri nominis religionem et possibilitatem revelationis ideo a priori respuunt, quia aut negant Deum exsistere (athei, materialistae) aut, si concedunt esse aliquod ens, quod Deus vocari possit, negant hoc ens esse personale, et dicunt Deum esse ipsum Universum aut partem Universi, cui eatenus tantum competat personalitas, quatenus in homine ad sui conscientiam pervenerit (pantheistae). Religio autem et revelatio sunt commercium quoddam personale inter homines et Deum. Ergo nisi Deus est persona, religio et revelatio repugnant. Contra vero, si Deus est persona, quaestio de religione et revelatione solum recte explicanda est, ut omnis rationabilis dubitatio excludatur. Reapse quicumque nunc[1] sunt theistae, ii omnes fere et religionem profitentur et revelationem fieri posse admittunt; quicumque sunt pantheistae, neque religionem colere neque revelationem admittere possunt. Inter theistam et pantheistam, quamdiu sua quisque principia tenet, de hac re nullus disputationis fructus exspectari potest. Loquuntur quidem pantheistae quoque de religione et revelatione, sed his nominibus vagas quasdam significationes reverentiae erga Universum et internarum commotionum admirationis et sensuum sublimium et «transcendentium» subiciunt. Quae sunt purae imaginationes et subiectivae affectiones, a poetarum oestro sola obiecti diversitate distinctae.

[1] Olim erant, qui «deistae» appellarentur, quia Deum personalem admittebant, quem tamen quidquam supernaturaliter revelasse negabant. Ita e. g. *Hobbes* et *Rousseau.* Haec vero philosophia vix iam asseclas habet. Quare hunc «deismum» neglegere licet.

32. *Deus dicitur persona analogice,* i. e. illa perfectio, quam indicamus, loquentes de personis humanis, attribuitur Deo, in quantum perfectio est, exclusis omnibus imperfectionibus, quas in hominibus annexas habet, ita ut in Deo sit pura perfectio in gradu infinito. Duo autem sunt, quae conceptum personalitatis constituunt: singularitas et rationalitas. Persona imprimis est *suppositum,* i. e. natura completa, ab omni alia natura distincta et divisa. Attamen solum suppositum *rationale* est persona: nam quae ratione carent, ut bruta animalia, non insigniuntur nomine personarum. Haec in philosophia explicata sunt (e. g. *C. Frick*, Ontolog.[4] n. 226 sqq). Itaque si Deum appellamus personam, affirmamus Deum esse diversum a rebus finitis, tam singulis quam omnibus simul, eumque esse substantiam infinitam, intellectu et voluntate infinite perfectam. Dicentes Deum esse infinitum, fatemur nos modum proprium, quo Deus sit personalis, mente assequi non posse; dicentes eum esse a mundo distinctum, intellectu et voluntate pollentem, affirmamus Deum vere in se subsistere, vere intellegere et velle. *Id quod* affirmamus, in Deo est; *modus, quo* illam perfectionem concipimus et affirmamus, in nobis tantum est.

33. **Arg.** *1. Personalitas est perfectio simplex,* a Deo in mundo producta. Atqui quidquid perfectionis simplicis in mundo est, etiam in Deo ut suprema mundi causa est. Ergo Deus est personalis.

Ad mai. In mundo esse personas non indiget probatione. Personalitas autem est perfectio simplex, quia in conceptu suo nullam includit imperfectionem, sed in omni ordine et gradu entium rationalium esse potest. Neque enim substantia rationalis, eo quod certum gradum perfectionis attingit, cessat esse rationalis, neque cessat esse individua haec substantia. Atqui haec duo: rationalitas et individualitas, constituunt conceptum personalitatis; ergo personalitas est perfectio simplex. Omnis quidem personalitas, quam experientia duce cognoscimus, est perfectio limitata, sicut etiam omnis vita, omnis intellectus, omnis omnino perfectio, quia est in subiectis limitatis. Sed sicut vita, intellectus, multae aliae perfectiones sunt perfectiones simplices, quia non postulant, ut sint in solis subiectis limitatis, ita etiam personalitas non postulat esse in subiecto limitato.

Haec autem perfectio, sicut omnis alia, a Deo in hominibus creata est, id quod hic non probamus, sed in philosophia probatum supponimus; nam etsi aliae quoque causae concurrunt ad producendas personas humanas, ultima tamen causa et causa omnium causarum est Deus.

Minor est evidens. Nam si esset in effectu perfectio, quae non esset in causa, haec perfectio esset sine causa, et everteretur principium causalitatis. Sunt quidem in effectibus perfectiones mixtae, quae essentialiter annexam habent imperfectionem, ut omnis perfectio materialis, quae non potest esse in ente pure spirituali, cum cuius perfectione pugnat. Harum igitur perfectionum mixtarum Deus causa

quidem ultima est et eatenus eas etiam in se continet, sed continet non formaliter cum imperfectionibus annexis, sed continet eminenter et virtualiter, quatenus perfectio entis divini non solum adaequat sed etiam infinite superat perfectiones illorum entium creatorum, et quatenus solo nutu voluntatis suae potest eas e nihilo producere. Nam infinitae potestati non est impossibile producere, nisi quod est contradictorium seu quod ex conceptu suo est non ens.

34. *Arg. 2. Deus est infinitae perfectionis.* Atqui ens infinitae perfectionis est personale. Ergo Deus est personalis.

Prob. mai. Perfectio finita ideo limitata est, aut quia ex essentia sua limitata est ut homo, aut quia recipitur in subiecto limitato, ut cognitio humana, aut quia causa eius efficiens non potest aut non vult maiorem perfectionem producere. Haec disiunctio completa est, quia limitatae perfectionis causa necessario est aut formalis aut materialis, aut efficiens; secus nulla eius causa esset, quod est impossibile. Atqui Deus non est limitatus ex essentia sua neque ex subiecto recipiente neque ex causa efficiente. Haec duo ultima excluduntur, quia Deus neque habet causam efficientem, cum sit a se, neque limitatur ratione subiecti recipientis, quia ens a se est actus irreceptus. Neque ex essentia sua Deus limitatur, cum in ente a se exsistentia non recipiatur in subiecto sed sit ipsa eius essentia. Atqui exsistentia seu actualitas non restringitur ad ullam singularem perfectionem. Ergo Deus ex essentia sua non limitatur in perfectione, sed eius perfectio tam late patet quam conceptus exsistentiae seu actualitatis.

Minor est evidens. Nam ens infinitum non caret ulla perfectione simplici. Atqui personalitas est perfectio simplex. Ergo infinitum est personale.

35. *Arg. 3. Ut ens aliquod sit personale, duo requiruntur:* distinctio realis ab omni alio ente et rationalitas. Atqui Deus et est distinctus a mundo et est rationalis. Ergo Deus est personalis.

Prob. min. Deus est distinctus a mundo, quia mundus, utpote ens mutabile et potentiale, ultimam sui causam postulat ens immutabile et actum purum; atqui actus purus et immutabilis realiter et essentialiter distinguitur ab omni ente mutabili et potentiali; ergo Deus actus purus distinguitur a mundo et ab omnibus partibus eius. Deus etiam est rationalis, quia est causa creaturarum rationalium, et quia teleologia, i. e. consideratio ordinis in mundo vigentis, postulat sapientem ordinatorem. Ergo utrumque elementum personalitatis, individuatio et rationalitas inveniuntur in Deo.

Quae argumenta cum fusius exponantur in philosophia (e. g. *Hontheim,* Theodicaea n. 248 sqq 418 sqq 522 sqq 714 sqq), pauca haec recoluisse sufficiat. In philosophia etiam ostenditur Deum esse liberum in operationibus ad extra (libertate non potentialitatis sed virtutis),

cum ens infinitum non egeat creaturis, sed secundum intellectum et voluntatem plene satietur infinita sua veritate et bonitate.

36. **Obi. I.** Deus non potest simul esse et infinitus et personalis, si infinitas et personalitas inter se pugnant. Atqui infinitas et personalitas inter se pugnant; nam infinitum est ens, quod omnem rationem entis in se continet, ut nihil entis possit esse ultra illud; personale autem est ens, quod, distinctum ab omni alio ente, in se subsistit. Ergo Deus non potest simul esse et infinitus et personalis.

Resp. *Conc. mai. Nego min.*, et rationem additam *dist.:* Infinitum est ens, quod omnem rationem entis aut formaliter aut eminenter et virtualiter in se continet, *conc. assert.;* quod omnem rationem entis formaliter in se continet, *nego assert.* Ens infinitum non potest formaliter in se continere nisi perfectionem; id autem quod imperfectum vel quatenus imperfectum est, excluditur ab ente infinito, quia imperfectio, ut est negatio vel privatio, est non ens. Perfectiones autem mixtae in ente infinito sunt, quatenus ab eo omnem rationem entis accipiunt, ut nihil possit esse, quod in ente infinito non habeat ultimum fundamentum et primam causam. Itaque non est plus perfectionis in Deo et mundo simul quam in solo Deo, sed sunt plura tantum entia. Neque entia creata, eo quod in se subsistunt, fiunt a Deo independentia, sed omnis eorum perfectio constanter a causalitate divina procedit. Deus subsistit ut ens a se, alia subsistunt ut entia a Deo. Unde *neg. conseq.*

37. **Obi. II.** Qui est persona, se ut hoc ‚Ego‘ ab aliis ‚Ego‘ distinguit. Atqui Deus se non distinguit ut unum ‚Ego‘ inter multa alia ‚Ego‘. Ergo Deus non est personalis.

Resp. *Dist. mai.:* Qui est persona, necessario requirit, ut adsint alia supposita rationalia, a quibus se distinguat, *neg. mai.;* qui est persona, se necessario distinguit ut unum ‚Ego‘ inter alia ‚Ego‘, si adsunt alia ‚Ego‘, *subdist. mai.:* Si sunt alia ‚Ego‘ eiusdem ordinis, quae inter se conumerari possunt, *conc. mai.;* si sunt alia ‚Ego‘ ordinis tam diversi, ut omnis conumeratio excludatur, *neg. mai. Dist. min.:* Deus non requirit, ut adsint alia supposita rationalia, *conc. min.;* si adsunt alia supposita rationalia, Deus non distinguit se ut unum ex illis, *subdist. min.:* Deus non cognoscit se non esse illa, *neg. min.;* Deus non se conumerat cum iis ut suppositum eiusdem ordinis, *conc. min.* Deus non est primus, Adam secundus, alii homines tertius, quartus etc.; nam quae analogice tantum conveniunt, non possunt ita inter se computari. Non computamus hominem, bovem, arborem, lapidem. Multo igitur minus Deus computatur cum aliis, quibuscum ne in ratione quidem entis univoce convenit.

38. **Obi. III.** Notionem personae acquirimus ex conscientia nostri. Atqui haec notio involvit limitationem. Ergo ad Deum applicari nequit.

Resp. *Dist. mai.:* Conscientia est unus ex fontibus, ex quibus conceptum personae haurimus, *conc. mai.;* ita astringimur testimonio conscientiae, ut non possimus evolvere conceptum personae, qui etiam ad alios praeter hominem transferri possit, *neg. mai. Dist. min.:* Notio personae humanae involvit limitationem, *conc. min.;* notio entis rationalis in se subsistentis involvit limitationem, *neg. min. Dist. conseq.:* Notio personae humanae ad Deum applicari

nequit, *conc. conseq.;* notio entis rationalis in se subsistentis ad Deum applicari nequit, *neg. conseq.*

39. *Obi. IV.* Philosophia non pervenit nisi ad unam personam divinam. Atqui secundum revelationem Deus est trinus seu tres personae. Ergo doctrina philosophica de personalitate Dei est falsa.

Resp. Dist. mai.: Philosophia docet Deum esse unam naturam rationalem in se subsistentem, *conc. mai.;* philosophia docet nos cognoscere modum proprium personalitatis divinae, *neg. mai. Dist. min.:* Secundum revelationem Deus non est una natura rationalis in se subsistens, *neg. min.;* secundum revelationem in natura divina sunt processiones quaedam internae, de quibus philosophia neque scit neque docet quidquam, *conc. min.* Secundum datam distinctionem *neg. conseq.*, quia revelatio non negat ea, quae philosophia docet, sed aliquid addit. Conceptus igitur philosophicus personalitatis divinae est quidem imperfectus, sed non est falsus.

Prop. II. Omnis homo debet supremam Dei excellentiam agnoscere eique reverentiam exhibere, seu debet religionem profiteri.

40. ***Stat. quaest.*** Si Deus esset ens impersonale, sive Universum sive pars Universi, possent homines hanc rerum condicionem cognoscere et fortasse sensu quodam stuporis percelli, comparando se cum varietate, magnitudine, profunditate Universi. At sic Deus esset solum obiectum speculationis et sterilis admirationis, non vero ullum personale commercium cum eo esset possibile. Verumtamen non ita res se habet, sed Deus sapientia sua et caritate totum mundum, in specie homines, e nihilo produxit, eosque continuo conservat, gubernat, ad finem perducit. Quid igitur, homo intellectu et voluntate non convertatur ipse quoque ad Deum eumque actibus suis prosequatur, sed potius Deo ipsum semper observanti et amanti quodammodo tergum vertat? Certe hoc est contra sanam rationem et bonos mores. Quicumque admittit Dei scientiam et amorem sine ulla interruptione versari circa omnes et singulos homines, necesse est fateatur hominis esse mentem suam ad Deum attollere ut ad summum verum, et voluntate Deum amplecti ut summum bonum. Iamvero agnoscere excellentiam Dei infinitam et hanc agnitionem manifestare, hoc est Deum colere seu religionem profiteri. *Religio enim est virtus, qua Deo propter infinitam eius excellentiam cultum exhibemus.* Sane Dei perfectioni et beatitudini nihil additur per cultum, nihil demitur per impietatem hominum. At hominis ipsius plurimum interest recto modo se in Deum gerere; et quia Deus vult hominis bonum spirituale et observantiam ordinis moralis, ideo postulat, ut ab hominibus colatur.

41. Religio in se est virtus voluntatis, sed supponit notitiam excellentiae divinae in intellectu, quia non possumus venerari, quod ignoramus. Unde al *religionem subiective spectatam* pertinet tum recta de Deo et nostra relatione ad Deum cognitio tum voluntatis dispositio ad

agendum secundum hanc cognitionem. Consequenter *religio obiective spectata* consistit in summa veritatum et officiorum, quibus moralis relatio hominis ad Deum constituitur. Itaque ratione illarum veritatum obiectivarum, quibus religio nititur, distingui potest *religio vera* et *religio falsa*. Considerando rem pure philosophice (i. e. abstrahendo a supernaturali revelatione) vera dicenda est ea religio, quae ex recto conceptu Dei procedit, falsa autem ea, quae est fructus erroneae opinionis de Deo. Neque tamen hic in quaestionem veniunt perfectiones Dei secundum considerationes pure metaphysicas, sed perfectiones divinae, quatenus eas respicit ordo moralis. Dummodo quis admittat supremum mundi dominum et gubernatorem, sapientem, sanctum, potentem, eumque ut talem colat, habet veram religionem, etsi forte ad conceptum creationis ex nihilo non procedit, vel Deo aliquod subtilissimum corpus affingit, vel nescit, quae sit metaphysica Dei essentia. Sed si quis concipit Deum ad instar hominis, passionibus obnoxii, crudelis, iracundi, adulationum cupidi, nostri et rerum nostrarum indigentis, vel alia moraliter indigna de Deo cogitat, et secundum hos conceptus Deum colit, is habet religionem falsam et superstitiosam.

42. Distinguitur *religio naturalis* et *supernaturalis*. Nam etsi in hoc ordine rerum religio vera est una supernaturalis, quia Deus supernaturali revelatione praecepit, quomodo colendus sit, nihilominus Deus colendus esset, etiamsi nihil supernaturaliter revelasset; et quia haec religio e solo naturali rationis lumine procederet, vocatur religio naturalis. Unde etiam illi homines, qui nihil umquam de revelatione audierunt, Deum colere debent.

43. Etymologia vocabuli religionis obscura est. Vide apud *S. Thomam* (2, 2, q. 81, a. 1), quae *S. Isidorus* (Etymol. l. 10, n. 234) collegit ex *Cicerone* (De nat. deor. l. 2, c. 28, n. 72) et *S. Augustino* (De civ. l. 10, c. 3; De vera relig. c. 11 113; Retract. l. 1, c. 13, n. 9), quibus addi possunt *Gellius* (Noct. attic. l. 4, c. 9), *Lactantius* (Div. instit. l. 4, c. 28), *S. Hieronymus* (In Amos 9, 6). Probabilissime religio derivatur a religendo, i. e frequenter in memoriam revocando, cuius contrarium est negligere. Ita Cicero et Gellius et eruditi nostrae aetatis. Religiosus igitur est, qui Dei et officiorum suorum erga Deum memor est, sicut impius est, qui haec officia neglegit. Minus probabilis est derivatio vocabuli religionis a religando, quatenus religio est vinculum nos cum Deo ligans. Ita Lactantius. Vel a reeligendo, quatenus Deum, peccato amissum, iterum eligimus. Ita S. Augustinus. Sed si de etymo vocis nonnihil dissentiunt, de natura et actibus religionis consentiunt. Qui sint hi actus, ex argumentis patebit.

44. *Arg. 1.* **Ex omnimoda dependentia hominis a Deo.**

Homo a Deo dependet, quia a Deo creatus est et in esse conservatur, quia sine Dei concursu nihil omnino potest agere, quia Deus est finis ultimus, quo homo beandus est. Praeterea omnia bona, quibus

utitur, homo a Deo accipit, non corporalia tantum sed etiam spiritualia, cum Deus sit fons omnis veri et boni. Atqui homo natura sua ita comparatus est, ut verum agnoscere et bonum velle debeat. Ergo debet agnoscere Deum omnium supremum dominum, principium et finem, et hanc agnitionem profiteri seu se Deo submittere.

Hic actus agnitionis supremae excellentiae divinae et submissionis erga Deum est *adoratio,* quae termino technico vocatur *cultus latriae,* et est actus maxime proprius religionis. Adoratio per se est actus internus, qui a voluntate aut elicitur aut imperatur. Potest enim voluntas non solum ipsa elicere actum submissionis erga excellentiam divinam, sed potest etiam actus aliarum virtutum ad hunc finem dirigere, ut Deus iis honoretur, quemadmodum e. g. potest elicere ex hoc motivo actus humilitatis, temperantiae, oboedientiae. Neque internos tantum actus sed etiam *externos actus cultus religiosi* potest et debet homo ponere, quia non solum secundum animam sed etiam secundum corpus omnia Deo debet, a quo omni temporis puncto dependet, et quia actus interni, qui nullo modo extrinsecus se manifestant, mox languescunt, contra vero per signa sensibilia iuvantur et excitantur. Homo enim non est purus spiritus sed compositum ex anima et corpore, et totum hoc compositum ad Deum colendum cooperari debet. Immo non privatim tantum homines Deum signis internis et externis colere debent, sed etiam *cultus publicus* exhibendus est, quia homo est ens sociale, et quia etiam societas ut societas a Deo dependet. Ratio igitur cultus externi ex hominis natura derivatur; nam etsi Deus mentem hominis immediate perspicit, homo tamen, in quantum est ens sensibile et sociale, actibus cultus externi carere non debet. Actus autem externi non habent ullam dignitatem moralem et religiosam, nisi quatenus emanant ab interno affectu et ab eo informantur.

Ita religio, etsi est virtus quaedam specialis, imperat tamen toti vitae humanae et morali, eamque Deo consecrat et quasi in permanentem Dei cultum convertit. Perfecte religiosus ille est, qui numquam sibi sed in omnibus Deo vivit.

45. *Arg. 2.* **Ex gratitudine Deo debita.**

Deus non necessitate coactus sed ex puro amore benevolentiae plurima hominibus contulit et confert. Atqui rectus ordo postulat, ut benefactori debitam gratitudinem exhibeamus. Ergo Deo summo benefactori summas gratias agere et gratias agendo eum colere debemus.

Maior patet, quia Deus infinite perfectus et beatus non indiget creaturis, sed eas libere producit ad bona illis conferenda. Creavit quidem omnia ad gloriam suam. Sed quid haec gloria formaliter est nisi cognitio summi veri et amor summi boni in creatura rationali exsistens? Ergo si Deus voluit creaturas rationales producere, non potuit nisi simul velle, ut ipse ab iis cognoscatur et diligatur. Neque

igitur benevolentia Dei in eo est, quod supposita creatione Deus sui ipsius possessionem creaturis rationalibus finem ultimum praestituit, sed quod libero amore voluit producere creaturas tam nobiles, ut iis possessio Dei debeatur, et praeterea quod, ut revelatio docet, voluit has creaturas ad ordinem supernaturalem evehere.

Ad min.: Gratitudo in genere est virtus distincta a virtute religionis, consistitque in promptitudine ad agnoscenda beneficia recepta cum laude benefactoris; sed si Deo ut Deo gratias agimus, agnoscimus eum non ut privatum benefactorem sed ut supremum principium et dominum omnium rerum. Hic autem est actus adorationis seu religionis qui ab aliis actibus religionis eo tantum distinguitur, quod non respicit totam excellentiam divinam sed speciatim infinitam Dei beneficentiam. Non quidem per actum gratitudinis hanc beneficentiam ut bonum divinum amamus; hic enim esset actus caritatis, sed consideramus eam ut fontem tot beneficiorum in nos promanantium. Deus autem non est benefactor noster sicut alii benefactores, sed omnipotenter, omnipraesentialiter, pure liberaliter, incessanter. Quovis igitur tempore sumus terminus innumerabilium beneficiorum divinorum, sine quibus neque esse neque agere possumus, et quorum finis ultimus erit Deus ipse, sua possessione nos beatificans. Ideo gratitudo Deo ut Deo exhibenda est actus latriae (cf. *S. Thomas* 2, 2, q. 106, a. 1).

46. *Arg. 3.* Ex necessitate orationis impetratoriae.

Homo debet sibi procurare illa auxilia divina, sine quibus recte vivere et salutem assequi non potest. Atqui ut haec auxilia obtineat, oratio necessaria est. Ergo homo Deum orare et etiam hac ratione Deum colere debet.

Ad mai.: Homo, qualis in hoc ordine est, multis miseriis corporalibus et spiritualibus subiacet, e quibus saepe neque seipsum eripere neque per alios homines liberari potest. Ut abstrahamus a miseriis mere corporalibus, magna moralis infirmitas ad observandam legem naturalem et vitam recte agendam negari non potest nisi loquendo contra factum. Unde haec miseria orta sit, hic non quaerimus; sufficit nobis factum, quod nemo prudens in dubium vocare potest. Ex altera parte constat Deum omnipotentem et in agendo ad extra liberum posse homini succurrere, si velit; eum autem velle iuvare hominem, ut recte vivat et salutem assequatur, efficitur ex divina sapientia, bonitate, sanctitate. Nam Deus non potest assignare homini finem et viam ad finem tam difficilem, ut res moraliter impossibilis dicenda sit. Ergo quia non statim dedit cum ipsa natura facilitatem convenientem, sine dubio voluit, ut homo auxilia divina necessaria sua cooperatione compararet.

Ad min.: Medium ad obtinendum auxilium divinum esse orationem iam eo suadetur, quod hucusque populus inventus non est, qui

in necessitatibus suis ad Deum, vel ad eos, quos pro diis habebat, non recurrat. Testes sunt ethnographia et historia religionum (cf. *O. Peschel,* Völkerkunde; *W. Schneider,* Die Naturvölker; *Fr. Ratzel,* Völkerkunde; *Chantepie de la Saussaye,* Lehrbuch der Religionsgeschichte). Olim quidam obloquebantur, sed peritorum consensu ad silentium redacti sunt. Ad aliud igitur effugium se recipiunt, dicentes ipso progressu generis humani recursum ad divinum numen, immo et omnem religionem abrogatum iri. Hoc est vaticinium, cuius impletio exspectanda est, priusquam veridicum habetur. Neque vero umquam implebitur, quia naturalis ratio illas veritates, quibus religio nititur, semper perspiciet, et quia multiplici indigentiae humanae magnifica promissa evolutionistarum mederi non possunt. Vitiis quidem obscurari potest dictamen naturalis rationis, et debilitari potest instinctus religiosus, naturae insitus. At si genus humanum universum spectatur, tandem veritas semper obtinebit, et leges a conditore naturae inditae vim suam vindicabunt. Non peribit religio, non silebit oratio nisi morientibus ultimis hominibus. Atqui Deus in natura rationali non creasset hanc inclinationem petendi a Deo auxilium, nisi vellet petitiones exaudire.

Ad quid autem vult Deus, ut homines ad se petentes recurrant, cum iam antecedenter sciat, quibus indigeant? Vult hominum causa, quia utilissimum est hominibus mentes ad Deum elevare et divino consortio frui. Homines bene et constanter orantes in dies meliores et nobiliores fiunt ex conversatione cum Deo, quia, quocum frequentem consuetudinem habueris, eius spiritu imbueris, praesertim si vir est eminentis indolis, a fortiori si est Deus ipse.

Deus quidem ab aeterno omnia immutabiliter decrevit; attamen in hoc aeterno decreto rationem habuit orationum, quas non minus ab aeterno futuras esse praevidit, et prout orationes audire voluit, cursum rerum talem ordinavit, qualis non esset, nisi preces praevisae essent.

His consideratis *plane improbabile apparet Deum velle omnia auxilia necessaria et convenientia concedere hominibus non orantibus.* Multa dat sine oratione, scilicet ea omnia, quae creatura rationalis exigit, ne frustra sit, ut est totus ordo naturalis cum suo fine et mediis ad finem, cum conservatione, generali concursu et gubernatione. Ea igitur, quae secundum leges constantes ex natura eiusque viribus fluunt, non sunt obiecta petitionis. Sed intra hunc ordinem naturalem ingens amplitudo donorum divinorum est, quae nequaquam naturali exigentia determinata sunt. Distributio bonorum fortunae, valetudo vel aegritudo, pericula salutis maiora vel minora, bonae vel malae cogitationes et affectiones incidentes, societas horum vel illorum hominum, haec et alia multa, quae valde promovere aut impedire possunt salutem spiritualem, non ita ex ipsa natura rerum determinata sunt, ut non possint taliter et aliter a Deo disponi. Itaque Deus, cum non per ipsam naturam omnem miseriam ab hominibus arcuerit neque omnia adiumenta moraliter necessaria praestiterit, censendus est velle, ut homo

aliquid ex sua parte faciat ad auxilium divinum impetrandum. Quid autem faciat, nisi ut auxilium a Deo petat? Nam impotentia hominis ad legem servandam et finem assequendum est iustus titulus recurrendi ad divinum auxilium; potentia vero, sanctitas, bonitas Dei, qui vult, ut homo salvus fiat, est tacita quaedam promissio Dei de auxilio praestando. Ergo omnia elementa adsunt, quae requiruntur, ut non sola possibilitas sed etiam obligatio orandi affirmetur.

Haec tria officia religionis, i. e. adorationem, gratitudinem erga Deum, orationem impetratoriam, breviter exposuisse sufficiat; nam omnia officia religiosa in specie hic recensere opus non est, quia de his dicetur in ipso cursu theologiae sive dogmaticae sive moralis.

47. **Obi. I.** Nobilis animi documentum est non multum curare de honoribus humanis. Atqui Deus est spiritus nobilissimus. Ergo parvi pendet honores humanos.

Resp. *Dist. mai.:* Nobilis animi est non sectari inanem gloriam, *conc. mai.;* nobilis animi est nolle illos honores, quos rectus ordo moralis postulat, *neg. mai.* Et concessa minore *dist. conseq.:* Deus non maioris faciet honores humanos, quam in se digni sunt, *conc. conseq.;* Deus non curabit de honoribus sibi debitis, quos rectus ordo moralis postulat, *neg. conseq.*

48. **Obi. II.** Omnis honor, quem homines Deo deferre possunt, quasi nihil est in comparatione illius honoris, qui Deo debetur. Atqui quando aliquis debitor creditori divitissimo non potest solvere nisi minimum quid, e. g. unum assem, creditor rationabiliter non postulat, ut hoc minimum sibi detur. Ergo a pari Deus censendus non est velle, ut minimum illud honoris sibi detur, quod homines tribuere possunt.

Resp. *Nego suppositum* argumenti et *paritatem* in exemplo allato. Deus enim postulat honorem non propter suum commodum sed propter rectum ordinem et hominum utilitatem, ut explicatum est. Neque paritas est inter debitum reale et debitum personale honoris. Nam a debitis realibus solvendis homo sine dubio excusatur, quamdiu non habet, unde solvat. Sed agnoscere excellentiam divinam quivis potest et debet, qui habet usum rationis; neque in hac re postulatur aequalitas inter honorem et honoratum, sicut in debitis realibus inter acceptum et reddendum. Perfecta Dei gloria est Deus ipse cognitione et amore sui ipsius. Hoc tamen non impedit, quominus etiam creaturae rationales intellectu et voluntate ad Deum ascendere debeant. Licet enim Deus entitative infinite distet a creaturis, est nihilominus in intellectu et voluntate creaturae rationalis proportio habitudinis ad Deum cognoscendum, honorandum, amandum. Et ita Deum colentes, vere colimus eum ut Deum, ponimus eum extra seriem creaturarum, infinitam eius excellentiam agnoscimus et magnificamus. Hic igitur honor est terminative infinitus, neque ulli creaturae tribui potest.

49. **Obi. III.** Cum religio essentialiter consistat in actibus internis, saltem cultus externus indifferens est, et hoc sensu una religio aeque bona est atque altera, dummodo homo agnoscat et revereatur supremam Dei excellentiam. Ergo alia religio non est alii praeferenda, nisi quatenus alia his hominibus, alia illis hominibus magis convenit.

Resp. *Dist. antec.:* Si Deus positiva revelatione vel auctoritas humana legitima praecepit certum modum cultus religiosi, hoc cultu neglecto Deus quolibet alio modo coli potest, *neg. antec.;* quia colere Deum contra eius legem immediatam vel mediatam, non est eum honorare sed iniuria afficere. Quamdiu neque auctoritate divina neque legitima auctoritate humana certus cultus praeceptus est, licet Deum colere quibuscumque modis et ritibus, *subdist. antec.:* Licet colere Deum ritibus sanis et rationabilibus, *conc. antec.;* superstitiosis, i. e. cum recta ratione pugnantibus, *neg. antec.* Sicut non licet Deo attributa indecora et indigna adscribere, ita non licet Deum colere ritibus, quibus talia attributa significantur. Religio bona et vera, etiam pure naturalis, debet ex rectis de Deo conceptibus procedere, ut dictum est.

Schol. De origine religionis.

50. In originem religionis inquirere possumus tripliciter: historice, metaphysice, psychologice.

Historice quaeri potest, quando et quibus de causis religio invecta sit in genus humanum. Sed haec via, etsi in se non repugnat, clausa est nobis, quia initium generis humani est praehistoricum et sola revelatione divina cognosci potest, quae revelatio docet ortam esse religionem non mere naturaliter sed Deo supernaturaliter concurrente. Historia vero, quantumcumque suis viribus ascendit ad saecula praeterita, numquam ad tempora pervenit, quando religio nondum fuit inter homines vel primum introducta est. Quare historia religionum non describit nisi progressionem variarum religionum, iam pridem ante tempora historica exsistentium. Cetera ratiocinando tantum cum maiore vel minore probabilitate conicit. Qua via perventum est inter alia ad hanc conclusionem: Quo antiquiores sunt religiones, eo minus sunt polytheisticae, et etiam in religionibus polytheisticis vestigia quaedam supersunt prioris monotheismi. Ita indogermani ante separationem suam colebant *Dyu,* quae vox est radix vocis Dei et derivatorum eius. Semitarum Deus erat *El.* Sinenses venerabantur *Shang Ti* («Summum Dominum»). Simile quid valet de aliis populis, id quod fusius exposui et eruditorum testimoniis comprobavi tribus libellis, qui inscribuntur «Der Gottesbegriff in den heidnischen Religionen des Altertums»; «Der Gottesbegriff in den heidnischen Religionen der Neuzeit» (cf. *J. Souben,* Nouvelle théologie dogmatique I², Paris 1902). Ex monotheismo per moralem et intellectualem depravationem hominum ortus est polytheismus et aliae formae religionum falsarum.

Nunc in singulis hominibus historice religio oritur ex educatione, quam accipiunt ab aliis hominibus religione iam imbutis. Neque enim singuli a primis initiis omnia per se inveniunt, sed in societate humana viventes, eius intellectualibus et moralibus thesauris ditescunt, aut e contra malis iam praevalentibus inficiuntur. Philosophia, i. e. cognitio expolita et reflexa, non est origo religionis sed aliquod accidentale complementum eius, quod salva rei essentia in plurimis abest.

51. *Metaphysice* consideratur origo religionis, si causae eius materialis, formalis, finalis, et condiciones exponuntur. Hoc breviter praestitimus, dicentes religionem esse actum vel habitum voluntatis, quo homo recte ordinatur respectu supremae excellentiae divinae, tribuendo ei debitum cultum et dirigendo totam vitam moralem ad Deum ut primum principium, supremum dominum, ultimum finem. Supponit autem hic cultus rectum de Deo conceptum intellectualem, quod attinet ordinem moralem, qui inter homines et Deum intercedit. Etsi non affirmamus homines philosophica ratione pervenire ad religionem, dicimus tamen religionis fundamentum esse intellectuale, nec posse esse veri nominis religionem, quae non procedat ex vera Dei notitia. Hoc autem ipsum multi acatholici negant, quibus ex catholicis accesserunt ii, qui modernistae vocantur. Qui decernunt omnem intellectualismum ab explicanda religionis origine amandandum, cum fons vitae religiosae sit quidam instinctus, ex indigentia ordinis supraphaenomenalis oriundus, vi cuius homo moveatur versus ens transcendentale, quod intellectus humanus assequi nequeat, sed quod cordis affectus postulet, et quod speciali quadam intuitione apprehendatur (e. g. *Loisy* in Revue du Clergé franç. XXI [1900] 250 sqq). Hanc fidem intellectus neque producere neque evertere potest. Itaque origo religionis explicanda est psychologice secundum systema immanentiae. Haec falsa opinio est ultima radix modernismi.

52. *Psychologice* consideratur origo religionis, cum in hominis animo ostenduntur illi actus vitales, qui suapte natura ducunt ad religionem. Haec consideratio eo differt a metaphysica, quod non distinguit et definit conceptus, qui in quaestionem veniunt, eorumque inter se relationem explicat, sed potius concretam vitam hominis inspicit et in ea radicem religionis quaerit. Nam cum vita religiosa consistat in actibus immanentibus, radix quoque horum actuum immanens sit necesse est. Homo autem percipit se esse ens dependens et se imparem esse ad attingendum nobilem illum statum moralem, ad quem, nisi est iam nimis depravatus, ipsa natura duce se destinatum esse cognoscit. Supposita igitur sufficiente Dei notitia ingenitum est homini ad divinum auxilium recurrere, ut Deus suppleat, quod ipsi deest, sicut supra (n. 46) exposuimus. Ergo vere ex dependentia et indigentia morali psychologice oritur religio (cf. quae scripsi in Stimmen aus Maria-Laach LXVIII [1905] 381 sqq). Vocetur haec theoria immanentiae, si placet. At ne confundatur cum falso immanentismo modernistarum. Hi enim dicunt non ad Deum prius cognitum confugere homines in necessitatibus suis, sed eos potius necessitatibus suis moralibus adigi, ut Dei realem exsistentiam postulent, quae intellectui incognoscibilis sit. Utrum Deus sit an non sit, secundum mentis iudicium se ignorare fatentur, sed confidunt eum exsistere, quia eo indigent. Sane etiam ex lege morali naturali, ex testimonio conscientiae, ex innato desiderio

beatitudinis argumenta peti possunt ad probandam Dei exsistentiam. At hic esset modus intellectualis, quem in re religiosa aspernantur modernistae. Eorum «fides», qua Deum percipiunt, nihil est intellectuale, nullo ratiocinio dirigitur, sed est irrationalis appetitus Dei, quem interdum nomine intuitionis condecorant, etsi reapse nihil intueantur. Unde fit, ut tota eorum theoria sit a ratione aliena, nulla pro se habeat argumenta, sit nudus et vanus philosophandi modus, testimonio conscientiae minime fultus, contradicens communi hominum doctorum et indoctorum persuasioni, qui censent etiam in re religiosa rationis lumine, non caeco instinctu utendum esse. Tandem haec theoria tollit differentiam inter religionem veram et religiones falsas, indifferentismum religiosum inducit, omnemque religionem evertit, quia est extremus subiectivismus, in quo nihil est stabile, sed de subiecto in subiectum, de die in diem omnia variantur et fluunt. Hac igitur ratione origo religionis, quae hoc nomen meretur, et quae est prima inter ideales potestates ordinis moralis, explicari non potest.

CAPUT II.

DE REVELATIONE IN GENERE.

Cf. *M. I. Scheeben,* Handbuch der kathol. Dogmatik I, n. 5 sqq; *H. Denzinger,* Vier Bücher von der religiösen Erkenntnis (lib. II, qui recenset varias opiniones de hac re prolatas); *Fr. I. Mach,* Die Notwendigkeit der Offenbarung, Mainz 1883; *I. Kleutgen,* Theologie der Vorzeit V, n. 536 sqq; *J. Didiot,* Logique surnaturelle objective, Paris 1892.

PRAENOTANDA.

53. Deus dedit homini naturam rationalem, ut ex mundi aspectabilis et sui ipsius consideratione ascendat ad Deum mundi opificem, gubernatorem, finem cognoscendum et voluntatis actibus prosequendum. Haec Dei manifestatio per lumen creatum obiectivum et subiectivum, naturae rationali proportionatum, appellatur interdum *revelatio Dei naturalis et late dicta*. Nam vi vocis revelatio est manifestatio occultorum; et quia Deus in se nobis est occultus, manifestatur autem nobis a posteriori per creaturas, loqui licet de revelatione Dei naturali. Quae vocatur late et improprie dicta in comparatione cum revelatione illa stricte dicta, quam theologi intellegunt, quando de revelatione simpliciter loquuntur.

54. *Revelatio divina stricte dicta est locutio Dei, qua Deus ex iis, quae cognoscit, quaedam cum hominibus communicat, ut homines ea propter auctoritatem Dei loquentis credant.* Haec revelatio a manifestatione Dei naturali multipliciter distinguitur. Nam 1. in revelatione late dicta Deus se habet ut res quaedam, circa quam homo ratiocinatur; in revelatione stricte dicta Deus ut persona ad personas loquitur. 2. Revelationi late dictae respondet ex parte hominis scientia, qua ex rebus

creatis ut effectibus Deum eiusque proprietates ut causam cognoscit; revelationi proprie dictae respondet ex parte hominis fides, qua homo propter auctoritatem Dei revelantis vera esse affirmat, quae Deus dixit. 3. Obiecta revelationis proprie dictae possunt esse veritates, ad quas docendas revelatio naturalis non valet. 4. Revelatio proprie dicta est aliquid, quod praeter naturalem rerum cursum immediato Dei interventu fit. 5. Revelatio improprie dicta ex se non potest hominem ducere nisi ad finem ultimum naturalem; revelatio proprie dicta potest hominem ducere et ducit ad eum finem, qui omnem exigentiam et potentiam naturalem superat.

Hae differentiae observandae sunt, ut statim ab initio conceptus rei, de qua agitur, sufficienter patescat. Quare iuverit breves quasdam explicationes addere; nam fusius in ipsis tractatibus dogmaticis dicendum erit de ordine supernaturali, de fide, de aliis, quae hic in quaestionem veniunt.

55. *Revelatio est locutio Dei proprie dicta ad homines.* Quomodo loquatur homo ad hominem, notum est. Communissime hoc fit per verba oris, saepe per scripturam, interdum per gesticulationes vel alia signa. Id unum essentiale est, ut altera persona alteri ex intentione manifestet aliqua ut sua iudicia. Ergo locutio proprie dicta non est, si psittacus articulatos quosdam sonos profert. Neque locutio est, si quis involuntariis signis prodit cogitationes vel affectus suos. *Locutio proprie dicta est testificatio,* qua quis testatur, quid ipse iudicet, ut alter res testificatas admittat. Loquens implicite saltem provocat ad suam scientiam et veracitatem, et vult, ut verbis suis fides habeatur. Si praeterea loquens iure suo postulat, ut alter audiat, quid ei dicat, habetur plena *auctoritas testis,* quae per solam scientiam et veracitatem nondum adest, quia non habeo debitum morale audiendi, quaecumque quilibet homo mihi vult dicere, sed possum recusare audientiam: Quid ad me? nolo te audire. Saepe autem non licet ita respondere, sed audire et admittere debemus, quae alter loquitur. Deum habere auctoritatem loquendi nobis et postulandi a nobis fidem colligitur ex conceptu supremi domini et primae veritatis. Sed quomodo Deus loquitur hominibus?

56. *Locutio immediata Dei ad homines potest vario modo fieri:* Per voces vel alia signa externa, quibus homines utuntur, quando inter se colloquuntur. At praeterea Deus potest etiam sine signis externis producere in imaginatione vel in intellectu hominis species, quae ab homine in homine produci nequeunt nisi mediantibus signis externis (cf. *S. Thomas* 2, 2, q. 173, a. 2 et Contra gent. 3, 154). Attamen sola productio specierum, sive per signa externa sive sine signis externis, non sufficit, ut sit locutio divina, sicut neque inter homines sufficeret, si quis audiret solas voces, sed nesciret, quis eas proferret,

et num vellet sibi loqui. Necesse igitur est addi iudicium intellectuale, quo homo intellegat Deum esse, qui sibi loquatur, et quid sibi dicat; et quia Deus revelans vult, ut verbum suum indubitanter credatur, et plerumque etiam, ut nomine Dei aliis credendum annuntietur, debet ipse homini infundere lumen intellectuale, quo ille, qui revelationem accipit, certo intellegat has et has res sibi a Deo revelari.

57. *In accipienda et credenda revelatione homo non pure passive se habet,* non magis quam si discit aliquid ab alio homine. Veritatem percipere et ei assentiri est actus vitalis, etiam cum ille, qui docet, est Deus, qui quidem confortat facultates naturales, sed non opprimit, neque efficit, ut actus vitalis non eliciatur ab homine. Ergo etiam in revelatione divina actus, quibus homo percipit et affirmat verum revelatum, sunt et manent actus vitales; sed hi actus sunt medium tantum et modus attingendi revelationem, non sunt ipsum verbum Dei. Solum id quod revelatur et creditur, est verbum divinum. Ne autem imperfectus modus cognoscendi, qui est homini proprius, impediat rectam apprehensionem veri revelati, Deus interno lumine et confortatione iuvat hominem. Hoc adiutorium divinum non evehit hominem ad immediatam intuitionem rerum revelatarum, sed efficit, ut res divinae repraesententur conceptibus analogis, imperfectis quidem, at non positive falsis. Neque enim modus cognoscendi credendus proponitur, sed id quod per revelationem manifestatur.

58. Haec igitur revelatio dicitur *immediata,* non quasi non fiat mediantibus *actibus subiectivis* hominis, sed in comparatione cum revelatione naturali, in qua *obiecta,* quae immediate cognoscenda proponuntur, non sunt verba divina sed obiecta creata, ex quibus homo ratiocinando ascendit ad Deum.

Alio modo revelatio mediata et immediata distinguitur respectu *subiectorum,* quibus fit. Potest enim Deus uni homini aliquid revelare et simul eum ut nuntium mittere ad verba divina aliis hominibus annuntianda. Quod si fit, debet Deus nuntium suum iis notis insignire seu iis signis circumdare, quibus certo constet eum esse nuntium Dei et vere nomine Dei loqui. Qualia signa sunt praecipue miracula et vaticinia. In his igitur condicionibus revelatio ratione subiecti est immediata ea tantum, quae ipsi nuntio fit, ceteri autem mediate tantum revelationem divinam accipiunt, sive ab ipso nuntio sive ab aliis, qui a nuntio audiverunt. Nihilominus recte dicimus rem istam, quae sic traditur, esse immediate a Deo revelatam et esse verbum Dei proprie dictum, quia verbum Dei manet verbum Dei, etsi ab aliis repetitur et ad alios transmittitur, praesertim si haec transmissio fit ex mandato et sub assistentia Dei caventis, ne verbum suum hac via corrumpatur.

59. *Revelationi divinae ex parte hominis respondet fides,* non scientia stricte dicta. Scientia enim est cognitio rerum ex principiis internis,

sive res aliqua immediate percipitur, sive fit conclusio ex causa ad effectum, sive causa cognoscitur ex effectu. Fides autem est assensus in rem propter auctoritatem testis eam affirmantis. Quae auctoritas, si est certa, dat quidem certitudinem rem ita esse, sicut affirmatur; nihilominus et auctoritas et certitudo ex auctoritate parata sunt aliquid rei testificatae externum. Unde per fidem nulla habetur perspicientia rei creditae sed solus assensus in rem; et hic assensus habet motivum formale unicum auctoritatem testis. Hoc valet de fide humana, valet etiam de fide divina. Auctoritas humana per se est fallibilis; ideo fides quoque humana est fallibilis. Auctoritas divina est absolute infallibilis; ideo fides respondens auctoritati Dei revelantis est infallibilis et assensus adhaesive firmissimus. Neque enim Deo revelanti respondere licet: Fortasse ita est, sicut dicis; sed respondendum est: Quia tu, prima veritas, dicis, res ita est et aliter esse non potest. His non obstantibus, quia in fide intellectus non per evidentiam rei ad unum determinatur, dubitatio est psychologice possibilis, et solum per voluntatis imperium ex reverentia Dei libera dubitatio excluditur. Haec postea fusius explicabuntur in tractatu de fide, sed interim memoria tenenda sunt, ne quis putet nos velle aut posse argumentis apologeticis assensum fidei extorquere ab hominibus. Fortasse sic res procederet, si ageretur de scientia argumentis perfecte evidentibus paranda, ut e. g. in mathematica. Sed argumenta apologetica imprimis sunt argumenta ordinis moralis, quae valde differunt a probationibus metaphysicis; dein etiamsi supponamus ea esse omnino evidentia, id, quod iis probandum suscipitur, est credibilitas et credenditas rerum revelatarum, seu ostenditur nos posse rationabiliter credere et nos habere officium credendi. Eo autem quod possum et debeo aliquid credere, nondum adest physica necessitas credendi, sed actus fidei pendet ex libera voluntate. Et si libere volo credere et credo, hoc actu fidei rem creditam non perspicio, sed simpliciter assentior rem testificatam esse veram.

60. Ex dictis efficitur *revelationem fieri praeter naturalem rerum ordinem.* Experientia constat secundum communiter contingentia non percipi a nobis verba Dei proprie dicta, et ex conceptu rei patet locutionem Dei immediatam non fieri mediantibus viribus et legibus naturalibus. Potest Deus nuntios suos mittere spiritus angelicos, sed hoc ipsum est aliquid praeter ordinem naturalem. Potest etiam Deus adhibere vires naturales ad producenda quaedam signa externa; sed haec neque ex lege naturali fiunt neque sufficiunt, nisi Deus aliquid efficit, ex quo certo constet Deum loqui. Quamdiu naturalia tantum fiunt, nihil est, quo in suspicionem veniamus locutionis divinae proprie dictae. Ergo revelatio est aliquid praeternaturale.

Revelatio, quae est fundamentum fidei christianae, est *revelatio supernaturalis,* tum ratione principalium obiectorum tum ratione finis,

i. e. Deus revelavit veritates, ad quas inveniendas intellectus humanus ex se idoneus non est, et ideo has veritates revelavit, ut homines perducat ad finem ultimum, qui omnem potentiam et exigentiam naturalem superat. Quaedam utique revelavit, quae etiam naturaliter cognosci possunt, quae revelatio vocari potest *supernaturalis secundum modum*. Ceterum haec potius sunt revelata secundaria, sed ratione principalium obiectorum et finis revelatio christiana est *supernaturalis secundum substantiam*.

Itaque quod factum ipsum attinet, revelatio divina est ordinis supernaturalis; et sicut ordo naturae purae numquam exstitit, ita neque ulla revelatio facta est ordinis pure naturalis. Potest tamen quaestio poni, num in ordine naturali revelatio secundum modum supernaturalis fieri debuerit vel potuerit. Ad quam quaestionem difficile est certum responsum dare. Nam ex altera parte etiam in ordine naturali utile fuisset hominibus de rebus religiosis et moralibus a Deo instrui; ex altera vero parte si Deus instituisset ordinem naturalem cum correspondente providentia divina, hic ordo ad finem hominis habuisset media omnia physice et moraliter sufficientia; quare non satis perspicitur, quomodo sapientiae divinae conveniat immediate et praeter naturam rerum se immiscere illi ordini, in quo homo plane expeditus fuisset ad finem suum naturalem assequendum. Non defuisset Deo potentia absoluta, sed quaestio est, num fuisset potentia ordinata. Itaque melius abstrahimus ab hac quaestione, et consideramus homines et revelationem, quales reapse nunc sunt.

Prop. III. Revelatio immediata Dei non repugnat.

61. ***Stat. quaest.*** Revelatio immediata intellegitur, quae distinguitur a revelatione naturali et mediata, ut supra (n. 53 sqq) explicatum est. Non dicimus nos a priori scire, num Deus habeat rationes immediate loquendi ad homines, sed negative tantum statuimus non esse rationes dicendi talem locutionem repugnare. Nam statuta non repugnantia possibilitas positive probatur ipso facto revelationis. Itaque potius hic removemus impedimenta, quae a priori contra factum revelationis struuntur. Porro Deum multa scire, quae homines ignorant, eumque habere potentiam manifestandi quaedam hominibus, nisi aliunde repugnet, videtur tam evidens, ut opus non sit his rebus immorari. Tota quaestio est, num revelatio conciliari possit cum sapientia Dei et cum natura hominis.

Modernistae vocant revelationem, quae non est vera revelatio sed fictio, quia fingunt hominem experiri in se quasdam motiones, quas sensus religiosus accipiat ut manifestationem divinam, quae revelatio non proponit ullas veritates credendas, sed solum affectum hominis commovet. Totum hoc factum, si factum esset, maneret intra sphaeram subiectivarum experientiarum. Nos autem loquimur de revelatione,

qua Deus docet homines veritates credendas vel theoreticas vel practicas, i. e. ad vitam moralem pertinentes; ergo de revelatione obiectiva.

62. *Arg.* Si revelatio immediata repugnaret, aut repugnaret ex parte Dei aut ex parte hominis. Atqui neutra ex parte repugnat. Ergo revelatio immediata dicenda est non repugnare.

Prob. min. pars I. Non repugnat revelatio immediata ex parte Dei. Deus enim est ipsa infinita veritas et primus fons omnis veri. *Omnis veritas ontologica, logica, ethica, quae est mundo, Deum habet ultimum principium.* Ergo Deus potest communicare veritatem cum creaturis. Atqui infinita veritas divina non est exhausta per veritatem limitatam creaturis actu concessam, neque ligata est potentia divina ad unum modum docendi homines per media obiecta creata seu per revelationem late dictam, sed sicut pro suo sapientissimo et liberrimo consilio hunc gradum et hunc modum cognitionis rerum divinarum tribuit hominibus, ita Deus multos alios gradus et modos habet in sua potestate. Non ideo talis facultas cognoscendi et talis actualis cognitio est in hominibus, quia ex natura rei aliter esse non potest, sed quia Deus ita libere elegit.

Si veritas obiectiva et subiectiva esset necessaria evolutio mundi necessarii, quemadmodum pantheistae volunt, neque gradus neque modus revelationis veri alius esse posset praeter eum, qui reapse naturaliter exsistit; immo nulla permanens veritas esset, sed omnia constanter mutarentur secundum leges invariabiles. Haec est ultima ratio, cur plurimi homines, pantheismo infecti, revelationem fieri posse negent; idque omnino consequenter secundum ipsorum principia. Sed admisso Deo infinito, personali, libere agente, nulla est ratio dubitandi, quin Deus de infinito thesauro scientiae suae possit hominibus impertire cognitiones ultra eas, quas homines propriis viribus acquirere possunt, et alio modo atque eo, quem leges naturales sequuntur. Ergo Deus, si vult, potest vera hominibus annuntiare eo modo, ut intellegant Deum esse, qui sibi loquatur, seu potest dare revelationem immediatam.

63. *Habetne divina sapientia rationes dandi hominibus immediatam revelationem?* Hoc a priori neque affirmare neque negare licet, quia non introspicimus mentem divinam, sed solum ordinem rerum creatarum cognoscimus, quo non postulatur revelatio praeternaturalis, neque vero excluditur instructio divinitus communicata, quae naturam superet. Providentia quidem divina necessaria est, ut creaturae et praecipue homines agere et finem suum assequi possint. Itaque etiam immediata quaedam actio Dei in mundum necessaria est, quae est conservatio et concursus. Sed in quantum haec actio requiritur, ut res sint neve frustra sint, totum regimen divinum pertinet ad ordinem naturalem. Iamvero homini, qui habet naturales facultates et correspondentem concursum divinum, nihil deest ad finem debitum assequendum. Et

si fortasse minor gradus auxilii divini non sufficit, etiam intra ordinem naturalem potest Deus auxilia interna et externa plura et maiora dare, ut hominibus plane nihil desit in prosecutione finis sui. Ergo ex solis principiis naturalibus non potest erui ratio, ob quam Deus praeternaturaliter aliquid revelet. Num vero Deus habeat de hominibus altiora consilia, naturalem ordinem excedentia, nescimus. Itaque in hac re ratio humana pure negative se habet, et valde errat, si a priori possibilitatem revelationis immediatae excludere conatur.

64. *Prob. min. pars II. Non repugnat revelatio immediata ex parte hominis.* Homo enim a Deo creatus est, ab eo dependet in actibus suis, ei subiectus est ut supremo domino. *A Deo creante accepit facultatem intellegendi, a Deo conservante et concurrente etiam accipit omnem actualem cognitionem.* Ergo actualis cognitio, etsi ut actus vitalis elicitur ab ipso homine, tamen in ratione entis etiam a Deo producitur. Iamvero si Deus concurrit cum cognitione humana, *potest etiam concurrere eo modo, qui superat omnem potentiam et exigentiam naturalem,* ita ut homo vi huius concursus cognoscat ea, quae naturaliter non potest cognoscere, vel ut ea, quae naturaliter cognoscere potest, perfectiore modo cognoscat.

Haec supernaturalis cognitio diverso modo fieri potest. Si ita comparata est, ut homo per eam res creatas cognoscat ex principiis internis, habetur *scientia infusa,* quae dicitur infusa, quia praeter concursum naturalem infunduntur species rerum cognoscendarum. Si datur immediata cognitio Dei, habetur *visio beatifica.* Si cognitio ex principiis internis non datur, sed solum testimonium Dei de re aliqua proponitur, cui homo cum concursu supernaturali assentit, habetur *fides.* Ita cum interna gratia fidei credimus doctrinam a Christo propositam. Haec doctrina ad nos pervenit per testes a Christo missos et speciali assistentia ab erroribus in doctrina revelata tradenda et conservanda praemunitos. Deo autem loquenti et testibus ab eo missis homo debet fidem habere.

Itaque revelatio neque repugnat propter vitalitatem cognitionis humanae, quia vitalitas non excludit concursum divinum, neque propter autonomiam hominis, quia homo non est ita autonomus, ut possit Deo loquenti fidem denegare. Non homo sed Deus est suprema norma veri. Homo non est omniscius, sed erroribus, ignorantiae, dubitationibus obnoxius. Quare ab aliis hominibus instruendus est. Melius autem est magisterium divinum quam magisterium humanum, quia Deus est infallibilis, neque extrinsecus tantum docet, sed etiam intrinsecus illuminat. Negare possibilitatem revelationis immediatae idem est ac facere Deum idolum mutum, quod indigentiae intellectuali et morali creaturarum suarum succurrere nequeat, sed ab omni personali cum hominibus commercio separatum sit. Talis Deus in re ipsa non exsistit, sed est figmentum philosophorum a vero longe aberrantium.

65. *Obi. I.* Deus est immutabilis. Atqui revelatio immediata supponit mutationem Dei. Ergo revelatio immediata est impossibilis.

Resp. *Dist. mai.:* Deus est immutabilis in se seu entitative, *conc. mai.;* Deus est immutabilis in operibus ad extra seu terminative, *subdist. mai.:* Immutabile est decretum, quo Deus ab aeterno statuit, quae in tempore futura sunt, *conc. mai.;* non sunt successiones in ipsis operibus divinis, *neg. mai. Dist. min.:* Revelatio immediata supponit mutationem Dei entitativam, *neg. min.:* supponit mutationem terminativam actionis divinae, *subdist. min.:* Supponit novum decretum Dei, *neg. min.;* supponit temporalem effectum decreti aeterni, *conc. min.* Et *neg. conseq.*

66. *Obi. II.* Opera Dei sunt perfecta. Atqui revelatio praeternaturalis ostendit imperfectionem operum divinorum. Ergo revelatio praeternaturalis est impossibilis.

Resp. *Dist. mai.:* Opera Dei sunt perfecta relative, in quantum habent omnia sibi debita in suo gradu et ordine, *conc. mai.;* sunt perfecta absolute, ut eorum perfectioni non possit addi quidquam, *neg. mai. Dist. min.:* Revelatio praeternaturalis ostendit imperfectionem operum divinorum, quasi non habeant omnia sibi naturaliter debita, *neg. min.;* ostendit imperfectionem, quatenus Deus iis addere potest aliquid ultra debitam perfectionem, *conc. min.* Et *neg. conseq.*

67. *Obi. III.* Indignum est fingere Deum quasi magistrum instruentem suos discipulos. Atqui per revelationem immediatam sic Deus exhibetur agere. Ergo revelatio immediata est Deo indigna.

Resp. *Dist. mai.:* Indignum est fingere Deum ut magistrum multa ignorantem et inepte instruentem, *conc. mai.;* indignum est Deum exhibere ad homines condescendentem et eorum naturae se accommodantem et per convenientem doctrinam externam et per lumen internum eos instruentem, *neg. mai. Dist. min.:* Per revelationem exhibetur Deus ut magister imperfectus, *neg. min.;* exhibetur ut magister divinus homines modo ipsis accommodato instruens, *conc. min.* Et *neg. conseq.*

Nihil sane Deo indignum apparet in magisterio Iesu Christi, etsi Christus est Deus, sed omnia plena sunt sapientiae, dignitatis, decoris. Etiam eatenus revelatio divina, qualis historice proponitur, sapientissima et suavissima est, quatenus Deus non statim ab initio omnia revelanda simul hominibus enuntiavit, sed paedagogice genus humanum paulatim educavit et per varios status legis patriarchalis et legis Mosaicae usque ad plenitudinem revelationis christianae perduxit, et dein magisterium instituit, sub cuius cura et vigilia intellectus revelationis per Christum factae magis in dies usque ad finem mundi explicaretur. Tantum igitur abest, ut revelatio, quae in libris Sacrae Scripturae narratur, Deo indigna sit, ut maximam admirationem mereatur. Contra vero multae obiectiones, a rationalistis contra possibilitatem revelationis excogitatae, sunt nugae philosophis indignae. (Cf. Praelect. dogm. I, n. 150 sqq; IX, n. 195 sqq in edit. tertia.)

Schol. De revelatione divina per legatos divinitus missos annuntiata.

68. Cum homo sit ens sociale, a priori exspectandum est Deum, si quid velit revelare ad societatem humanam pertinens, non locuturum

esse immediate ad singulos sed potius ad viros specialiter electos, per quos alios instruat. Sic eum revera egisse omnes consentiunt, qui revelationem proprie dictam admittunt. In quo agendi modo non solum nihil cernitur a ratione alienum, sed etiam naturae hominum et societatis humanae perfecte ratio habetur.

Obiciunt quidem hac via non posse fieri, quin dictis divinis elementa humana admisceantur et utilitas revelationis valde minuatur vel etiam corrumpatnr. Ad quod *respondendum est:* Homines, sive immediate sive mediate revelationem accipiunt, sine dubio modo humano, non divino, cognoscere, quae dicuntur; nam cognitum est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Nihilominus his non afficitur obiectiva veritas eorum, quae revelantur. Si e. g. Deus revelat mortuos resurrecturos, vera manet resurrectio mortuorum futura, etsi homo multo imperfectius cognoscit, quomodo hoc futurum sit, quam Deus. Homo credere debet obiectivam veritatem, non modum subiectivum, quo cognoscit eam. In quantum autem imperfectione humana in periculum vocari potest ipsa veritas obiectiva, Deus speciali auxilio iuvabit, ut id, quod credendum est, intactum permaneat. Ergo si vult legatos mittere, qui nuntium divinum ad alios deferant, non solum cavebit, ne legati ipsi fallantur, sed etiam iis condicionibus eos muniet, ut alios ratione utentes in errorem non inducant. His legatis eatenus fides habenda est, quatenus possunt doctrinam suam ut divinitus revelatam argumentis sufficientibus probare; et fides extenditur ad ea tantum, ad quae annuntianda missi sunt. In aliis autem manent erroribus obnoxii sicut ceteri homines.

Neque legati divini revelatione et missione divina fiunt instrumenta mortua, ut sint quasi tubi phonetici, per quos Deus loquatur, sed illuminantur ad res revelatas recte intellegendas et annuntiandas. Nihil violentum, nihil naturae rationali contrarium in hac re Deus facit, sed utitur instrumentis modo eorum naturae proportionato.

Haec omnia quidem rationalistae aut ex ignorantia aut ex malitia pervertunt, ut revelationem supernaturalem irrideant. Sufficit ista notasse, quia eorum depravationes refutatione non indigent.

Prop. IV. Revelatio mysteriorum non repugnat.

69. ***Stat. quaest.*** Mysterium latissimo sensu est res arcana, ad quam cognoscendam non valemus. Potest quadruplex gradus arcanorum distingui. a) Quaedam non cognoscimus, quae in se sunt res nobis cognoscibiles, sed non applicantur facultati nostrae cognoscitivae, ut ea, quae sunt in infimo mari vel in interiore terra. b) Alia manifestant se nobis non immediate sed per effectus suos. Unde fit, ut cognoscamus quidem ea exsistere, sed earum internam naturam non perspiciamus. Huc pertinent e. g. anima et omne principium vitale,

maxime vero Deus. c) Interdum cognoscimus quidem possibilitatem rei, non vero exsistentiam, quia haec determinanda est per exercitium libertatis, quales res sunt futuri actus liberi creaturarum vel decreta Dei. d) Tandem res quaedam adeo sunt a nostra cognitione remotae, ut etiam post revelationem non perspiciamus positive internam earum possibilitatem, ut sunt mysteria Trinitatis et Incarnationis.

Haec ultima sunt *mysteria stricte dicta,* quorum neque exsistentiam ex naturalibus principiis invenire neque possibilitatem ex internis rationibus *positive* intellegere possumus in hac vita, ne tum quidem, cum a Deo nobis revelata sunt. Mysteria stricte dicta sunt supra rationem, non sunt contra rationem humanam, quia nullum principium rationis iis evertitur; immo intellectus bene excultus solvere potest omnes obiectiones, quae contra ea moventur.

Si vox mysterii late sumitur, *constat esse multa mysteria,* cum plura sint, quae homines nesciunt, quam quae sciunt. Intellectus divinus est infinitus et habet obiectum infinitae perfectionis. Unde certum est Deum multa scire, quae nos nescimus, et eatenus exsistentia mysteriorum et possibilitas revelationis eorum est per se evidens. Verumtamen num sint mysteria stricte dicta, non constat a priori, quia nescimus, num sint aliqua vera, quae Deus non possit ita nobis revelare, ut per conceptus analogos eorum internam possibilitatem positive cognoscamus. De his mysteriis praecipue loquimur in thesi, et dicimus nullas esse sufficientes rationes negandi a priori talia mysteria a Deo revelari posse.

Rationalistae originem doctrinae de mysteriis interdum ita explicant: Primi christiani, cum ingenio non essent multum culti, varia capita doctrinae Christi nimis crasse intellegentes, non poterant verba Christi cum placitis philosophorum conciliare. Ideo dixerunt esse mysteria humano intellectui inaccessa, sed per Deum revelata. Hac autem via se expediendi a difficultatibus semel inventa, coeperunt quodammodo luxuriari mysteriis aliis et aliis excogitandis et de iis gloriari tamquam de speciali praerogativa religionis christianae. Nostrum autem est, inquiunt rationalistae, ab hac puerili conceptione mentes purgare et omnia rationali modo explicare.

Quam falsa sit haec assertio, inde patet, quod tum Christus et apostoli iam docuerunt esse mysteria (cf. Mc 4, 11; Mt 11, 27; 24, 36; Lc 10, 21; Rom 16, 25; 1 Cor 2, 7; Col 2, 2 3); tum inter primos christianos fuerunt viri ingeniosissimi et optime eruditi, ut Paulus, Iustinus, Irenaeus, Tertullianus; tum magni doctores posteriores iam diu correxissent illum defectum, si commissus esset; tum explicationes mysteriorum, quas rationalistae dederunt, non sunt explicationes sed perversiones doctrinae Christi. Etiamsi rem pure philosophice consideramus, plane improbabile est, omnes christianos, unanimiter consentientes, male intellexisse doctrinam sibi traditam, rationalistarum autem expositiones, inter se pugnantes, esse veras.

His suppositis id unum probamus non esse ullam repugnantiam in revelatione mysteriorum. Revera mysteria esse revelata postea videbimus.

70. ***Arg.*** Non repugnat revelatio mysteriorum, si neque repugnat Deum scire mysteria, neque repugnat hominibus annuntiari mysteria. Atqui neutrum repugnat. Ergo revelatio mysteriorum non repugnat.

Prob. min. pars I. Deus est actus purus infinitus, quem cognitione nostra non attingimus conceptibus propriis per se. Atqui ens tanto intervallo intellectum nostrum superans non ita perspicimus, ut a priori intellegamus nihil in eo esse, quod naturalem nostram intellegendi facultatem simpliciter transcendat. Immo cum inter ipsos homines tanta differentia facultatum intellectualium sit, ut alius omnino capere non possit, quae alius intellegit, a fortiori supponendum est in intellectu infinito quaedam esse, quae nullus intellectus humanus capere possit. Non tamen ideo negatur posse Deum elevare intellectum humanum ita, ut illa mysteria intellegat; sed hoc ipsum, si fit, est magnum mysterium; solum negatur nos ea intellegendi ratione, qua in hac vita utimur, posse penetrare omnia arcana intellectus divini.

Ex altera parte *quidquid est verum, saltem analoge cum obiecto adaequato intellectus nostri convenit.* Ergo a priori dicendum non est esse aliquod verum, quod Deus ne conceptibus quidem analogis manifestare nobis possit. Ita aliquo modo scimus, quid sit persona, quid sit natura, quid sit Deus, quid sit homo. Ergo etiam formare possumus qualemcumque conceptum personae divinae et naturae humanae. Sed si quis interrogat: Potestne persona divina assumere naturam humanam? debemus respondere: Si esset persona divina eiusdem plane rationis atque persona humana, res esset impossibilis; quid vero persona infinita possit secundum modum suum proprium, nescimus. Unde si Deus revelat naturam humanam assumptam esse a persona divina, aliquo modo intellegimus, quid hoc sibi velit; non tamen perspicimus possibilitatem rei ex principiis internis, sed testimonium divinum dat nobis externam evidentiam rem ita esse. Unde hoc modo Deus potest nobis revelare mysteria stricte dicta, si talia mysteria sunt. Ergo revelatio mysteriorum per conceptus analogos et per evidentiam externam testimonii divini dicenda non est repugnare.

Prob. min. pars II. Repugnaret revelatio mysteriorum ex parte hominis, si aut nullam omnino aut nullam utilem cognitionem ei afferret. Atqui neutrum dicendum est. Manet quidem etiam post revelationem cognitio mysteriorum valde imperfecta. At cognitio imperfecta neque nulla est neque semper inutilis. Per fidem enim mysteriorum melius quam per ullam naturalem cognitionem intellegimus Dei maiestatem, nostram cum ea comparatam vilitatem, benevolentiam et caritatem Dei, finem nostrum ultimum, alia multa, quae maximi momenti sunt ad vitam religiosam et moralem. Per fidem harum rerum intellectus noster

iungitur cum prima veritate, et inseritur nobis principium novae vitae supernaturalis, cuius terminus ultimus est visio beatifica. Quae, etsi nota nobis non sunt a priori, ostendunt tamen nihil obstare ex parte hominis revelationi mysteriorum.

71. *Obi. I.* Principium cognitionis certae est evidentia. Atqui mysteria nobis non sunt evidentia. Ergo de iis certi esse non possumus.

Resp. *Dist. mai.:* Principium cognitionis certae est evidentia aut interna veri se ipsum manifestantis aut evidentia externa testimonii, *conc. mai.;* sola evidentia interna, *neg. mai.* Plura enim per fidem cognoscimus quam per internam evidentiam. *Dist. min.:* Mysteria nobis non sunt evidentia per evidentiam scientiae, *conc. min.;* per evidentiam credibilitatis, *neg. min.* Et *neg. conseq.*

72. *Obi. II.* Qui non perspicit, utrum praedicatum subiecto conveniat necne, nihil cognoscit. Atqui non perspicimus in mysteriis, utrum praedicatum subiecto conveniat necne. Ergo nihil de iis cognoscimus.

Resp. *Dist. mai.:* Qui non perspicit convenientiam praedicati cum subiecto neque ex visceribus rei neque ex testimonio, nihil cognoscit, *conc. mai.;* qui saltem ex testimonio cognoscit convenientiam, nihil cognoscit, *neg. min.*

Sunt qui dicant mysteria esse inanes formulas, quibus intellectus noster non magis instruatur, quam si audiamus: $x + y = z$. At hoc verum non est. Nam si audimus nos esse vocatos ad immediatam intuitionem Dei, cognoscimus agi de perfectissima cognitione supremi veri, qua perfecte beati erimus. Haec autem non est inanis formula sed veritas gravissima et utilissima. Idem valet de mysteriis Trinitatis, Incarnationis, omnibus aliis.

73. *Obi. III.* Malum est renuntiare usui rationis. Atqui qui credit mysteria, renuntiat usui rationis. Ergo male agit.

Resp. *Trans. mai. Neg. min.* Nam qui credit mysteria, prius per usum rationis certus est Deum revelasse ea, et intellegit rationabile esse Deo revelanti credere. Ergo non male agit sed bene.

Sane doctores maximi, quales sunt S. Augustinus et S. Thomas, non renuntiarunt usui rationis, credentes mysteria, sed iis fides mysteriorum factus est fons multiplicium et altissimarum cognitionum de rebus divinis, tam theoreticarum quam practicarum. Sancti omnes sunt progenies fidei, fides autem praecipue et principaliter est mysteriorum. Atqui arbor, quae tales fructus protulit, vocanda non est arbor mala aut inutilis.

Prop. V. **Revelatio humano generi moraliter necessaria est respectu veritatum religiosarum et moralium ordinis naturalis, absolute vero necessaria est in hypothesi ordinis supernaturalis.**

74. **Stat. quaest.** *Ordo naturalis* intellegitur ille ordo, in quo genus humanum solis viribus naturalibus sub correspondente providentia divina finem ultimum, naturae humanae proportionatum, prosequi debet. Etiam in illo ordine Deus est finis ultimus externus hominis,

cognitione perfectissima, sed analoga tantum, possidendus; etiam ad hunc ordinem pertinet providentia Dei homines gubernantis et ad ultimum finem dirigentis, sed haec providentia et gubernatio manet intra limites exigentiae naturalis.

Ordo supernaturalis, quem ex sola revelatione cognoscimus, est ille ordo, in quo homo destinatur ad Deum immediate videndum ut ad finem ultimum, et ad hunc finem, speciali auxilio divino adiutus, actibus proportionatis prosequendum. Ordo supernaturalis non destruit ordinem naturalem sed perficit. Manent facultates naturales cum suis actibus, manet cognitio naturalis rerum divinarum et moralium, manet ethica naturalis, et homo, qui finem ultimum assequitur, Deum etiam cognitione analoga perfectissime cognoscet. Ergo etsi purus ordo naturalis non iam exsistit, recte tamen quaeritur, quomodo revelatio se habeat tum ad ordinem naturalem tum ad ordinem supernaturalem.

Necessitas moralis derivatur ex maxima difficultate acquirendi cognitionem requisitam ad vitam religiosam et moralem bene agendam. *Necessitas* autem *absoluta* revelationis supernaturalis tum adest, cum vires naturales ad finem a Deo constitutum debito modo prosequendum plane deficiunt.

Necessitatem illam moralem asserimus de genere humano, quale nunc est; ergo neque de unoquoque homine praeter plurimos alios in optimis condicionibus constituto, neque de toto genere, quale potuit esse in alio ordine providentiae, sed de hominibus universim sumptis, quales nunc reapse sunt. Neque dicimus homines generatim non posse ullam veritatem religiosam, e. g. exsistentiam Dei, sat facile cognoscere, sed loquimur de toto complexu illarum veritatum, sine quibus vita religiosa et moralis homine digna non est possibilis. Potuit quidem Deus aliter necessitati hominum providere quam per revelationem; sed cum aliud remedium non offeratur, non remanet nisi revelatio.

75. **Prob. pars I.** *Revelatio moraliter necessaria est respectu veritatum rationalium.* Nam a) historia docet populos omnes revelatione destitutos non habuisse notitias rectas de Deo et lege morali. Atqui quod numquam fit, hoc est moraliter impossibile. Ergo revelatio necessaria est generi humano ad rectos conceptus rerum religiosarum et moralium acquirendos. Gentes fingebant deos abominabiles, colebant eos cultu abominabili, morum perditio erat universalis. Res est notissima. Multa testimonia collegit *Doellinger* (Heidentum und Judentum, Regensburg 1857, maxime libris 7 et 8), item alii scriptores; ceterum sufficit legere caput primum epistolae S. Pauli ad Romanos.

b) *Hoc malum curari non potuit philosophia naturali.* Etiam optimorum philosophorum, ut Platonis et Aristotelis, opera pessimis erroribus referta sunt; maxima saepe viget inter philosophos discordia, etiam in quaestionibus fundamentalibus, ut de Deo, de anima humana, de fine hominis, et si quid boni docebant, vita eorum plerumque contra-

dicebat. Praeterea philosophi spernebant vulgus, et vulgus flocci faciebat philosophos. Nonne etiam nostra aetate philosophi, qui revelationem respuunt, in scepticismum, agnosticismum, pantheismum saepissime incidunt et totam doctrinam moralem corrumpunt? Quot mala produxerit philosophia incredula, manifestum est; quid contulerit ad promotionem vitae religiosae et moralis non apparet.

c) *Neque plurimi homines suis investigationibus sibi comparare possunt cognitiones necessarias ordinis religiosi et moralis,* idque propter defectum ingenii et diligentiae, propter defectum otii, propter periculum graviter errandi, propter instantiam officiorum religiosorum et moralium, quae non possunt differri, usquedum omnes quaestiones incidentes per viam scientiae solutae sunt. Itaque ut homines omnes certo, celeriter, non errantes perveniant ad cognitionem convenientem ordinis religiosi et moralis, revelatio divina requiritur ut remedium unicum difficultatum maximarum huic cognitioni obstantium.

Ne revelatio quidem cogit hominem ad verum admittendum, sed libertati eius offertur. Unde si homines mala voluntate resistunt, status eorum non fit melior sed peior. Sed qui bonae voluntatis sunt, ex revelatione omnes veritates scitu necessarias addiscere possunt, praesertim cum gratia divina iuventur. Reapse per solam revelationem christianam desperata hominum condicio sanata est. Unde recte concludimus hanc revelationem fuisse moraliter necessariam.

76. **Prob. pars II.** *Revelatio absolute necessaria est in hypothesi ordinis supernaturalis,* quia, si homo prosequi debet finem supernaturalem, quem naturaliter cognoscere nequit, oportet revelari hunc finem et media ad finem assequendum necessaria. In ordine igitur supernaturali fides divina est radix totius vitae religiosae et moralis, ex qua radice omnes actus humani aliquo modo procedere debent, ut sint proportionati ad visionem beatificam Dei merendam. Ratio entis et ordinis supernaturalis in tractatibus de Deo elevante et de gratia magis explicanda est.

Quamvis autem adeo necessaria sit, *revelatio est vera gratia,* i. e. donum indebitum. Debitum quidem est homini, ut Deus ei provideat media ad finem naturalem assequendum necessaria. At finis et media tam excellentia, ut omnem potentiam et exigentiam naturalem superent, non sunt debita. Praeterea Deus, postquam promisit supernaturalia dona, debet ea etiam dare. At ipsa promissio est prorsus gratuita, neque meritis naturalibus neque exigentiae naturali Deus debet impletionem promissionis suae sed suae fidelitati et bonitati.

Ex dictis intellegitur doctrina *Concilii Vaticani* sess. 3, c. 2: «Divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani condicione ab omnibus expedite, firma certitudine neque ullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio

absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant» (*Denz.* 1786).

77. *Obi. I.* Opera Dei non sunt manca. Atqui opera Dei essent manca, si revelatio hominibus esset necessaria. Ergo revelatio non est necessaria.

Resp. *Neg. min.* Nam errores religiosi et morales non fluxerunt ex institutione Dei, sed ex abusu libertatis humanae. *Esset autem iusta poena, si Deus homines tot peccatis foedatos miseriae suae relinqueret;* et si eos per revelationem et gratiam suam ex hac miseria eruit, est opus misericordiae. Institutio vero ordinis stricte supernaturalis non denotat defectum naturae sed solam perfectibilitatem eius.

78. *Obi. II.* Etiam inter christianos multae circumferuntur falsae opiniones de rebus religiosis, multae sunt doctrinae oppositae, multa peccata. Ergo ne revelatio quidem est sufficiens remedium malorum religiosorum et moralium.

Resp. *Dist. antec.:* Multi errores et multa mala per revelationem sublata non sunt quoad ea, quae non sunt essentialia respectu finis ultimi, *conc. antec.;* quoad essentialia, *subdist. antec.:* Quatenus homines mala voluntate possunt resistere revelationi, *conc. antec.;* quatenus revelatio non efficit, ut ii, qui volunt, possint cum sufficienti certitudine et facilitate prosequi et assequi finem ultimum, *neg. antec.* Et eodem modo *dist. conseq.*

DE CRITERIIS REVELATIONIS.

PRAENOTANDA.

79. Deus dans revelationem, hominibus imponit officium eam recipiendi. Ergo revelationem suam et legatum suum, qui eam aliis annuntiat, iis notis vel signis munire debet, quibus homines certi fiant sibi vere proponi revelationem divinam. Nam Deus postulat rationabile obsequium. Rationabile autem non est leviter credere, i. e. sine praevia certitudine de facto revelationis. Notae, ex quibus dignoscitur, utrum doctrina sit revelata a Deo necne, vel num legatus vere missus sit a Deo ad talem doctrinam annuntiandam, vocantur *criteria revelationis,* vel *motiva credibilitatis,* quia iis credibilitas doctrinae revelatae ostenditur.

Sunt *criteria interna,* si ex ipsa indole doctrinae desumuntur; sunt *criteria externa,* si petuntur ex factis concomitantibus. Sunt *criteria negativa,* si solum ostendunt nihil obstare, quominus talis doctrina a Deo revelari possit; sunt *criteria positiva,* si ostendunt, doctrinam revera a Deo esse revelatam.

Doctrina irrationabilis vel inhonesta non est divina; si bona et gravis est, potest esse a Deo revelata. Si tam excellens et unica est,

ut numquam simile quid excogitatum sit ab homine, magna probabilitas et praesumptio originis divinae habetur. Neque tamen criteria interna per se parant perfectam certitudinem facti revelationis, quia iis humana origo talis doctrinae non omnimodo excluditur.

Si ille, qui dicit se accepisse revelationem divinam et missum esse ad eam praedicandam, est homo pravus, fraudulentus, scurrilis, censendus non est legatus divinus. Si bonus homo est et digne se gerit, potest esse legatus divinus. Si eximia sanctitate eminet, praesumptio stat pro eo; immo potest ille, qui se a Deo missum dicit, esse miraculum ordinis moralis, quale sine speciali interventu Dei intellegi non potest. Quod si fit, habetur certum argumentum divinae missionis.

Boni fructus religiosi et morales ex doctrina oriundi ostendunt arborem tam bonam posse esse a Deo plantatam; fructus, plane singulares, qui ex causis naturalibus explicari nequeunt, signa sunt immediatae interventionis Dei.

Notae externae maxime certae et solae per se sufficientes sunt effectus sensibiles in confirmationem revelationis a Deo producti, qui effectus dividuntur in miracula et prophetias. Quare de his in specie agemus. Ait *Concilium Vaticanum* sess. 3, c. 3: «Ut fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae, cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intellegentiae accommodata.» Et de fide can. 3: «Si quis dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, A. S.» Can. 4: «Si quis dixerit miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in Sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci numquam posse nec iis divinam religionis christianae originem rite probari, A. S.» (*Denz.* n. 1790 1812 1813.)

CAPUT III.

DE MIRACULIS.

Cf. *S. Thomas,* Contra gent. l. 3, c. 98 sqq; — De potentia q. 6; *J. de Bonniot,* Le miracle et ses contrefaçons (etiam germanice: Wunder und Scheinwunder, Mainz 1889); *E. Müller,* Natur und Wunder, Freiburg 1892; *P. de la Barre,* L'ordre de la nature et le miracle[3], Paris 1900; *L. Fonck,* Die Wunder des Herrn I[2], Innsbruck 1907 (ubi p. 3 sqq multi alii libri indicantur); *I. Pohle,* Natur und Übernatur, in opere: Religion, Christentum und Kirche I, Kempten 1911, 317 sqq.

Prop. VI. Miracula fieri possunt.

80. **Stat. quaest.** *Miraculum est effectus sensibilis praeter vires et leges naturales a Deo productus.* Dicitur *effectus sensibilis,* quia

effectus insensibiles, ut productio gratiae, etsi a solo Deo fiunt, non solent vocari miracula; nam quidquid non percipitur, non excitat admirationem, quam vocabulum miraculi indicat. Effectus autem potest esse sensibilis aut in se, ut resuscitatio mortui, aut quatenus signis quibusdam manifestatur, sicut si quis verbis manifestat se cognoscere occultas cogitationes aliorum.

In miraculis producendis Deus est aut causa unica aut causa principalis. Potest enim Deus uti homine vel aliis creaturis tamquam instrumento ad miracula producenda. Sed tunc homo non agit virtute propria, sed virtus divina aliquo modo coniungitur cum homine (transeunter tamen, si excipias Christum, in quo ipsa divinitas permanenter est), et per hominem in effectum influit, sicut si Deus operatur, quando homo ex motione divina pronuntiat, ut miraculum fiat.

Naturaliter non cognoscimus nisi mundum aspectabilem incluso homine, et ex mundo aspectabili eius auctorem Deum. Num sint *puri spiritus creati,* philosopho non certo constat. Si supponitur esse tales spiritus (sicut fides docet), hi spiritus possunt effectus producere ultra eos, ad quos vires et leges mundi visibilis sufficiunt. Unde suis viribus *possunt patrare miracula secundum quid seu quoad nos* (cf. Mt 24, 24). Attamen providentia divina non permittit, ut maligni spiritus vel ordinem physicum perturbent, vel eos, qui recte ratione utuntur, in errores invincibiles inducant. Si vero agitur de bonis spiritibus, hi sunt ministri Dei ad salutem hominum, quos si Deus adhibet ad confirmandam aliquam doctrinam ut revelatam, non minus efficax argumentum est, quam si Deus ipse miraculum patrat. Quare ad nostrum propositum superfluum est inquirere, quid angeli possint, quid vero solus Deus. Etsi enim theoretice constat quaedam soli Deo esse possibilia, ut creationem et cognitionem actuum futurorum liberorum, tamen in singulis miraculis difficillimum est definire, num absolute per angelum fieri potuerint.

81. *Athei, monistae, pantheistae, omnes, qui Deum personalem non agnoscunt, consequenter ad sua principia negant possibilitatem miraculorum;* nam negata causa negatur effectus. Unde cum iis disputare possumus de falsitate principiorum, quibus nituntur; sed quamdiu haec principia retinent, disputare cum iis non possumus de miraculis. Etsi evidens factum miraculosum iis ostenderetur, secundum sua principia responderent se non posse explicare hoc factum, sed miraculum non esse, cum Deus non sit, qui faciat miracula. Supponimus igitur in hac disputatione homines admittentes Deum personalem, omnipotentem, sapientem, sanctum, libere agentem.

Etsi Deus ob varios fines miracula patrare possit, hic tamen miracula solum consideramus ut *signa revelationis divinae.* Qui respectus etiam in Sacra Scriptura praevalet, ita ut miracula communissime appellentur signa, *σημεῖα* (cf. Io 2, 11 18; 3, 2; 20, 30). Miracula sic considerata non sunt unice eventus ordinis physici, sed potissimum per-

tinent ad ordinem moralem et religiosum, et sunt pars quaedam praecipua commercii personalis Dei cum hominibus.

Quemadmodum temporalis mundi creatio est effectus aeterni decreti divini, ita miracula quoque in tempore fiunt, quia Deus ab aeterno decrevit, ut illo tempore fierent. Nihilominus censendum non est inesse in rebus creatis, sicut vires et leges naturales, ita etiam semina quasi quaedam supernaturalia, quae sua sponte sese in miracula evolvant, tum quia nulla ratio est tale quid affirmandi, tum quia specialis operatio divina, quae ad miraculum requiritur, sine talibus dispositionibus creatis sufficit, tum quia miracula non pertinent ad ordinarium cursum rerum, sed sunt aliquid insolitum et extraordinarium, quo attentio hominum excitatur. Nam etsi non minus potentia et sapientia Dei apparet in creatione et providentia divina naturali quam in miraculis, tamen miracula magis immediatum influxum Dei denotant quam ordo naturalis.

82. ***Arg.*** Miracula fieri possunt, si Deo neque potentia neque rationes desunt patrandi miracula. Atqui neutrum deest. Ergo.

Prob. min. pars I. Deo non deest potentia patrandi miracula. Deus non ex necessitate mundum cum suis legibus et viribus produxit sed ex libero consilio. Ergo hae vires et leges et hi effectus sunt in mundo, non quia res aliter esse non potuit, sed quia Deo ita placuit, qui potuit et potest facere indefinite plura et maiora quam reapse fecit. Immo non potest Deus omnipotentiam suam ita exhaurire, ut ultra non iam possit quidquam.

Itaque a) *Deus potest agere supra naturales vires.* Nam si semel potuit effectus producere, ad quos producendos requiritur potentia creatrix, potest iterum et iterum tales effectus producere et e. g. multiplicare materiam, solo imperio voluntatis producere effectus externos, in instanti efficere id, ad quod producendum vires naturales longum tempus requirunt.

b) Qui dedit vires naturales et cum iis concurrit, potest eatenus *agere contra naturales vires,* quatenus potest concursum denegare ad certos effectus producendos et e. g. facere, ut ignis non comburat res combustibiles in eo positas, ut, vi resistentiae impedita, corpora se penetrent. Tunc fit quidem aliquid contra ordinarium cursum eventuum, non vero fit aliquid contra legem causalitatis, quia omnes causae creatae subiciuntur causae increatae.

c) *Deus potest agere contra dispositionem materiae* et e. g. cadaver, quod ineptum est ad informationem animae, restituere in pristinum statum et rursus cum anima coniungere. Qua in re etiam eatenus requiritur potentia divina, quatenus solius Dei est animam e statu termini revocare in statum viae.

d) *Deus potest sine actione creaturae rationalis effectus intentionales producere,* ut sermonem humanum in aëre. Potest etiam immediate agere in spiritus et e. g. eicere daemones.

Omnem hanc potentiam non potest Deo denegare nisi qui negat exsistere Deum omnipotentem et libere agentem.

83. *Prob. min. pars II. Deo dicendae non sunt deesse rationes patrandi miracula.* Nam censendum non est Deum instituendo ordinem naturalem renuntiasse facultati personaliter se manifestandi creaturis rationalibus. Etsi a priori haec communicatio personalis non probatur ita conveniens, ut contrarium sit inconveniens[1], tamen, si placet Deo hoc modo cum hominibus agere, facile intellegitur, quantopere hac ratione potentia, sapientia, caritas Dei erga homines commendetur. Ergo miracula, saltem in quantum pertinent ad ordinem moralem et sunt signa revelationis divinae, dicenda sunt convenientia et Deo digna; nam ordo physicus subordinatur et servit ordini morali. Haec lex omnino servatur, cum ordinarii eventus physici quodammodo perrumpuntur miraculorum patratione (cf. quae de hac re scripsi in «Theologische Zeitfragen» V, Freiburg 1908, 102 sqq).

84. **Obi. I.** Deus non est artifex ineptus. Atqui esset artifex ineptus, si immediato suo interventu mederi deberet defectibus artificii sui. Ergo Deus non ita agit.

Resp. *Nego suppositum minoris.* Deus non patrat miracula ad reparandos defectus mundi physici sed ad fines ordinis moralis et religiosi. Non est autem artifex ineptus, qui artificium facit, quod nemo potest cum absoluto dominio tractare nisi ipse solus, et qui ita ostendit se esse artificem aliis superiorem. Ita autem Deus agit in creatione mundi et patratione miraculorum. Creatione mundi fecit artificium, quod ipse solus facere potest; patratione miraculi ostendit se supremum dominum et principem huius artificii.

85. **Obi. II.** Non est bonus legislator, qui prius leges statuit et dein eas violat. Atqui sic ageret Deus, patrans miracula. Ergo censendus non est patrare posse miracula.

Resp. *Trans. mai. Neg. min.* Deus nullam legem statuit, vi cuius ipse ab immediata productione alicuius effectus sensibilis impediatur. Leges naturales, quae vocantur, sunt constantes modi agendi, quos causae physicae in actionibus suis sequuntur. Has leges colligimus per argumentum inductionis, nixum sufficienti numero observationum et experimentorum. His igitur legibus enuntiatur, quales effectus causae producant, si ipsae secundum modum suum agant; nihil vero statuitur, quid alia causa praeter ipsas possit, vel quomodo ipsae in suis actionibus ab aliis causis modificari, impediri, adhiberi, dirigi possint. Ergo in miraculis nulla lex a Deo laeditur; nam Deus eo quod indidit rebus certas vires, inclinationes, modum agendi, non sibi imposuit legem numquam faciendi quidquam immediate per se ipsum vel numquam adhibendi causas creatas ut instrumenta ad quosdam praeternaturales effectus producendos. Qui contra possibilitatem miraculorum afferunt infragilem catenam legum physicarum, loquuntur, quasi leges phy-

---

[1] Deus convenienter creavit hunc mundum, potuit etiam convenienter creare alium. Unde distinguenda est convenientia positiva et convenientia exclusiva.

sicae absolute et sine ulla condicione semper et ubique eosdem effectus postulent. At hoc est manifeste falsum. Nam variae condiciones negativae (ut remotio causarum impedientium) et positivae (ut concursus divinus) requiruntur, ut certi effectus ex causis prodeant. Ergo si per interventum divinum condiciones mutantur, non postulant leges physicae, ut nihilominus iidem effectus producantur. Utrum condiciones quaedam adsint necne, lege physica non statuitur.

86. ***Obi. III.*** Periret tota certitudo naturalis et scientifica, si miracula fieri possent, quia numquam certi essemus, non adesse miraculum. Ergo miracula fieri non possunt.

Resp. *Neg. antec.* Ita obicere est loqui contra factum. Nam illi, qui miracula admittunt, non minus certi sunt de ordinario cursu rerum quam illi, qui miracula negant. Certi sumus miraculum ibi non fieri, ubi nullum apparet speciale indicium miraculi. Miraculis vult Deus attentos reddere homines ad rem ordinis moralis. Unde miracula neque fiunt quasi subrepticie nullo homine advertente neque tam frequenter, ut cessent esse eventus insoliti et admirationem ciere.

Disciplinae physicae, chemicae, biologicae recte procedunt, si nulla habita miraculorum ratione theses et hypotheses suas statuunt, quia ipsarum est definire naturalem rerum cursum, non specialem Dei effectum, quo communes vires et leges non mutantur. Hoc sensu recte dicitur miraculum non esse obiectum scientiae naturalis. Id solum cavendum est, ne haec falsa conclusio fiat: Intra provinciam scientiae (physicae) miraculum non exsistit; ergo omnino non exsistit. Nam sola scientia phaenomenorum non exhauritur adaequatum obiectum cognitionis humanae, sed per principium causalitatis gressus fit ad causam «transcendentem»: habetur effectus, qui per causas mundanas explicari nequit; ergo requiritur causa supramundana.

Prop. VII. Miracula ut miracula certo cognosci possunt.

87. ***Stat. quaest.*** Si Deus miraculum facit ad ostendendum doctrinam aliquam esse a se revelatam, etiam efficiet, ut homines, quos ita vult instruere, intellegant vere miraculum esse factum. Secus totum esset cassum. Neque quisquam, qui Deum personalem admittit, rationabiliter negare potest Deum esse tam potentem et sapientem, ut, si velit, possit homines certos reddere de miraculo facto. Solum ad conceptus magis explicandos et ad cavillationes quasdam reiciendas nonnulla addere iuvat.

Non dicimus omnes homines de omni miraculo umquam facto cum certitudine iudicare posse, sed dicimus nihil obstare, quominus ii, ad quos instruendos Deus miraculum patrat, ad certum iudicium perveniant.

In miraculo distinguitur *veritas historica* ipsius facti, e. g. quod caecus ad vocem thaumaturgi recipit visum; *veritas philosophica,* i. e. supernaturalitas vel praeternaturalitas talis facti; *veritas relativa* ad probandam revelationem. De tertia hac proprietate postea dicemus.

In hac thesi perpendimus cognoscibilitatem facti historici et cognoscibilitatem indolis supernaturalis talis facti.

88. ***Arg.*** Miraculum certo cognosci potest, si certo cognosci potest et veritas historica et veritas philosophica miraculi. Atqui utraque certo cognosci potest. Ergo.

Prob. min. pars I. Certo cognosci potest veritas historica facti miraculosi. Nam positis debitis condicionibus certo cognosci possunt eventus sensibiles. Atqui miraculum est eventus sensibilis, qui in se ab aliis eventibus non differt, nisi quod est aliquod factum raro et extra solitum rerum ordinem occurrens. Rarum vero et insolitum nihil mutat in perceptibilitate rei, sed potius attentionem auget. Itaque sicut in historia quaedam insolita ob hoc ipsum magis conspicua et certa sunt quam res communiter contingentes (e. g. primus traiectus freti Britannici per machinam volatilem, facinus Herostrati vel alia singularia facta praeteritorum temporum), ita etiam subitanea curatio hominis laborantis morbo gravi et fortasse insanabili et similia facta omnium in se oculos convertunt et diligentius investigari solent. Ergo miracula, in quantum solum considerantur ut quaedam facta sensibilia, sub iisdem condicionibus a praesentibus percipi et per testimonium historicum ad posterorum notitiam pervenire possunt atque quaelibet alia facta sensibilia. Habentur narrationes et miraculorum et naturalium eventuum, in quibus desideratur sufficiens testificatio. Haec secundum praecepta critica aut reicienda aut dubia habenda sunt. Sed a priori dicere omne factum, quod ut miraculosum narratur, ob hoc ipsum habendum esse pro non facto, est assertio levis et spernenda. Sanae criticae insistere est rationabile, sed ex principiis aprioristicis minime evidentibus contra facta et testimonia loqui est stultum. Tale principium est illud plurimorum infidelium: Miraculum fieri non potest; ergo factum non est; testes erant decepti aut deceptores. Revera infideles in reiciendis narrationibus factorum miraculosorum sana critica saepe omnino destituuntur, et ita nomine scientiae abutuntur, ut vere ludibrium scientiae sit.

89. *Prob. min. pars II. Certo cognosci potest veritas philosophica seu praeternaturalitas miraculi.* Nam certo cognosci potest quosdam eventus aut secundum substantiam aut saltem secundum modum, quo fiunt, per vires naturales produci non posse. Atqui effectus, qui per vires naturales produci nequit, requirit causam praeternaturalem. Ergo hoc sensu miracula cognosci possunt ut eventus praeternaturales. *Secundum substantiam* illi eventus sunt supernaturales, qui numquam per naturae vires fiunt, ut est resuscitatio mortui, compenetratio corporum, suspensio legis gravitatis. *Secundum modum* illi eventus sunt praeternaturales, qui quidem fiunt per vires naturales, sed lente et suppositis certis condicionibus, non autem subito et independenter a condicionibus, ut instantanea curatio morbi, vel multiplicatio panis, similia. Nihil

refert, quod saepe non possumus certo distinguere, utrum miraculum aliquod ad primam an ad secundam classem pertineat. Quoties intercedit creatio formaliter vel aequivalenter, est effectus secundum substantiam praeternaturalis (cf. supra n. 82).

Ad hoc ut iudicemus de indole facti miraculosi, necesse non est, nos posse a priori accurate definire, quid absolute naturae vires possint, quid non possint. Idem valet de plurimis rebus naturalibus, de quibus nihilominus plane secure iudicamus. Ita nescimus, quid homines omnes et singuli praesentes et futuri efficere possint; tamen scimus nullum hominem posse ad instar avium volare, quia tota compositio organismi humani obstat. Similiter scimus non posse hominem resuscitare mortuum, neque solo actu voluntatis quidquam extra se operari, neque dicendo «volo, ut sanus sis» omne genus morborum curare. Ergo sicut homines certi sunt, quid secundum vires et leges naturales fiat, etsi theoretice nequaquam omnes has vires et leges perfecte cognoscunt, ita etiam certi esse possunt, talem eventum aut in se aut saltem in talibus adiunctis non posse fieri per leges naturales. Certitudo physica et cognoscibilitas miraculorum sub hoc respectu in eadem linea ponuntur.

90. *Potest etiam cognosci facta miraculosa non esse portenta a diabolo patrata.* Nam Deus, cuius providentia omnia sapienter gubernat, non potest permittere, ut homines per diabolum invincibiliter in errorem ducantur. Ergo si permittit diabolo facere portenta, etiam providebit, ut diabolica eorum indoles cognosci possit. Si opus ipsum, circumstantiae, finis, omnia sunt bona, non est factum diabolicum, quia diabolus semper aliquid mali intendit. Omnia inhonesta, irreligiosa, crudelia, manifeste falsa, ludicra sunt signa mali spiritus, sicut ea, quae ex integro sunt pura, sancta, decora, e bono fonte fluunt. Hoc examen morale, cum instituatur ex principiis aliunde notis, quae a veritate miraculi non dependent, non est circulus vitiosus, quia non concluditur: Quia est miraculum, ideo est bonum; et quia bonum est, ideo est miraculum; sed: Quia opus bonum est, non est diabolicum; et quia est opus, quod per vires materiales et humanas fieri nequit, ideo est ab agente praetermundano. Ergo opus factum est aut a Deo aut a bono angelo (cf. Dt 13, 1 sqq; 18, 15 sqq; Lc 11, 15 sqq; *Suarez,* De myst. vitae Christi disp. 31, sect. 2, n. 8). Ceterum mortuos resuscitare vel generatim facere ea, quae supponunt supremum rerum dominium et potentiam creatricem, diabolus numquam facere potest.

91. *Obi I.* Miracula non fieri est physice certum; homines in miraculo percipiendo, diiudicando, aliis recte tradendo non decipi est ad summum moraliter certum. Atqui certitudo physica est maior certitudine morali. Ergo semper certius est miraculum non esse factum quam esse factum.

Resp. *Dist. mai.:* Physice certum est miracula non fieri per vires physicas, *conc. mai.;* per Deum, *subdist. mai.:* Ubi nulla sunt indicia mira-

culi, *conc. mai.*; ubi sunt sufficientes rationes affirmandi miraculum, *neg. mai. Trans. min. Dist. conseq.*: Certius est miracula non fieri per vires physicas quam fieri, *conc. conseq.*; certius est miracula non fieri per Deum, *subdist. conseq.*: Ubi non sunt indicia miraculi, *conc. conseq.*; ubi sunt rationes sufficientes affirmandi miraculum, *neg. conseq.*

Totum hoc argumentum nititur falso supposito, quasi certitudo physica de viribus et legibus physicis, et certitudo moralis de interventu divino sint testimonia pugnantia de eadem re, quod est manifeste falsum. Certitudo illa physica nihil testatur de interventu Dei, et certitudo illa moralis nihil testatur de ordine naturali, sed sunt testimonia diversi ordinis et de diversis rebus, quae inter se non commensurantur.

Idem fere dicendum de obiectione: Experientia milies milium hominum constat mortuos non resurgere; experientia paucorum testatur mortuum resurrexisse. Obiectio nihil valet. Sunt enim testimonia de diversis rebus, i. e. de cursu naturali rerum et de speciali actione divina.

92. *Obi II.* Illi qui testantur miraculum, dicunt se vidisse eventum per vires et secundum leges naturales, et simul dicunt in eo eventu aliquid factum esse praeter vires et leges naturales. Ergo sibi contradicunt.

Resp. Dist. antec. Dicunt subiectivum actum cognitionis factum esse naturaliter, et obiectivum factum esse supernaturale, *conc. antec.* De eadem re affirmant eam esse naturalem et praeternaturalem, *neg. antec.* Et *neg. conseq.*

Similes obiectiones facile multiplicari possunt; quae non sunt seriae difficultates, sed potius ostendunt angustias infidelium respectu eventuum supernaturalium, qui sunt radix religionis christianae et per fructus suos exsistentiam et vitam suam manifestant. Tolle e religione facta supernaturalia: religio infirmabitur et morietur. Ideo tam vehementer haec facta impugnant; et si aliud non iam restat, proclamant eos omnes, qui admittant miracula, renuntiare scientiae, cum in foro scientiae iam diu et in perpetuum iudicatum sit de miraculorum reprobatione. Sed tritis phrasibus nihil efficitur (cf. Praelect. dogm. I, n. 75 190).

93. *Obi III.* Miraculorum testes plerique sunt homines indocti, ad superstitionem propensi, arte critica destituti, viventes ea aetate, qua multae res, nunc communes et omnibus notae, habitae essent prodigiosae (machinae vaporatae et electricae, telegraphia, telephonia, alia plurima), ut etiam multae morborum curationes, quae nunc fiunt per suggestiones vel hypnotismum. Ergo censendum est homines priorum temporum esse ignorantia sua vel etiam fraude habilium praestigiatorum adductos ad habenda miracula, quae erant facta plane naturalia.

Resp. Nego suppositum argumenti. Dummodo sufficienter constet de ipso facto et circumstantiis eius, nos nostro proprio intellectu, utentes ope scientiae excultae, ipsi possumus de indole facti iudicare, neque debemus nos credulitati priscorum hominum committere. Factum ipsum sensibile potuerunt homines videre. Si insolitum factum prius apparet prodigiosum, cum non sit, paulatim res detegetur, sicut accidit, quando primum currus vapore movebantur vel telegrammata mittebantur. Porro non solum quaeritur, quid quibusdam mediis nunc effici possit, sed quomodo explicandus

sit eventus sine talibus mediis effectus. Christus e. g. usus non est instrumentis electricis neque variis artibus, quas ad curandum adhibent hypnotistae, sed solo imperio suo curavit morbos diversissimos. Faciant simile quid, si possunt, viri de progressu scientiae adeo gloriantes. Quidam eventus, secundum substantiam praeternaturales, numquam fieri possunt per vires naturales, ut resuscitatio mortui. Deinde etiam viri docti nostrorum temporum non omnes fuerunt vel sunt increduli, sed multi ex iis et miracula admiserunt et in facta recentia diligenter inquisiverunt. Suppositio vero notitiae occultarum virium, quam fortasse thaumaturgi habuerint, vel concursionis fortuitorum est nimis gratuita, quam ut possit esse seria.

Multa miracula falso asserta, sicut multa dogmata scientifica falso statuta sunt. Sed sicut scientia non est reicienda propter falsas theses aliquando statutas, ita miracula non sunt simpliciter neganda, quia quaedam miraculorum narrationes fabulae sunt.

Prop. VIII. Miracula, in confirmationem revelationis patrata, sunt certa revelationis signa.

94. *Stat. quaest.* Omne miraculum eo ipso, quod patratur, est manifestatio Dei personalis, supramundani, potentia sua omnes vires creatas superantis. Itaque si vel unum miraculum umquam vere factum est, efficax est argumentum exsistentiae Dei et variarum perfectionum divinarum. Unde mirum non est atheos et pantheistas pertinaciter negare omne miraculum, quia admisso miraculo admittere debent consequentias morales et religiosas, quas nolunt (cf. Praelect. dogm. I, n. 128).

Sed praeterea alia inest vel saltem inesse potest miraculo vis probandi. Nam si quis dicit se esse legatum a Deo missum ad divinam revelationem hominibus annuntiandam, et si ad probandam hanc assertionem patrat miraculum, provocat ad Deum ut testem veracitatis suae. Itaque in hoc casu miraculum praeter significationem, quae ex essentia rei ipsi inest, novam significationem seu veritatem accipit relate ad factum revelationis, in cuius confirmationem patratur. Etiam haec res videtur ex conceptu suo perspicua. Nihilominus maioris claritatis gratia eam paullo magis explicemus, et adversariorum obiectiones audiamus.

95. *Arg.* Deus non potest testari ut verum, quod est falsum. Atqui Deus patrans miraculum, quando rogatur hoc facere in signum revelationis, testatur revelationem vere esse factam. Ergo in his condicionibus miraculum est certa revelationis probatio.

Prob. min. Solus Deus potest facere miraculum, vel per se vel per causam instrumentalem. Quare thaumaturgus, qui ad probandum factum revelationis miraculum postulat, Deum invocat testem veritatis assertionis suae. Ergo si miraculum fit, Deus exaudit hanc postulationem, et testatur revelationem vere esse factam.

Nisi Deus vellet testari veracitatem thaumaturgi, *fortuito* tantum coincideret patratio miraculi cum invocatione testimonii divini. Atqui hoc admittere est in se irrationabile, quia explicatio, quae fit per recursum ad casum, est explicatio nulla; et pugnat etiam cum sapientia et sanctitate Dei, qui non potest in iis circumstantiis agere, ut homines necessario iudicent ipsum testari ut verum, quod thaumaturgus dicit, quamvis reapse falsum sit. Si quis rogatur signo externo manifestare se assentire dictis alicuius, et si hoc signum dat, omnes homines accipiunt hoc ut testimonium assensus. Ergo si Deus in eadem condicione signum daret, quamvis revelatio non esset vere facta, esset testis falsus, quod est impossibile.

Neque recurrere licet ad occultos aliquos fines, ob quos nihilominus Deus miraculum patrare potuerit. Nam omnis certitudo periret, si res, quae ex natura sua sunt signa veritatis, ob occultos fines possent a Deo fieri ita, ut confirmarent falsitatem. Multo minus intellegi potest, quomodo Deus vitam hominis, qui se legatum divinum mentiatur, possit continua quadam miraculorum serie insignire, ut factum est in vita Christi.

Tandem potest Deus voce miraculose producta diserte declarare hunc hominem esse legatum divinum. Sed quomodocumque Deus testimonium hominis confirmat, numquam potest miraculo falsum confirmare ut verum.

Homo, sensibus adstrictus, qui non potest ipsum factum revelationis immediate videre, nulla re magis commovetur ad revelationem admittendam, quam si videt signum sensibile in testificationem revelationis a Deo fieri. Quare Deus comprobans revelationem miraculo, naturae humanae se accommodat et modo maxime convenienti hominem ad fidem ducit.

96. *Obi. 1.* Miraculum est factum contingens; ea quae credenda proponuntur sunt veritates necessariae. Atqui ea, quae sunt contingentia, non possunt esse argumentum veritatum necessariarum. Ergo miraculum non potest esse argumentum revelationis.

Resp. *Neg. min. et suppositum eius.* Minor est falsa, quia factum contingens optime potest ducere nos ad cognitionem veritatis necessariae, quemadmodum ex mundo contingenti cognoscimus eius causam necessariam, Deum. Utique facta contingentia non sunt ontologicum fundamentum veritatum aeternarum, sed possunt esse logicum medium cognoscendi veritates aeternas, quia cognitio nostra est etiam factum contingens. Si hoc fieri nequit, cur adversarii scribunt libros, sane contingentes, ad docendas propositiones necessarias? Omnis probatio veritatis necessariae, quae hominibus fit, est factum contingens.

Falsum suppositum minoris est, miracula fieri ad probandum obiecta fidei esse vera. Non ad hoc fiunt, sed ad ostendendum Deum revera revelasse ea, quae legatus praedicat. Motivum vero credendi res revelatas non est miraculum sed auctoritas Dei revelantis.

97. *Obi. II.* Illud, quod difficillime ab hominibus admittitur, non est ratio apta ad persuadenda ipsis ea, quae facilius admittuntur. Atqui ab hominibus nostrae aetatis difficillime admittitur miraculum; multo facilius admittitur doctrina Christi propter internam eius veritatem et pulchritudinem. Ergo nostra aetate non iam apte proponuntur miracula ad persuadendam doctrinam Christi, sed potius haec doctrina commendanda est rationibus internis.

Resp. *Trans. mai. Dist. min.:* Homines, quibus a priori persuasum est non posse fieri miracula, difficillime admittunt miracula, *conc. min.;* homines, qui non obstinate falso illi principio adhaerent, difficillime admittunt miracula, *neg. min. Dist. conseq.:* Ergo non apte proponuntur miracula iis, qui a priori ea reiciunt, *transeat conseq.;* non apte proponuntur ceteris hominibus, *neg. conseq.*

Quamdiu quis absolute non vult admittere miracula, non potest fieri christianus, quia quaedam miracula sunt etiam obiectum fidei, ut resurrectio Christi. Ergo nihil iuvat talibus hominibus commendare doctrinam Christi rationibus internis. Nam sic non possunt pervenire ad fidem, tum quia partem veritatum revelatarum reiciunt, tum quia non credunt auctoritati Dei, sed solis suis ratiociniis vel placitis adhaerent. Itaque quamdiu in hac mentis dispositione voluntaria manent, credere nequeunt.

Unde errant ii catholici, qui putant se his infidelibus viam ad fidem planiorem reddere attenuando vel occultando, quantum possunt, opera Dei supernaturalia. Qui paratus non est pure et simpliciter se subicere revelationi divinae, sed suam rationem constituit supremam veri normam, huic miracula nihil probant, non quia deest miraculis vis probandi, sed quia deest homini humilitas necessaria ad fidem.

Merito igitur auctoritas ecclesiastica hanc thesim statuit: «Probatio ex miraculis Iesu Christi desumpta, sensibilis et percellens pro testibus ocularibus, vim suam et fulgorem nequaquam amisit quoad generationes subsequentes. Invenimus enim hanc probationem omni cum certitudine in authenticitate Novi Testamenti, in traditione orali et scripta omnium christianorum. Hac duplici traditione debemus eam [scil. revelationem] demonstrare iis, qui vel eam reiciunt vel nondum admissam requirunt» (*Denz.* n. 1624). In iuramento a *Pio X* die 1. Sept. 1910 praescripto sub n. 2 haec affirmantur: «Externa revelationis argumenta, hoc est, facta divina, imprimisque miracula et prophetias admitto et agnosco tamquam signa certissima divinitus ortae christianae religionis, eademque teneo aetatum omnium atque hominum, etiam huius temporis, intellegentiae esse maxime accommodata» (*Denz.* n. 2145).

CAPUT IV.

DE VATICINIIS.

Cf. *S. Thomas,* Quaest. disp. de verit. q. 12; *Suarez,* De fide disp. 8, sect. 3 sqq; *H. Denzinger,* Vier Bücher von der religiösen Erkenntnis II 402 sqq; *I. B. Becker,* Die Weissagungen als Kriterien der Offenbarung, Mainz 1890.

Prop. IX. Etiam vaticinia possunt esse criteria apta revelationis.

98. *Stat. quaest.* Vaticinium et prophetia interdum eodem sensu accipiuntur. Sed prophetia sensu latiore significat quemlibet nuntium,

qui nomine Dei ab homine affertur (cf. *Cornely*, Introductio in libros V. T. II, n. 242 sqq). *Vaticinium est certa praedictio futuri eventus, qui ex principiis naturalibus praesciri non potest.* Obiectum eius praecipue sunt actus liberi Dei vel creaturarum. Huc revocari potest *cardiognosia*, qua quis cognoscit secreta cordium, soli Deo aperta.

Vaticinium est miraculum ordinis intellectualis. Per miraculum magis manifestatur omnipotentia divina, per vaticinium omniscientia. Sicut in miraculo, ita etiam in vaticinio tria distinguenda sunt: historicum factum praedictionis et impletionis, iudicium de indole supernaturali vaticinii, vis probandi veritatem revelationis. Est autem haec differentia: miraculum statim, cum patratur, est obiectum, in cuius indolem inquiri, et cuius vis probandi perspici potest; vaticinium per se tum tantum ut verum factum supernaturale et ut argumentum certum revelationis cognosci potest, cum impletum est.

Sicut miraculum, ut est effectus sensibilis, plerumque est res naturalis, ita etiam in vaticinio tam praedictio quam impletio possunt esse res naturales. Sed sicut in miraculo modus, quo eventus e causa procedit, est supernaturalis, ita in vaticinio modus, quo propheta cognitionem futurorum accipit, est supernaturalis. Ceterum quia supernaturalis cognitio futurorum est revelatio, ea quae supra (n. 54 sqq) de revelatione dicta sunt, huc pertinent.

99. ***Arg.*** Ut vaticinium sit aptum criterium revelationis, debet esse possibile, debet cognosci posse ut factum supernaturale, debet habere vim probandi revelationem. Atqui tria haec obtinent. Ergo.

Prob. min. pars I. Vaticinium est possibile. Nam Deus, utpote intellectus infinitus, cognoscit omnia, etiam libera futura, et potest revelare alicui homini quaedam, quae ipse scit de futuris contingentibus, ut patet ex iis, quae supra (n. 62 sqq) de possibilitate revelationis statuimus.

100. *Prob. min. pars II. Vaticinium cognosci potest ut factum supernaturale.* Non indiget probatione posse audiri hominem praedicentem futuros eventus, et posse postea videri, utrum illud, quod praedictum est, revera fiat necne. Supponimus agi de eventibus sensibilibus, qui ab hominibus cognosci possint. Etiam ad posteros tam praedictionis quam impletionis notitia per testes transferri potest, ut habeatur certa rei cognitio sub iisdem condicionibus, sub quibus alia facta historica cognosci possunt.

Vaticinium autem esse factum supernaturale constat, si cognitio eventus futuri solum per interventum Dei praeternaturalem acquiri potuit. De hoc autem positis debitis condicionibus cum certitudine iudicium fieri potest.

Nam cum de futuris liberis agitur, eorum praedictio est aut fortuita aut coniecturalis aut certa. Pure *fortuitae praedictionis* im-

pletio eo magis excluditur, quo magis multiplicia et determinata sunt, quae praedicuntur. Qui sine ullo fundamento aliquid futurum asserit, casu potest interdum dicere id, quod postea revera fit, si agitur de aliquo simplici eventu, qui saepe accidit, ut si diceret quis: Post annum hoc ipso die pluet. Sed saepe etiam in his rebus falletur. Quo magis autem indicantur multa et minuta adiuncta, eo minus eventus praedictioni temerariae respondebit; nam quae per accidens fiunt, raro fiunt. Ergo si actus liberi futuri cum multis determinatis circumstantiis temerarie praedicuntur, prorsus improbabile est futurum, ut eventus praedictioni respondeat. Maxime effectus, qui a libera Dei voluntate pendent, sic praedici non possunt (cf. *Ottiger*, Theol. fundam. I, n. 233 sqq).

Idem valet de *coniecturali praedictione*. Potest interdum homo ex observationibus prius factis cum quadam morali certitudine aliorum hominum agendi rationem conicere, sed solum si agitur de nudo et simplici facto neque tempore valde remoto. Quid autem hi vel illi homines post longum tempus facturi sint tali die, tali loco, sub talibus circumstantiis, nemo cum certitudine coniecturis psychologicis assequi potest.

Itaque *signum certum divinae revelationis habetur, quando cum certitudine praedicuntur res complexae, tempore remotae, cum adiunctis, quae hic et nunc in causis nondum sunt determinata, sed undequaque a libera voluntate Dei vel hominum pendent* (cf. *S. Thomas* 2, 2, q. 171, a. 6 ad 2 et q. 172, a. 1).

Angeli, sive boni sive mali, naturaliter multa sciunt, quae homines nesciunt, et sic possunt aliqua praedicere, quae sunt vaticinia quoad nos, sicut supra (n. 80) dictum est de miraculis. Ita fortasse varia facta explicanda sunt, quae narrantur de oraculis ethnicorum (cf. Act 16, 16 sqq), quamvis multa in iis fraudi adscribenda sint, ut iam veteres ipsi observarunt, e. g. *Cicero* (De divinat. 2, 56). Ceterum *angeli naturaliter non cognoscunt libera futura cum certitudine, minime omnium decreta divina de futuris* (cf. Is 41, 23 sqq; 46, 9 sq). Boni angeli possunt in vaticiniis, ut in miraculis, adhiberi ut instrumenta Dei. Quod si fit, Deus ipse agit ut causa principalis. Sed etiam mali angeli subsunt providentiae divinae, quae non patitur homines, ratione utentes, duci invincibiliter in errores; malitia daemonum apparebit aut in re praedicta, aut in circumstantiis praedictionis, aut in fine. Nam quidquam simpliciter bonum diabolus non facit.

101. *Prob. min. pars III. Cognosci potest vaticinium ut certum revelationis criterium.* Nam Deus potest praedicere hominem exstiturum illo tempore, illo loco, his et illis signis ab omnibus aliis hominibus distinctum, et hunc hominem esse legatum suum et testem veracem revelationis divinae. Ita factum est de Christo, ut postea videbimus, et hoc argumento veteres Patres saepe et efficaciter usi sunt ad convertendos gentiles. Revera hoc argumento vix excogitari

potest evidentius ad demonstrandum hominem tali modo praedictum esse legatum Dei.

Alio modo vaticinium impletum potest esse argumentum revelationis, quando propheta dicit: Ut cognoscatis me vere annuntiare vobis revelationem divinam, en, hoc vel illud, quod nemo nunc praevidere potest nisi solus Deus, nomine Dei vobis praedico, ut, cum factum fuerit, cognoscatis me vera locutum esse. Sic enim Deus eodem modo ut testis invocatur, quo in aliis miraculis; et si tunc implet, quod praedictum est, testatur hominem nomine Dei locutum esse. Neque magis permittere potest Deus, ut homo abutatur notitia divinitus accepta, quam ut abutatur miraculo ad homines decipiendos. Et quo magis legatus apparet instructus dono prophetiae, eo magis hoc argumentum urget (cf. quae scripsi in «Theologische Zeitfragen» V, 110 sqq).

102. *Obi. I.* Praedictio futurorum eo ipso est impossibilis, quod sic libera necessario evenirent. Ergo admittenda non est.

Resp. *Dist. antec.:* Necessario evenirent necessitate consequenti, *conc. antec.;* necessitate antecedenti, *neg. antec.* Necessitas autem consequens non impedit libertatem. Sicut actus, quando libere fit, non potest simul non esse, ita actus, qui futurus est, non potest simul non esse futurus. Haec necessitas vocatur consequens, quia sequitur exsistentiam praesentem vel futuram actus, et sic etiam actus liberi sunt necessarii. Necessitas autem antecedens tum adest, cum actus iam antecedenter ad exsistentiam determinatus est in causis suis, sicut fit in omnibus agentibus non liberis, quae in iisdem condicionibus eosdem semper effectus producunt. De his postea plura in tractatu de praescientia Dei.

103. *Obi. II.* Vaticinia solent esse tam indeterminata, ut de eorum impletione non possimus certo iudicare. Ergo inutilia sunt.

Resp. Haec est quaestio facti, quam postea inspiciemus. Ceterum hic iam notare iuvat artificium quoddam rationalistarum. Qui, quando vaticinium videtur minus determinatum, dicunt: Nihil probat. Quando est valde determinatum, dicunt: Haec res ante eventum tam determinate non potuit sciri; ergo est vaticinium post eventum. Non ob aliam rationem ita loquuntur, nisi quia vaticinia a priori aeque oderunt atque miracula.

104. *Obi. III.* Etiam gentiles habebant oracula et alia vaticinia, neque tamen eorum religio erat divina. Ergo vaticinia non probant divinam originem religionis.

Resp. Inter oracula gentilium et vera vaticinia est maxima differentia, quia illorum oracula saepe erant ambigua, ut illud: «Croesus, Halyn penetrans, magnam pervertet opum vim» (i. e. aut hostium regnum evertet aut suum), saepe erant falsa. *Cicero* scribit: «Tuis [Apollinis] oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione saepissime, partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete et sors ipsa referenda sit ad sortes, partim ambiguis et quae ad dialecticam deferenda sint» (De divinat. 2, 56). Vera autem vaticinia, ut diximus, debent esse certa et determinata.

Alia est differentia inter veros prophetas et vates gentilium. Pythia et alii vates, insania furentes, proferebant, quae ipsi non intellegebant. Verus propheta a Deo illuminatur, ut revelata recte percipiat et alios docere possit. Hanc differentiam iam indicat *S. Paulus* (1 Cor. 12, 2; 14, 32 sq). Indigna multa, quae in oraculis gentilium fiebant, satis ostendunt, ibi, si aderat altior quaedam potestas, fuisse potestatem diabolicam, id quod multi Patres docent; et hoc suadetur eo, quod ad praesentiam servorum Christi oracula tacebant (cf. Praelect. dogm. III, n. 414). Ceterum quae ibi fuerint fraudes hominum, quae operationes daemonum, difficile est diiudicare (cf. *Fr. Leitner,* Die prophetische Inspiration, Freiburg 1896, 29 sq).

Non repugnat Deum dedisse gentilibus revelationem, non ut confirmaret idololatriam, sed ut duceret eos ad veritatem. Non pauci Patres censent, in *libris Sibyllinis* vere esse vaticinia divina de futuro Messia. At libri illi, prout nunc exstant, partim iudaicae partim christianae originis sunt. Unde ex iis de vaticiniis gentilium vix quidquam discimus (cf. *C. Alexandre,* Oracula Sibyllina, Parisiis 1856).

Somnambulismus, magnetismus, spiritismus, similia comparanda non sunt cum prophetiis, quia prophetarum doctrina est sana, moralem et religiosum ordinem promoveus, directa ad fines Deo dignos, non, sicut illa phaenomena, res morbida, animae et corpori nociva et cum malis effectibus moralibus saepe iuncta. De magnetismo et aliis occultioribus vitae psychicae phaenomenis agi solet in philosophia (cf. *T. Pesch,* Institutiones psychologicae II, Friburgi 1897, n. 695 sqq) et in theologia morali (cf. *Lehmkuhl,* Theologia moralis I[11], n. 499 sqq). Quare hic nihil addendum videtur.

PARS I.

DE IESU CHRISTO LEGATO DIVINO.

CAPUT I.

DE FONTIBUS HISTORIAE IESU CHRISTI.

PRAENOTANDA.

105. Vidimus revelationem divinam esse possibilem. Quaeritur iam, num Deus reapse positivam revelationem hominibus dederit. Quae quaestio partim est historica, partim philosophica. *Historice* quaeritur de facto externo revelationis; *philosophice* quaeritur de interna indole huius facti, num notas revelationis divinae prae se ferat.

Inter revelationes, quae factae esse dicuntur, ob rationes supra (n. 26) indicatas, imprimis consideratione digna est *illa revelatio, cuius Iesus Christus est auctor*. Imprimis igitur quaerendum, quid de hac revelatione historice constet.

Iam si agitur de facto historico praeteritorum saeculorum stabiliendo, ante omnia auctoritas documentorum, quorum testimonio nitimur, in tuto collocanda est. Inter documenta autem, quae hic in quaestionem veniunt, praecipua sunt quattuor evangelia, quia ex his maxime hauriuntur ea, quae de vita, dictis, factis Iesu Christi scimus. De horum igitur librorum genuinitate agendum est, et quidem de sola genuinitate, non de inspiratione neque de canonicitate eorum, quia interim hos libros non consideramus ut fontes dogmaticos, sed simpliciter ut fontes historicos, sicut alios quoslibet fontes historicos. Aliis vero libris praeter evangelia utemur ut documentis illius aetatis, cui ex consensu eruditorum assignantur.

Altera quaestio necessaria est, num libri genuini ad nos pervenerint incorrupti seu integri. Tertia quaestio est, num scriptores illorum sint fide digni. Itaque ex ordine agendum est de genuinitate, de integritate, de credibilitate evangeliorum.

Quaestio de genuinitate alicuius libri est quaestio historica, quae praecipue solvenda est criteriis externis, i. e. sufficienti numero testium aptorum. Criteria interna, ex indole libri desumpta, secundo loco veniunt et serviunt ut confirmatio criteriorum externorum, praesertim quatenus ostendunt nihil obstare genuinitati libri.

Argumenta historica, testificatione hominum nixa, sunt argumenta moralia, quae non parant certitudinem metaphysicam sed moralem, veram tamen, dummodo condiciones impletae sint, quae ad bonum argumentum morale requiruntur.

ARTICULUS I.
DE GENUINITATE EVANGELIORUM.

Cf. *Cornely,* Introduct. in libros N. T., et generatim: Introductiones in S. Script. N. T.; *Meignan,* Les évangiles et la critique au 19e siècle [2], Paris 1870; *I. Schaefer,* Die Evangelien und die Evangelienkritik [2], Freiburg 1911; *Bougaud, Schanz* etc. in libris iam supra ante n. 26 citatis.

Prop. X. Quattuor evangelia secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, Ioannem sunt genuina.

106. ***Stat. quaest.*** Omnibus notum est, quae sint quattuor nostra evangelia. Vocabulum *evangelii,* quod soli libro Marci praefixum invenitur, habet hic significationem «boni nuntii», qui bonus nuntius est annuntiatio salutis messianicae, quam iudaei exspectabant (cf. Lc 4, 16 sqq). Evangelia non sunt biographia Iesu Christi sed brevis conspectus eorum, quae variis lectoribus de salute messianica exponenda videbantur. Ideo libri non vocantur evangelium Matthaei, etc., sed evangelium Iesu Christi secundum Matthaeum etc. Nihilominus nomina apposita indicant scriptores librorum. Ab initio nomen evangelii non significabat scriptum librum, sed praedicationem doctrinae christianae (Rom 1, 1 9 16). Postea etiam quattuor illi libri vocati sunt evangelia. *S. Augustinus* monet potius loquendum «de quattuor libris unius evangelii», quam de «quattuor evangeliis». (In Ioan. tract. 36, n. 1.) Nihilominus iam primis saeculis usus obtinuit loquendi de quattuor evangeliis.

Evangelia sunt genuina, si vere scripta sunt a Matthaeo, Marco, Luca, Ioanne. De qua re unanime est testimonium antiquitatis; et quidem Matthaeus et Ioannes intelleguntur duo apostoli, i. e. duo immediati discipuli Christi, Marcus autem et Lucas discipuli apostolorum. Non constat de accurato tempore scriptionis. Omnes fere nunc admittunt tria prima evangelia («synoptica») scripta esse inter annos 40—80, Ioannis vero evangelium circa finem primi saeculi nostrae aerae. Evangelium Matthaei nobis transmissum non est nisi in versione graeca, iam primo saeculo confecta. De hac versione testes omnes fere unice loquuntur.

107. ***Arg. 1.* Ex testimonio universalis ecclesiae saeculo secundo exsistentis.**

Cum evangelia prodierint e sinu ecclesiae antiquae, genuina censenda sunt, si haec ecclesia ea universaliter et indubitanter genuina habuit. Atqui ita est. Ergo.

Ad mai.: Ecclesiae antiquae plurimum intererat nosse et testificari, quaenam scripta essent fontes genuini, ex quibus hauriretur notitia dictorum et factorum Christi, quia haec scripta erant norma fidei et morum. Unde christiani sine dubio restitissent, si quis voluisset iis in hac gravissima re spuria et dubia pro genuinis et certis obtrudere. Praeterea primis temporibus valde viva erat traditio oralis, quia ab initio haec unica fere via erat propagandi cognitionem Iesu Christi et doctrinae eius. Ergo si mox post evangelia in lucem edita testimonium universae ecclesiae, per orbem dispersae, de genuinitate evangeliorum adest, habetur argumentum splendidius genuinitatis quam pro ullo libro profano antiquitatis, quia est testimonium publicum de re ad totam societatem christianam pertinenti. Atqui tale testimonium iam e saeculo secundo habetur et deinceps per sequentia saecula serie testium numquam interrupta continuatur.

108. *Ad min.* Contra Marcionem, qui circa a. 150 ab ecclesia defecerat, urget *Tertullianus* standum esse in traditione apostolica. «Utique constabit id esse ab apostolis traditum, quod apud ecclesias apostolorum fuerit sacrosanctum. . . . Dico itaque apud illas, nec solas iam apostolicas, sed apud universas, quae illis de societate sacramenti confoederantur, id evangelium Lucae ab initio editionis suae stare, quod cum maxime tuemur. . . . Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum ceteris quoque patrocinabitur evangeliis, quae proinde per illas et secundum illas habemus, Ioannis dico et Matthaei, licet et Marcus quod edidit, Petri affirmetur, cuius interpres Marcus; nam et Lucae digestum Paulo adscribere solent» (Adv. Marcion. 4, 4 5). Ibidem (4, 2) testatur Matthaeum et Ioannem fuisse apostolos, Lucam et Marcum viros apostolicos. Hoc testimonium provenit ex ecclesia africana.

In Gallia *S. Irenaeus,* episcopus lugdunensis, qui in Asia minore discipulus S. Polycarpi, apostolorum discipuli, fuerat, et qui magnum opus adversus haereses scripsit inter annos 180—190, non minus inculcat inhaerendum esse traditioni apostolorum. «Non enim per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus quam per eos, per quos evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc praeconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostrae futurum. . . . Ita Matthaeus in hebraeis ipsorum lingua scripturam edidit evangelii. . . . Marcus, discipulus et interpres Petri, et ipse, quae a Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit. Et Lucas autem, sectator Pauli, quod ab illo praedicabatur evangelium, in libro condidit. Postea et Ioannes, discipulus Domini, qui et supra pectus eius recumbebat, et ipse edidit evangelium, Ephesi Asiae commorans» (3, 1). «Neque autem plura numero, quam haec sunt, neque pauciora capit esse evangelia» (3, 11).

In ecclesia alexandrina testatur *Origenes* se ex traditione accepisse quattuor evangelia Matthaei, Marci, Lucae, Ioannis, «quae sola in universa Dei ecclesia, quae sub caelo est, citra controversiam admittuntur» (In Matth. tom. I; In Luc. hom. 1; In lib. Iesu Nave hom. 7, n. 1; *M* 12, 857; 13, 829 1803).

Ante Originem *Clemens Alex.* ea tantum vult admittere ut verba Christi, quae «in nobis traditis quattuor evangeliis» habemus (Strom. 3, 13; *M* 8, 1194); et refert «traditionem quandam de ordine evangeliorum, quam a vetustioribus presbyteris acceperit» (apud *Euseb.* H. E. 6, 14).

In ecclesia romana *Hippolytus* «quadripartitum evangelium» saepe allegat (cf. *Bonwetsch,* Studien zu den Kommentaren Hippolyts, Leipzig 1897, 19 sqq). Ex eadem ecclesia provenit *Fragmentum Muratorianum,* i. e. catalogus librorum, quos saeculo II ecclesia romana aut recipiebat aut reiciebat. Initium deest. «Tertium evangelii librum secundum Lucam. Lucas iste medicus post ascensum Christi, cum eum Paulus quasi itineris [*vel* litteris] studiosum secum assumpsisset, nomine suo ex ordine conscripsit; Dominum tamen nec ipse vidit in carne. Et idem [*vel* ideo], prout assequi potuit, ita et a nativitate Iohannis incipit dicere. Quartum evangeliorum Iohannis ex discipulis. . . . Et ideo, licet varia singulis evangeliorum libris principia doceantur, nihil tamen differt credentium fidei, cum uno ac principali spiritu declarata sint in omnibus omnia de nativitate, de passione, de resurrectione» (*Zahn,* Geschichte des neutestamentlichen Kanons II, 139 sq; cf. *Kirch,* Enchir. n. 134 sq).

His omnibus vestutior *Iustinus Martyr* loquitur «de apostolorum commentariis (*ἀπομνημονεύμασιν*), quae vocantur evangelia» (Apol. 1, n. 66), et dicit hos commentarios partim ab apostolis, partim ab eorum discipulis esse scriptos (Dial. cum Tryphone n. 103). Nomina scriptorum non indicat, sed plurima ex illis commentariis allegat, ex quibus efficitur eum admisisse nostra quattuor evangelia, nulla alia. Testatur autem in conventibus christianorum diebus dominicis lecta esse evangelia cum scriptis prophetarum (Apol. 1, n. 67).

Addi potest his testimoniis Diatessaron *Tatiani,* i. e. harmonia quattuor evangeliorum, quod opus, circa annum 170 scriptum, ostendit ea aetate nostra evangelia iam diu fuisse in usu.

Immediatus apostolorum discipulus erat *Papias*, episcopus hierapolitanus in Phrygia, qui circa annum 125 teste *Eusebio* (H. E. 3, 39) scripsit quinque libros «De interpretatione oraculorum dominicorum», ex quibus pauca fragmenta supersunt. In uno ex illis de Marco ait «Marcum, Petri interpretem, quaecumque memoriae mandaverat, diligenter perscripsisse, non tamen ordine pertexuisse, quae a Domino aut dicta aut gesta fuerant (*τὰ ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ ἢ λεχθέντα ἢ πραχθέντα*). Neque enim ipse Dominum audiverat aut sectatus fuerat umquam. Sed cum Petro, ut dixi, postea versatus est, qui pro audientium utilitate, non vero ut sermonum (*λόγων*) Domini historiam

contexeret, evangelium praedicabat.» De Matthaeo vero ait: «Matthaeus quidem hebraico sermone divina scripsit oracula *(τὰ λόγια)*; interpretatus est *(ἡρμήνευσε)* autem unusquisque illa, prout potuit.» De Luca nihil legitur in fragmentis. De Ioanne testimonium refertur in prologo ad evangelium Ioannis (e codice saeculi IX): «Incipit argumentum secundum Iohannem. Evangelium Iohannis manifestatum et datum est ecclesiis ab Iohanne adhuc in corpore constituto, sicut Papias nomine Hierapolitanus, discipulus Ioannis carus, in exotericis, i. e. in extremis quinque libris retulit.» De hoc fragmento docti diversimode sentiunt (cf. *Funk,* in Papiae fragmentum 17, et *Zahn,* Geschichte des neutestamentlichen Kanons I, 898 sqq).

Itaque pro genuinitate evangeliorum habentur tam splendida testimonia, ut, nisi haec sufficiant, nullius libri antiqui genuinitas probari possit (cf. Praelect. dogm. I, n. 128). Qui hanc genuinitatem negat, non potest ulla probabili ratione explicare, quomodo iam saeculo II consensus tam firmus et tam universalis ortus sit, nullo homine reclamante, nullo dubitante, et ita quidem, ut testes ascendant usque ad ipsa apostolorum tempora.

109. Sed praeterea *multi alii sunt testes vetustissimi, qui ex quattuor evangeliis varia allegant.* In editione operum Patrum apostolicorum, quam *Funk* vel alii paraverunt, in indicibus indicantur verba a Sacra Scriptura citata. Unde omissis locis minus perspicuis haec colliguntur. Epistula *Barnabae* ter citat Matthaeum, *Clemens Rom.* semel Matthaeum, semel Lucam, *Ignatius M.* quater Matthaeum, semel Ioannem; *Polycarpus* quater Matthaeum, semel Marcum, bis Lucam; *Hermas* sexies Matthaeum, bis Marcum, semel Lucam, bis Ioannem. Plerumque in his citationibus nomina evangelistarum non adduntur, sed adhibentur generales loquendi formulae «sicut Scriptura dicit», «scriptum est», vel similes. E. g. in «Doctrina duodecim apostolorum» (8, 2) legimus: «Neque orate sicut hypocritae, sed sicut praecepit Dominus in evangelio suo, ita orate: Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen ...» et cetera, quae apud Matthaeum 6, 9 sqq leguntur. Vel *Polycarpus* (2, 3): «Memores eorum, quae dixit Dominus docens: Nolite iudicare, ne iudicemini» et alia, quae leguntur apud Matthaeum 7, 1 sqq. Ita iam in parvis illis scriptis Patrum apostolicorum evangelia commemorantur. Multo autem ampliores citationes habentur apud Patres, qui dicuntur Apologetae. Lege e. g. *Iustini M.* Dialogum n. 100 sqq: Christus «in evangelio dixisse scribitur: Omnia mihi tradita sunt a Patre, et: Nemo novit Patrem nisi Filius», et ita porro, ut est apud Matthaeum 11, 27. Saeculo II tot loci citantur, ut ex iis integra fere evangelia colligi possint.

Itaque adde hunc practicum usum evangeliorum ad illa theoretica testimonia; videbis de genuinitate evangeliorum rationabiliter dubitari non posse.

110. *Arg. 2.* **Ex testimonio haereticorum saeculi secundi.**

Teste Irenaeo et aliis Patribus saeculo II exstiterunt haeretici, quorum permultum interfuisset negare genuinitatem evangeliorum. Atqui nemo ausus est id facere. Ergo evangelia censenda sunt genuina.

Ad mai. Irenaeus (Contra haer. 3, 11, 7) scribit: «Tanta est circa evangelia haec firmitas, ut et ipsi haeretici testimonium reddant, et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam. Ebionaei etenim eo evangelio, quod est secundum Matthaeum, solo utentes, ex illo ipso convincuntur non recte praesumentes de Domino. Marcion autem id, quod est secundum Lucam, circumcidens, ex his, quae adhuc servantur penes eum, blasphemus in solum exsistentem Deum ostenditur. Qui autem Iesum separant a Christo, et impassibilem perseverasse Christum, passum vero Iesum dicunt, id quod secundum Marcum est praeferentes evangelium, cum amore veritatis legentes illud, corrigi possunt. Hi autem, qui a Valentino sunt, eo quod est secundum Ioannem plenissime utentes ad ostensionem coniugationum suarum, ex ipso detegentur nihil recte dicentes. . . . Cum ergo hi, qui contradicunt, nobis testimonium perhibeant et utantur his, firma et vera est nostra de illis ostensio.»

111. *Ad min.* Ex haereticis saeculi II *Basilides* gnosticus († c. 130) vitam Iesu, quem vult ad tempus accepisse virtutem divinam, narrat «similiter atque in evangeliis scriptum est». Ita *Hippolytus* (Philosoph. 7, 27), qui varia refert, quae Basilides ex evangeliis sumpserit (ibid. 7, 22 26 27). Aequalis Basilidis erat *Valentinus,* qui praecipue, non tamen unice, utebatur evangelio Ioannis, ut patet ex *Hippolyto* (6, 35) et ex Irenaeo (1, 7, 4; 1, 8, 2; 1, 8, 5; 3, 11, 7). *Heracleon,* Valentini discipulus, scripsit Commentarium in evangelium Ioannis, ex quo fragmenta nobis servavit Origenes in Commentario in evang. Ioan. (*M* 14). *Marcion* non negabat genuinitatem quattuor evangeliorum, sed dicebat ipsos apostolos infectos fuisse iudaismo, veram doctrinam Christi e solis scriptis Pauli et Lucae hauriri posse, dummodo etiam ex iis reliquiae iudaismi eliminarentur. Contra Marcionem maxime scripsit *Tertullianus* (cf. Praelect. dogm. I, n. 109).

Itaque haeretici non negabant genuinitatem evangeliorum, sed unum vel alterum ex evangeliis eligebant, quo ad fines suos uti se posse putabant, dein huius evangelii dicta partim mutilabant, partim adulterabant, partim textus genuinos in falsum sensum detorquebant. Evangelia igitur, cum iam ante medium saeculum II frequenter ita corrumperentur, multo ante exsistebant et genuina habebantur.

Potest his addi, quod iam saeculo II scriptores gentiles contra evangelia scripserunt, ut *Celsus,* qui a. 178 edidit librum, cui titulus *Ἀληθὴς λόγος.* In hoc libro dicit se proferre omnia ex sacris libris christianorum, quos discipuli Iesu scripserint. Ita *Origenes* testatur

(Contra Celsum 2, 13 15 16 74), ex cuius verbis patet a Celso citari nostra evangelia (cf. Praelect. dogm. I, n. 102 sqq).

112. *Arg. 3.* **Ex rationibus internis.**

Is liber ex criteriis internis censendus est genuinus, qui ratione linguae, idearum, adiunctorum temporis et loci respondet illi aetati et populo, cui adscribitur. Atqui talis est indoles evangeliorum. Ergo evangelia censenda sunt genuina.

Ad mai. Hoc argumentum non tam respicit nominatim singulos scriptores, Matthaeum, Marcum, Lucam, Ioannem, quam tempus et locum originis; seu ostendit evangelia secundum internam indolem omnino convenire aetati et regioni, in qua res narratae factae esse dicuntur. Scriptor, qui solum fingit se vixisse certa aetate et certis locis, saepe prodet fictionem suam anachronismis et aliis indiciis, idque eo magis, quo magis diversa sunt externi mores et internae ideae et mentis inclinationes et dispositiones illius aetatis, qua scribit. Unde si liber est fidelis imago temporum et morum, quae describuntur, praesumptio maxima stat pro eius genuinitate, etsi hoc argumentum, si separatur a testimoniis externis, vix umquam est peremptoriae efficaciae.

113. *Ad min.* a) *De indole linguae.* Evangelia nostra, etsi, excepto Matthaei libro, graece scripti sunt, descendunt e fonte hebraico (aramaico), quia referunt ea, quae dicta et facta sunt inter iudaeos pluribus decenniis ante destructionem urbis Ierusalem et politicae potestatis iudaeorum. Quia autem lingua graeca a lingua hebraica valde differt, a priori exspectandum est, evangelia, si genuina sunt, redolere hebraicam linguae indolem. Reapse ita est. Tota ratio loquendi est simplex sine artificiosis constructionibus, et loco periodorum partes orationis per particulam *et* (vav copulativum) iunguntur. Multae dictiones adsunt, quales graeci numquam adhibent et vix intellegunt. Ita vocabula *raka, rabbi*, *Boanerges, Kephas, abba, korban, gehenna* etc. (Mt 5, 22; 23, 7. Mc 3, 17. Io 1, 42 etc.); ita illae locutiones «filius pacis, filius lucis, regnum caelorum», similes (Mt 3, 2; 23, 15. Lc 10, 6; 16, 8 etc.); ita constructiones, qualis est haec: «Beatus es, Simon, Barjona, quia non caro et sanguis revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in caelis. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus (kepha, et super hanc petram (kepha) aedificabo ecclesiam meam; et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis» (Mt 16, 18 19). Pensentur singula; statim apparebit ab initio usque ad finem nihil in his verbis sapere genium graecum, omnia esse semitica. Talia autem toties leguntur in evangeliis et aliis libris Novi Testamenti, ut necessarium fuerit scribere specialia vocabularia et grammaticas graecitatis Novi Testamenti.

Ex altera parte recepta sunt vocabula latina, prout congruit scriptoribus inter romanos viventibus: *Κῆνσος* = census (Mt 22, 17), *Καῖσαρ* = Caesar, *κεντυρίων* = centurio (Mc 15, 39), *τίτλος* = titulus (Io 19, 19).

b) *De notitia historica.* Evangelistae obiter tantum commemorant multa de magistratibus civilibus et ecclesiasticis, ut evidens sit eos non data opera incubuisse studio harum rerum. Niholominus rerum et personarum notitia est tam exacta et per alios fontes historicos tam bene confirmata, ut intellegi nequeat, quomodo evangelistae haec omnia noverint, nisi aut ipsi his rebus interfuerint aut eas a testibus immediatis acceperint. Ita e. g. quae Matthaeus vel Lucas narrant de familia herodiana et de divisione politica terrae palaestinensis, de Pontio Pilato et aliis personis, confirmantur a *Flavio Iosepho* (Antiq. 1, 17; 14, 14, 4; 17, 8, 4; 18, 3, 1; 18, 5, 1 sq).

c) *Tota vita socialis iudaeorum* vividis coloribus depingitur, ut factiones pharisaeorum et sadducaeorum, scribae et legis doctores, iudaeorum in romanos odium et exspectatio magni ducis, qui eos liberaret a romanis, discordia inter iudaeos et samaritanos. Haec omnia etiam apud Flavium Iosephum leguntur, qui erat testis oculatus (Antiq. 12, 1; 17, 2, 4; 18, 1, 2 sqq. De bello iud. 1, 33, 2; 2, 8, 1; 2, 12, 3; 6, 5, 4; 7, 8, 1).

Consuetudines iudaeorum describuntur, ut stricta observatio sabbati, frequentes lotiones etc. Matthaeus de his rebus loquitur ut notis lectoribus suis; Marcus in gratiam lectorum gentilium explicationes addit (cf. e. g. Mt 15, 1 sqq cum Mc 7, 1 sqq). Nummi varii in usu erant propter commixtionem gentium in Palaestina: romanorum nummi erant asses et denarii (Mt 10, 29. Mc 14, 5. Lc 7, 41); iudaeorum nummi erant sicli (Mt 26, 15); graecorum *δραχμή, μνᾶ* (Lc 15, 8; 19, 16).

d) Si praeterea memineris, *quomodo evangelistae saepe personarum vultus, actiones, motus tam minute describant,* non artificiose sed modo valde simplici (cf. e. g. Io 13, 4 sqq; 18, 3 sqq), non poteris rationabiliter in dubium vocare, quin vel ipsi res illas viderint vel ab iis, qui viderant, acceperint. Quando enim facta per multos testes intermedios ad scriptores perveniunt, tam vividos colores amittunt. Cum igitur quadraginta annis post Christi mortem tota respublica iudaeorum sublata et illa, quae ab evangelistis describuntur, in alium plane statum mutata essent, fieri non potuit, ut posteriores scriptores res tali modo referrent. Nihilominus evangelistae posteriores nihil curarunt de vitandis apparentibus antilogiis cum prioribus, sed ingenue scripserunt res, quales viderant vel a testibus audierant. Ita falsarii non solent agere. Ergo internis criteriis genuinitas evangeliorum commendatur.

114. *Obi. I.* Scriptores veteres, qui testes genuinitatis evangeliorum invocantur, multa dixerunt, quae non admittuntur (ut. e. g. de chiliasmo), et arte critica destituti erant. Ergo non possunt haberi testes apti.

Resp. *Dist. antec.:* Unus alterve quasdam opiniones habuerunt, quae ab aliis non admittebantur, et in his rebus non sunt testes traditionis universalis, *conc. antec.;* omnes unanimiter aliquid ut traditum docuerunt, quod revera non erat traditum, *neg. antec.* Unde *neg. conseq.*, quia non est paritas. Illud ipsum exemplum de chiliasmo optime illustrat differentiam. Iustinus et Irenaeus quaedam dicta de felicitate regni messianici litteraliter accipiebant, quae bene sciebant ab aliis christianis allegorice exponi. Itaque ipsi testantur alios aliter sentire, et revera plurimi Patres omnem chiliasmum reiciunt (cf. Praelect. dogm. IX, n. 695 sqq). Contra vero quantum ad genuinitatem evangeliorum, habetur omnium testium unanimis consensus.

Illud quod dicitur *de arte critica* eatenus conceditur, quatenus Patres non habebant artem criticam scientifice excultam. Sed eos caruisse sano sensu critico naturali, et caece omnia recepisse, quae de Iesu Christo narrabantur, prorsus falsum est. Multo plura sunt evangelia, quae ea aetate ut spuria reiecta, quam quae ut genuina recepta sunt. Cum *Serapion* (episcopus antioch. 190—211) audisset in ecclesia rhossensi in Cilicia legi sub nomine Petri aliud evangelium praeter quattuor nostra, scripsit ad illos fideles: «Nos, fratres, et Petrum et reliquos apostolos perinde ac Christum ipsum suscipimus. Sed quae nomen illorum falso inscriptum praeferunt, ea nos utpote gnari ac periti repudiamus, quippe qui compertum habeamus ea nos a maioribus minime accepisse» (*Euseb.* H. E. 6, 12). Item in Asia presbyter, qui falsum scriptum confecerat, convictum et depositum esse narrat *Tertullianus* (De bapt. 17). Usus critices etiam in fragmento muratoriano et in aliis documentis cernitur.

115. *Obi. II.* Viri maximi et plane singulares solent post mortem narrationibus mythicis vel legendariis celebrari. Ergo praesumendum est non omnia, quae de Iesu Christo narrantur, esse genuina.

Resp. Potest totum concedi, neque tamen inde recte concluditur evangelia nostra esse scripta mythica. Adsunt evangelia apocrypha (partim haeretica, partim piae tantum curiositati servientia) iam inde a saeculo II *S. Irenaeus* ait: Haeretici «inenarrabilem multitudinem apocryphorum et perperum [adulterinarum] scripturarum, quas ipsi finxerunt, afferunt ad stuporem insensatorum» (Contra haer. 1, 20, 1 sq). *Hegesippus* in opere, quod post a. 160 edidit, «agens de libris, qui apocryphi dicuntur, quosdam eorum sua aetate a nonnullis haereticis compositos esse scribit» (*Euseb.* H. E. 4, 22). *Origenes* ait: «Ut sciatis non solum quattuor evangelia sed plurima esse conscripta, e quibus haec, quae habemus, electa sunt et tradita ecclesiis, ex ipso prooemio Lucae cognoscamus. . . . Ecclesia quattuor habet evangelia, haereses plurima. . . . Quattuor tantum evangelia sunt probata. . . . In his omnibus nihil aliud probamus nisi quod ecclesia, i. e. quattuor tantum evangelia recipienda» (Hom. 1 in Luc.). Principalis norma ad distinguenda genuina evangelia ab apocryphis erat traditio apostolica et hoc sensu ecclesiae auctoritas, id quod brevissime exprimit *S. Augustinus* his verbis: «Ego evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas» (Contra epist. fundam. c. 5; *M* 42, 176). *Eusebius,* loquens de libris apocryphis, ait: «Quos quidem libros nullus umquam, qui continuata ab apostolis successione in ecclesia docuit, in scriptis suis commemorare dignatus est» ut fontes historicos vel theologicos (H. E. 3, 25).

Ergo si fabulosae de Iesu Christo narrationes necessario oriebantur, hae exstant in libris apocryphis, et si necessaria erat ars critica ad discernendos libros genuinos a libris spuriis, eam ecclesia exercuit in reiciendis apocryphis. Ecclesiae autem iudicium fuisse sanum omnes viri cordati nunc concedunt, neque quisquam est, qui contendat libros apocryphos ullo modo in comparationem venire posse cum evangeliis genuinis.

116. *Obi. III.* Si quattuor evangelia tam certo sunt genuina, cur tot viri eruditi genuinitatem eorum negarunt vel in dubium vocarunt?

Resp. Quia illi viri eruditi a priori negarunt possibilitatem factorum vere supernaturalium. Nemo autem consequenter facta supernaturalia negare potest, qui evangelia genuina esse agnoscit.

Olim quidem nonnulli conati sunt omnia facta in evangeliis narrata naturaliter explicare, inter quos facile palmam tulit *Gottlob Paulus* (Exegetisches Handbuch 1830). Quae «naturalis» explicatio tam violenta est, ut omnium, etiam rationalistarum, risu excepta sit.

Illam irridet *David Frid. Strauss* (Das Leben Jesu, kritisch bearbeitet I³ 24 sqq 41 sq), qui ipse recurrit ad theoriam mythorum. Sed quia mythi non oriuntur nisi post aliquod tempus, omni vi studuerunt ostendere evangelia in lucem non prodiisse nisi circa medium saeculum secundum et esse pias quasdam fraudes. Maxime in hac re eminet «schola tubingensis», cuius caput est *Ferd. Christ. Baur* (Kritische Untersuchungen über die kanonischen Evangelien 1847). Sed eius theoriae tam manifeste pugnant cum factis historicis, ut ab omnibus derelictae sint (cf. *Cornely,* Introd. I, 743 sqq; La science catholique, Arras 1894, 906 sqq). Alii dein alias theorias excogitaverunt, sed eo res devenit, ut fere sit bellum omnium contra omnes. Quia scilicet testes historicos audire nolunt, sed praeiudicia sua ad instar principiorum ponunt, ad concordiam non perveniunt, et discordia sua signum certum erroris ostendunt. *Ad. Harnack* aliud effugium invenit; nam in libris «Chronologie der altchristlichen Literatur», «Lukas der Arzt», aliis redit quidem in multis ad veterem traditionem et vult originem evangeliorum synopticorum et aliorum librorum et institutorum primaevae christianitatis quaerendam esse in urbe Ierusalem inter annos 40—70, et ita facta, quae narrentur, admittenda esse, sed iudicia et explicationes evangelistarum de his factis a nobis acceptari non posse, cum evangelistae fuerint homines superstitiosi et miraculorum venatores. Itaque fit reditus ad naturalem explicationem, sed minus crassam et artificiose occultatam. Terror ordinis supernaturalis, qui mentes horum hominum occupat, non est fidus dux ad inveniendum verum (cf. Praelect. dogm. I, 75 115).

ARTICULUS II.

DE INTEGRITATE EVANGELIORUM.

Cf. *Cornely,* Introd. I² 307 sqq; Edit. critic. N. T. *Westcott-Hort* 1882 et deinceps; *Tischendorf*⁸, 1869, cum Prolegomenis, quae edidit *Gregory* 1864—1890, et eiusdem Textkritik des N. T. 1900—1902; *H. v. Soden,* Die Schriften des N. T. I, 1902.

Prop. XI. Evangelia substantialiter integra ad nos pervenerunt

117. ***Stat. quaest.*** *Integritas* alicuius libri idem est atque immunitas a corruptione. Integer est liber, in quo neque deest quid-

quam, quod auctor scripsit, neque additum quidquam, quod non scripsit, neque verba vel sententiae mutata sunt. Integritas alia est *substantialis,* alia *accidentalis.* Quae distinctio non eodem modo applicanda est ad libros poeticos vel rhetoricos et ad libros historicos vel doctrinales. Libri alicuius poetici vel rhetorici vis et dignitas potest ita constare in externa loquendi forma, ut hac perdita liber substantialiter corruptus sit. At si agitur de aestimando libro quodam ut fonte historico vel doctrinali, sola mutatio formae, qua ipsa res non afficitur, relinquit librum substantialiter intactum, ita ut liber sub hoc respectu maneat integer, etsi sola eius versio fidelis supersit. Item si partes alicuius operis perierunt, possunt tamen partes, quae supersunt, eo sensu esse integrae, quod continent ea, quae auctor ab initio scripsit, et immunes sunt a falsificationibus.

Evangelistarum autographa iam primis saeculis interierunt; *quaestio ergo est de solis apographis.* Ex quo tempore inventa est ars typographica, sine magna difficultate textus integer servari poterat. Maior difficultas erat, quamdiu manibus describendi erant codices. Unde praecipue quaeritur, num in manuscriptis codicibus textus integer manserit. Hoc eo facilius diiudicari potest, quo plures adsunt codices e variis mundi partibus, et quo magis codices ascendunt usque ad vetusta tempora. Alia adiumenta criticae textualis sunt versiones evangeliorum in linguas alias, praesertim si sunt valde veteres; dein citationes factae ex evangeliis a Patribus et posterioribus scriptoribus. Haec omnia, si inter se comparantur, praebent facultatem cognoscendi, quis fuerit textus primitivus. Nam fieri non potest, ut eaedem corruptiones in omnia exemplaria, omnes versiones, omnes citationes ubique terrarum irrepant. Ergo ea, quae ubique invenientur, certe integra manserunt. Ubi vero sunt diversae lectiones, secundum praecepta critica discernendum est, quae lectiones sint certo vel probabiliter genuinae, quae vero certo vel probabiliter falsae vel dubiae. Ergo eadem via integritas evangeliorum stabilienda est atque aliorum librorum antiquorum, sed eminent evangelia prae omnibus aliis libris antiquis numero et vetustate codicum. Inquisitiones quoque criticae iam saepe diligentissime factae, lectiones variantes collectae, ex earum comparatione editiones criticae factae sunt, ut cum certitudine de hac re iudicare possimus.

Dicimus igitur, etsi *ingens numerus lectionum variantium* adsit (numerant usque ad 120000 in toto Novo Testamento), textus substantialiter mansit integer, quod attinet facta et doctrinam Christi, de quibus in hoc tractatu agitur. Variantes lectiones plurimae sunt manifesti lapsus calami, aliae spectant solam orthographiam, formas grammaticas, omissionem vel positionem articuli, ordinem verborum, alias minutias, quibus sensus non mutatur. Censent *Westcott* et *Hort,* si sensus spectetur, vix millesimam partem Novi Testamenti esse incertam (The New Testament, introd. p. 2). Sunt in evangeliis quattuor tantum loci, qui quoad

rem ipsam in quaestionem veniunt, si agitur de critica textuali: Lc 22, 43 sq, ubi sermo est de sudore sanguineo Christi; Io 5, 4, de angelo descendente in piscinam, et Io 8, 1—11, ubi sermo est de muliere adultera, qui tres textus in tractatu apologetico non sunt necessarii. Quartus locus est finis evangelii Marci (16, 9 sqq), quem ab alia manu appositum esse volunt. Hic textus est quidem alicuius momenti in re apologetica; attamen ea, quae in textu dicuntur, etiam aliis locis certe genuinis evangeliorum dicuntur; dein vero illi versus, etsi ab alio additi sint, tamen apostolorum aetate scripta sunt (quidam Aristoni vel alii discipulo apostolorum tribuunt) et a scriptoribus saeculi II iam citantur.

His praemissis inspiciamus rationes, ob quas evangelia substantialiter integra esse dicenda sunt.

118. ***Arg.*** Illi libri integri dicendi sunt, quorum integritas probatur magno numero testium et ab initio fuit obiectum singularis curae eorum, quorum intererat servare integros illos libros. Atque id valet de evangeliis. Ergo evangelia dicenda sunt integra.

Prob. min. a) *Plus ter milleni codices* noti sunt, ex quibus alii totum Novum Testamentum, alii partes tantum vel fragmenta continent. Quorum vetustissimi sunt qui maiusculis litteris scripti sunt; et ex his circiter 114 antiquiores sunt saeculo X, quattuor attribuuntur saeculis IV et V: Vaticanus, Sinaiticus, Alexandrinus, Ephraem rescriptus. Vaticanus et Sinaiticus completa evangelia continent. In Alexandrino totum fere deest evangelium Matthaei, pauca e Ioanne desunt. Cantabrigiensis saeculi VI tota fere evangelia habet, quem critici censent eam textus formam exhibere, quae saeculo III in maiore parte ecclesiae in usu fuerit. Sangallensis saeculi IX omnia evangelia habet et valde affinis est Cantabrigiensi. Alii codices evangeliorum sunt Laudianus saeculi VI vel VII, Rossanensis saeculi VI, Basileensis saeculi VIII, Harleianus et Hamburgensis saeculi IX vel X, Cyprius saeculi IX. Ad quos accedunt pluries centeni codices evangeliorum minusculis litteris conscripti.

Iam quid sibi velit hic magnus numerus antiquorum codicum facilius intellegimus, si meminerimus, quantopere codices auctorum veterum profanorum tam graecorum quam latinorum numero et antiquitate inferiores sint. E. g. Caesaris codices sunt unus e saeculo IX, pauci e saeculis X—XII. Magna pars Annalium Taciti in uno tantum codice exstat. Illorum scriptorum, qui saepissime legebantur, minus quam trecenti codices exsistunt, et hi omnes ab aetate illorum scriptorum multo magis remoti sunt quam codices evangeliorum ab evangelistis. Codices Sinaiticus et Vaticanus ab evangelistis annis circiter trecentis distant. A Caesare autem primus codex integer 900 circiter annis distat, a Thucydide 1300 annis, et simile quid de aliis historicis profanis veteribus valet. Solius Livii primus codex (minime integer)

400 tantum annis distat. Itaque si integritas profanorum scriptorum non vocatur in dubium, a fortiori integritas evangeliorum admittenda est.

b) *Multae versiones evangeliorum* in varias linguas exstant, ex quibus quaedam, ut Sahidica et vetus Syriaca tertio vel secundo saeculo factae sunt. Latina versio, quae in Vulgata legitur, est vetus versio a S. Hieronymo correcta. Hae versiones ad textum critice diiudicandum plurimum iuvant, et conclusio certa ex earum comparatione facta rursum est integritas substantialis evangeliorum.

c) Tandem in operibus Patrum et scriptorum ecclesiasticorum iam tribus primis saeculis tot inveniuntur *excerpta vel citata ex evangeliis,* ut ex iis evangelia fere reconstrui possint. Revocetur praeterea in memoriam lectionem publicam evangeliorum in conventibus christianorum, iam a Iustino testificatam, semper fuisse in usu. Inde fiebat, ut fideles non raro accuratam eorum notitiam haberent et quamlibet corruptionem statim animadvertere possent. Narrat *S. Augustinus* magnam commotionem in populo factam esse, quod episcopus quidam novam Hieronymi versionem in ecclesia legisset (Epist. 71, n. 5). Etiam ex modo, quo SS. Patres evangelia citant, satis apparet eos saepe memoriter citare, non e libris describere. Iamvero evangelia citari coepta sunt mox postquam in lucem prodierunt, qua re etiam differunt ab auctoribus profanis; nam e. g. Herodoti mentio prima fit centum annis post eius obitum ab Aristotele, secunda a Cicerone, i. e. post quadringentos annos. Thucydides primum allegatur a Cicerone, i. e. post annos amplius trecentos. Idem valet de aliis scriptoribus.

d) Non ideo negamus corruptiones textus iam primis saeculis accidisse (cf. *Cornely,* Introd. I, n. 111); sed ut ex editionibus criticis patet, tales sunt corruptiones, ut in evangeliis ne unum quidem factum alicuius momenti in vita Christi vel ulla eius doctrina in dubium vocetur. Dein vero *episcopi summa cura vigilarunt, ne corruptiones latius serperent,* praesertim si mente haeretica factae erant. Ita e. g. contra adulterationem evangelii Lucae per Marcionem factam tam vehementer pugnarunt, ut Marcionis opus plane disparuerit. Iam *S. Irenaeus* reclamat, quod valentiniani in Mt 11, 27 ordinem verborum inverterint (Contra haer. 4, 6), et provocat ad «accurata et antiqua antigrapha» (ibid. 5, 30). Ex hoc et aliis similibus factis patet, quam difficile fuerit vel unam sententiam mutare aliis non advertentibus et repugnantibus. Nonnulli quoque viri, ut *Hesychius* et *Lucianus,* maxime vero *S. Hieronymus,* singularem operam impenderunt, ut sacer textus, etiam in accidentalibus, suae integritati restitueretur, quem laborem multi viri docti sequentium saeculorum usque ad nostra tempora susceperunt. Quorum laborum fructus is quoque est, ut certo sciamus evangelia per saeculorum cursum substantialiter integra usque ad nos pervenisse. Neque quisquam hoc negat nisi illi infideles, qui ob alias prorsus rationes impugnantes veritatem christianae religionis, in critica Novi Testamenti sunt plane peregrini.

119. *Obi. I.* Etiam adhibitis omnibus adiumentis criticis non pervenimus nisi forte ad eam evangeliorum formam, quae saeculo II in usu fuit. Atqui praecedenti tempore poterant multa in evangelia irrepere, quae ab evangelistis scripta non erant. Ergo non constat de evangeliorum integritate.

Resp. *Conc. mai. Ad min.* haec dicenda sunt:

a) Corruptiones non sunt gratis affirmandae neque supponendae sed probandae. Quae probationes hucusque allatae non sunt, immo excluduntur, quia plane improbabile est christianos omnes tacite passos esse, ut libri principales religionis christianae ita corrumperentur.

b) Plane intellegi nequit, quomodo tales corruptiones omnes ubique codices potuerint ita pervadere, ut nullum vestigium prisci textus permanserit in mundo. Revera nihil umquam auditum est de textu evangeliorum a nostro textu substantialiter diverso, quamquam SS. Patres iam saeculo II incipiunt lóqui contra corruptiones accidentales. Uniformitas textus evangeliorum inde ab exeunte saeculo II explicari nequit, si antea textus substantialiter alius legebatur in ecclesia. Cum ne inter primos quidem Patres ullus sermo vel ulla suspicio sit de textu diverso, talis textus non exstitit. Etiam ea, quae supra (n. 112 sq) dicta sunt de internis criteriis genuinitatis, excludunt posteriorem mutationem substantialem, quae se non mox ut talem prodidisset.

120. *Obi. II.* In evangeliis narratur institutio ecclesiae, sacramentorum, aliarum rerum a Christo facta. Atqui hae res non a Christo institutae sed postea paulatim ortae sunt. Ergo illae narrationes sunt corruptio primitivorum evangeliorum.

Resp. *Dist. min.:* Haec est theoria modernistarum (cf. *Denz.* n. 2015 sqq 2054 sqq 2088 2100), *conc. min.;* hoc est factum historicum, *neg. min.* Et *neg. conseq.*

ARTICULUS III.

DE CREDIBILITATE EVANGELIORUM.

Cf. *H. Wallon,* De la croyance due à l'évangile[2], Paris 1866; *H. Boese,* Die Glaubwürdigkeit der Evangelien, Freiburg 1895; *F. Vigouroux,* Les Livres Saints IV, l. 5, qui veracitatem singulorum evangelistarum demonstrat.

Prop. XII. Scriptores evangeliorum sunt fide digni.

121. ***Stat. quaest.*** Cum evangelia sint genuina et substantialiter integra, ad hoc ut sint fontes fidei historicae, unum adhuc requiritur, ut eorum scriptores tales sint, quibus tuto fidere possimus. Fidendum autem est iis, qui possunt et volunt dicere verum. Ergo demonstrandum est evangelistas esse tales testes.

Qui dicunt evangelia fallendi studio esse conscripta, ut *Reimarus, Ferd. Chr. Baur,* alii, potius negant genuinitatem, et dicunt evangelia esse saeculo II confecta et evangelistis supposita. Ab hac sententia non multum absunt modernistae, ut *Loisy* (Les évangiles synoptiques), qui asserunt iam ab ipsis scriptoribus in evangeliis multa esse relata, quae cum doctrina Christi non consentiant, et usque ad canonem definite constitutum evangelia continuis mutationibus fuisse obnoxia, ut

in iis non iam appareat «Christus historiae» sed «Christus fidei», a Christo historico valde diversus (cf. *Denz.* n. 2013 sqq 2096). Contra has theorias complures scripserunt, ut e. g. *M. Lepin* (Les théories de M. Loisy, Paris 1908). Modernistae partim genuinitatem, partim integritatem, partim credibilitatem evangeliorum in dubium vocant, nitentes non rationibus historicis sed hypothesibus aprioristicis, quas pro postulatis artis criticae haberi volunt. Nos probata genuinitate et integritate evangeliorum hic unice quaerimus, num eorum scriptores potuerint et voluerint dicere verum.

122. **Arg.** Scriptores evangeliorum sunt fide digni, si potuerunt et voluerunt dicere verum. Atqui potuerunt et voluerunt dicere verum. Ergo.

Prob. min. a) *Evangelistae vel diserte affirmant vel tacite supponunt se referre vera facta historica. S. Lucas* ait: «Visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem» (1, 3 sq). *S. Ioannes* ait: «Multa quidem et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non scripta sunt in libro hoc. Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus» (20, 30 sq). Et in fine evangelii: «Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his et scripsit haec; et scimus, quia verum est testimonium eius» (21, 24; cf. 19, 35 et 1 Io 1, 1 sqq). Sed et Matthaeus et Marcus scribunt sicut ii, qui referunt facta historica, et qui volunt docere homines, quid de factis et dictis Christi sciendum vel credendum sit. Hoc modo, non aliter, non ut fictas narrationes, ab initio et per omnia subsequentia saecula ecclesia eorum scripta accepit et intellexit, et ea ut regulam fidei et morum habuit.

b) *Evangelistae poterant dicere veritatem rerum, quas narrabant.* Nam secundum ea, quae supra (n. 108) audivimus, Matthaeus et Ioannes erant discipuli Domini; Marcus scripsit evangelium, quod Petrus praedicavit; Lucas praeter Pauli praedicationem testes immediatos secutus est. Ea, quae narrant, ut plurimum facta sunt in publico coram multis hominibus, iisque non feris et incultis, sed iudaeis, graecis, romanis. Res, quae narrantur, omnes fere eae sunt, quae a quolibet homine sanis sensibus instructo videri vel audiri poterant. Si quaedam excipiuntur, ut quae de infantia Christi narrantur, poterant haec disci ab hominibus fide dignis. Ceterum haec minoris momenti sunt in tractatu apologetico. Etiam plurima miracula erant facta sensibilia, quae facile percipi poterant, ut quando caecus natus vel alii aegroti subito curabantur, quando quinque milia hominum quinque panibus saturabantur, quando aqua mutata est in vinum, quando Christus ambulabat super aquas. Doctrina quoque Christi ea erat, quae toti populo proponebatur, non doctis et selectis hominibus. Poterant igitur evangelistae hanc doctrinam recte accipere et reddere, etsi forte non statim

totam vim eius penetrabant. Res quidem erant sublimes, forma autem simplex. Ergo nulla ratio est suspicandi evangelistas esse deceptos in referendis factis et doctrina Christi.

c) *Neque evangelistae poterant decipere.* Aderant enim multi testes rerum, quas referunt. Iesus ipse dixit ad Annam: «Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes iudaei conveniunt, et in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis; ecce hi sciunt quae dixerim ego» (Io 18, 20 sq). S. Petrus ad iudaeos ait: «Viri israelitae, audite verba haec: Iesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis virtutibus et prodigiis et signis, quae fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis, hunc . . . interemistis» (Act 2, 22 sq). Et S. Paulus ad Festum: «Scit de his rex [Agrippa] . . .; latere enim eum nihil horum arbitror; neque enim in angulo quidquam horum gestum est» (Act 26, 26). Cum tot testes essent inter vivos, quando evangelia scribebantur, non tacuissent, si evangelistae falsa narrassent. Ceterum quae ex Actibus apostolorum et aliis scriptis Novi Testamenti de vita et doctrina Christi colliguntur, consentiunt cum evangeliis. Irrationabiliter autem supponeretur omnes illos scriptores esse deceptos vel deceptores, neque a quoquam eorum deceptionem esse detectam.

Neque poterant evangelistae excogitare doctrinam tam alienam ab ideis hominum illius aetatis et fingere virum tam praestantem verbo et opere et simul tam diversum ab hominibus, qui tunc apud vulgus erant in veneratione. Iesu Christi vita et doctrina est miraculum ordinis moralis, quod nisi factum esset, evangelistae patrassent ipsi miraculum fingendo aliquid, cuius simile neque antea neque postea fuit in mundo. Si vita et doctrina Christi inventa est ab otiosis hominibus, numquam magis miranda fraus nec cum magis prospero eventu facta est. Nam nobilissima doctrina, firmissima fides, virtutes egregiae christianorum, eversio religionis gentilis, cum patriis moribus intime nexae, propagatio et firmitas religionis christianae, tot impugnationibus et persecutionibus usque ad nostra tempora superioris, brevi, perfecta mutatio totius ordinis moralis et socialis fictione quorundam hominum indoctorum effecta est. Haec qui admittit, multo maiore credulitate praeditus est, quam postulat fides christiana.

d) *Deerat evangelistis motivum decipiendi.* Nemo gratis praesumendus est mendax sed probandus. Atqui non solum non probatur fraudulenta mens evangelistarum, sed potius excluditur. Nam praedicare Christum erat illis temporibus res periculi plena. Carceres, poenae, mors tam a iudaeis quam a gentilibus parabantur discipulis Christi, et maxime praedicatoribus doctrinae eius (cf. Act 4, 1 sqq; 5, 17 sqq; 6, 1 sqq; 12, 1 sqq; 16, 19 sqq). Ergo non spes lucri temporalis, non honoris, non favoris hominum neque simile quid poterat evangelistas impellere ad decipiendos homines per falsas narrationes. Simul

fraude sua gravissimas a Deo poenas meruissent. Quod S. Paulus de se ait, hoc valet de omnibus: Si doctrina, quam praedicamus, falsa est, «inanis est praedicatio nostra, inanis est et fides vestra, invenimur autem et falsi testes Dei. . . . Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. . . . Ut quid et nos periclitamur omni hora? Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest? . . . Manducemus et bibamus; cras enim moriemur» (1 Cor 15, 14 sq 19 30 32). Sed quia tam firmiter persuasum erat apostolis et eorum discipulis de veritate rerum, quas praedicabant, propterea cum gaudio ignominiam, dolores, mortem pro Christo subibant. Ita autem non agunt deceptores.

e) Tandem *modus narrandi indicat homines veridicos.* Est enim simplex et liber ab omni fuco. Scribunt contra malas cupiditates hominum, postulant despectum mundi et sui abnegationem. Non tacent ea, quae ipsis vel magistris suis vel rei, quam commendant, dedecori sunt, ut negotium Matthaei, iudaeis detestabile, imperfectiones apostolorum, proditionem Iudae, negationem Petri, fugam omnium discipulorum, ignominiosa omnia, quae Christus passus est, reiectionem populi israelitici, eversionem futuram urbis Ierusalem. Etiam ea, quae maxime mira vel dira sunt, pacate, sine animi commotione, sine declamationibus referunt. Comparetur modus, quo Flavius Iosephus de iudaeis loquitur, cum modo, quo evangelistae loquuntur; statim apparebit, quanta differentia sit inter causidicum et sincerum veri narratorem.

Itaque certum est evangelistas et potuisse et voluisse dicere verum, et evangelicas narrationes esse fide dignas.

123. *Obi. I.* Illi scriptores non sunt fide digni, qui easdem res diverso modo referunt. Atqui evangelistae easdem res ita narrant, ut eorum narrationes inter se conciliari non possint. Ergo non sunt fide digni.

Resp. Cum interim non agatur de evangelistis ut scriptoribus inspiratis sed simpliciter ut historicis, *dist. mai.:* Illi scriptores non sunt fide digni, saltem non omnes, qui easdem res referunt modo tam diverso, ut facta et doctrina substantialiter alia evadant, *conc. mai.;* qui solum differunt in minutis et accidentalibus, quibus substantia rei non afficitur, non sunt fide digni, *neg. mai.* Vix umquam vel numquam accidit, ut varii scriptores, multa singularia referentes, omnia usque ad minutissima plane eodem modo referant, quia modus concipiendi res et modus exprimendi concepta est singulis proprius, et quia homines, videntes idem factum vel audientes eadem verba, solent quidem substantiam rei omnes percipere, sed unus ad haec, alius ad illa accidentalia magis attendit. Neque tamen a prudentibus ideo eorum fides in dubium vocatur. Immo evangelistae, si voluissent decipere, diligenter studuissent evitare omnem speciem dissensus a narratione ceterorum evangelistarum. Quod cum non fecerint, eo magis commendatur eorum sinceritas.

Dist. min.: Evangelistae inter se discrepant quoad accidentalia et minuta, *trans. min.;* quoad substantialia et gravia, *neg. min.* Non alia vita

et doctrina Christi apud varios evangelistas legitur sed eadem; et etiam quoad multa secundaria apparens discordia ad harmoniam reduci potest. Quodsi hoc fieri cum certitudine nequit quoad omnia, sunt tamen solutiones saltem probabiles, id quod in quaestionibus historicis saepe totum est, quod prudenter postulatur.

124. *Obi. II.* Saltem Ioannis evangelium ab evangeliis synopticis ita discrepat, ut Iesus Christus plane alius videatur esse in quarto evangelio atque in tribus primis evangeliis. Ergo saltem quartum evangelium non videtur esse fons historicus fide dignus.

Resp. Cum Ioannes alios lectores supponat et ad alium finem scripserit atque synoptici, nihil mirum in eo est, quod aliam materiam elegit et alio dicendi genere utitur. Ioannes enim, scribens circa finem saeculi I ad eos, qui iam diu erant christiani, eos praemonet contra errores quorundam haereticorum, qui divinitatem Christi negabant, ut apparet ex prima epistula Ioannis et ex testimoniis Patrum: *Irenaei* (Contra haer. 3, 11), *Epiphanii* (Haer. 51, 12; 69, 23), *Hieronymi* (De vir. ill. 9). Ob hunc finem Ioannes non, ut synoptici, ea elegit, quae Iesus in Galilaea dixit ad communem populum, sed ea, quae in Iudaea disputavit contra legis doctores. Intellegitur autem, cur Iesus aliter loquatur ad doctos, aliter ad indoctos. Eadem diversitas etiam apud synopticos manifestatur, quando Christus loquitur ad pharisaeos (cf. Mt 12, 24 sqq; 15, 1 sqq; Mc 7, 1 sqq; 11, 27 sqq). Item apud Ioannem Christus aliter loquitur cum Nicodemo, aliter cum muliere Samaritana (Io 3, 1 sqq; 4, 5 sqq). Quod rationalistae saepe dixerunt, apud Ioannem praedicari divinitatem Christi, apud synopticos Christum non esse nisi hominem insignem, est manifeste falsum; et etiam ipsi rationalistae magis magisque concedunt Christum synopticorum esse ens divinum (cf. *Knabenbauer,* Commentar. in Ioan.[2] 33 sqq).

Quomodo potuit S. Ioannes tam longas orationes Christi, quas narrat, memoria tenere? Respondetur potuisse S. Ioannem *res,* quae illis orationibus continentur, memoria retinere, quia erant res gravissimae, quae a Iesu gravissime inculcabantur, ita ut memoriae discipuli firmissime imprimerentur. Sed etsi Ioannes *sensum* Christi fideliter refert, *forma* tamen et *constructio verborum* ipsius est, qui ea, quae aramaice audierat, graece reddit. Unde non semper verbotenus dicta Christi proponit, etsi sine dubio saepe quoque ipsa Domini verba evangelista exacte graece vertit (cf. *Knabenbauer* l. c. 54 sq).

Quod vero attinet singulas quaestiones de conciliando evangelio Ioannis cum evangeliis synopticis, videantur Introductiones in S. Scripturam et commentarii. Quomodocumque singulae quaestiones solvuntur, eadem substantialiter manet vita et doctrina Christi, id quod nobis in hoc tractatu omnino sufficit.

125. Schol. Testimonia quorundam scriptorum veterum non christianorum.

Primis temporibus religio christiana relative paucos et ignotos cultores habebat, de quibus nihil curabant scriptores exteri. Cum vero paulatim eorum numerus crevisset et novus cultus partim admirationis, partim odii et persecutionis obiectum factus esset, coeperunt etiam scriptores, qui non erant christiani, de hac re loqui. Quorum quaedam saltem dicta audiamus.

Iudaeus *Flavius Iosephus* († post 93) haec scribit: «Eo etiam tempore fuit Iesus, vir sapiens, si tamen virum eum appellare fas est. Fuit enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui verum cum voluptate accipiunt, multosque iudaeos, multos item gentiles ad se pellexit. Hic erat Christus. Quem cum Pilatus, ab hominum nostrorum primis delatum, crucis supplicio addixisset, eum tamen amare non desierunt qui primum amaverant. Apparuit enim tertio die redivivus, divinis vatibus et haec et mille alia de eo miranda effatis. Atque ab eo denominata christianorum natio durat usque ad hunc diem» (Antiq. 18, 3, 3). Nullus est codex Iosephi, in quo verba non exstant; omnes veteres versiones ea repetunt, veteres scriptores, ut *Eusebius* (H. E. 1, 11), ea allegant. Ergo externa criteria stant pro genuinitate. Obiciunt Iosephum non potuisse ita loqui. At hoc gratis asseritur (cf. Praelect. dogm. I, n. 138). Habentur etiam testimonia Iosephi de Ioanne Baptista et de Iacobo, fratre Domini (*Kirch*, Enchir. n. 6 sq).

Tacitus († 119) de Nerone ait: «Abolendo rumori [quo dicebatur auctor incendii a. 64 p. Chr. facti] Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos vulgus christianos appellabat. Auctor nominis eius, Christus, Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque» (Annal. 15, 44).

Plinius iunior († 113) iudiciali inquisitione in christianos facta, ad Traianum imperatorem scribit: «Affirmabant hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. Quibus peractis morem sibi discedendi fuisse rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium» (Epist. l. 10, ep. 96). Responsum Traiani apud *Kirch* (Enchir. n. 25), ubi etiam habentur dicta *Adriani* imperatoris (n. 30 32 45 52) et *Suetonii* (n. 33 sq). Cf. *Wilmers,* De religione revelata 319 sqq.

Cum iam magis propagata esset religio christiana, coeperunt scriptores gentiles maiora opera contra eam edere, ut saeculo II *Celsus,* saeculo III *Porphyrius* et *Hierocles,* ultimus saeculo V *Proclus* (cf. *Epiphanius,* Haer. 51, 8).

Itaque ea fere erat relatio scriptorum gentilium ad religionem christianam, quae a priori exspectanda erat[1].

---

[1] Nostra aetate quidam ausi sunt ipsam exsistentiam Iesu in dubium revocare. Non placet huic stultitiae immorari. Cf. quae de hac re scripserunt *L. Cl. Fillion,* L'existence historique de Jésus et le rationalisme contemporain, Paris 1909; *Fr. X. Kiefl,* Der geschichtliche Jesus und die moderne Philosophie, Mainz 1910.

CAPUT II.

DE TESTIMONIO IESU CHRISTI DE LEGATIONE SUA DIVINA.

Cf. *Ottiger,* Theologia fundam. I, 526 sqq 629 sqq, et alii tractatus apologetici iam antea indicati; *J. M. Lagrange,* Le Messianisme chez les Juifs, Paris 1909; *M. Meinertz,* Jesus und die Heidenmission, Münster 1909; *A. Seitz,* Das Evangelium vom Gottessohn, Freiburg 1908, qui recenset varias opiniones rationalistarum, negantium Iesum esse Deum, Messiam, doctorem, omnino exstitisse.

Prop. XIII. Iesus Christus dixit se esse legatum divinum, et hoc eius testimonium fide dignum est.

126. ***Stat. quaest.*** Stabilita genuinitate, integritate, credibilitate evangeliorum, quaeritur, quis et qualis secundum hos fontes fuerit Iesus. Secundum doctrinam catholicam, quae iam in evangeliis clare traditur, est Deus incarnatus. Sed a divinitate eius interim abstrahimus, et illam solam dignitatem eius consideramus, quam ipse saepissime effert, legati scilicet divini, qui ad homines missus est, ut rectum ad Deum ordinem eos doceret. Sicut multi negant divinitatem Iesu, ita quidam rationalistae negant Christum fuisse vel haberi voluisse legatum divinum. Plerique tamen hoc concedunt.

Iudaei multo ante Iesu tempora exspectabant insignem quendam legatum divinum, cui nomen datum erat Messias, quod vertitur *ὁ Χριστός* seu Unctus (Dn 9, 25 sq; cf. Is 61, 1). «Uncti» vocabantur in Vetere Testamento reges, sacerdotes, prophetae. Hoc loco unice munus prophetae seu legati divini consideramus. Iudaei igitur Messiam, *τὸν Χριστόν,* seu *τὸν προφήτην* exspectabant. Herodes interrogat sacerdotes et scribas, «ubi *ὁ Χριστός* nasceretur» (Mt 2, 4). Simeon acceperat a Deo promissionem «non visurum se mortem, nisi prius videret *τὸν Χριστὸν Κυρίου*» (Lc 2, 25 sq). Ioannes Baptista de se ait: «Non sum ego *ὁ Χριστός*» (Io 1, 20). Andreas ait: «Invenimus Messiam» (Io 1, 41). Iudaei exclamant: «Hic est vere *ὁ προφήτης,* qui venturus est in mundum» (6, 14). Haec et alia multa manifestant exspectationem futuri legati divini plane singularis.

Ostendemus igitur imprimis Christum dixisse se esse hunc legatum divinum, et hoc eius de se testimonium esse fide dignum. Nondum loquimur de fide divina sed de certitudine humana.

127. ***Arg.*** Christus est legatus divinus, si dixit se esse legatum divinum, et si eius testimonium fide dignum est. Atqui utrumque obtinet. Ergo.

Prob. min. pars I. a) *Christus dixit se esse Messiam, quem iudaei exspectabant.* Ad quaestionem: «Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?» respondet: «Euntes renuntiate Ioanni, quae audistis et vidistis: caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur» (Mt 11, 4 sq). Haec

sunt verba vaticinii Isaiae de futuro Messia (Is 35, 5 sq; 61, 1). Mulieri Samaritanae dicenti: «Scio, quia Messias venit», respondet: «Ego sum, qui loquor tecum» (Io 4, 25 sq). Beatum praedicat Petrum, quod hic cognoverit ipsum esse *τὸν Χριστόν* (Mt 16, 17). Pontifici adiuranti: «Dicas nobis, si tu es *ὁ Χριστός*», respondet: «Tu dixisti», «Ego sum» (Mt 26, 64. Mc 14, 62). Idem repetit multis aliis locis (cf. Mt 22, 42; 23, 10; Mc 9, 40; Lc 24, 26 46; Io 17, 3)[1].

b) *Christus saepe dixit se esse a Deo missum* (Mt 10, 40; 15, 24. Lc 4, 43. Io 4, 34; 5, 24 36; 6, 39 44; 17, 18). Missus est ad hoc, ut praedicaret et doceret (Mc 1, 21 sq 38 sq. Lc 4, 31 sq 43). Proponebat autem «novam doctrinam» (Mc 1, 27; 4, 2; 6, 2), «sicut potestatem habens» (Mt 7, 29). De qua doctrina dicebat: «Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me» (Io 7, 16). «Qui me misit, verax est; et ego, quae audivi ab eo, haec loquor in mundo» (Io 8, 26). «Ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam et quid loquar» (Io 12, 49). Ipse unus omnium magister est (Mt 23, 10). Qui eum non audit, spernit Deum, qui misit eum (Lc 10, 16), et damnationi obnoxius est (Io 3, 18. Mt 10, 15. Mc 16, 16). Recte igitur homines de eo dixerunt: «Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo» (Io 7, 46).

Ex his constat Christum se proposuisse ut legatum a Deo ad hoc missum, ut hominibus traderet doctrinam divinitus revelatam.

128. *Prob. min. pars II. Christi de se testimonium verum est.* Christus aut est legatus divinus, aut deceptor, aut deceptus. Atqui non est deceptor neque deceptus. Ergo est legatus divinus.

a) *Christus non est deceptor.* Qui se dicit legatum divinum, sciens se non esse, ingens crimen committit, praesertim si seducit multos homines, si non solum privatim sed etiam in publico, immo coram iudice, adiuratus per Dei nomen, errorem suum asseverat et usque ad mortem in eo persistit. Atqui Christus non est nequissimus malefactor sed homo sanctissimis moribus insignis, qui secure adversarios interrogabat: «Quis ex vobis arguet me de peccato?» (Io 8, 46); cuius tota vita tam perfectum exemplar virtutum est, quale numquam praeter eum fuit in mundo; «sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus» (Hebr 7, 26); «qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius» (1 Petr 2, 22). Iudaei quidem eum, quia se Messiam et Filium Dei dixerat, tamquam mortis reum accusarunt, sed iudex respondit: «Nullam causam inveni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis» (Lc 23, 14), «innocens ego sum a sanguine iusti huius» (Mt 27, 24).

---

[1] Damnatae sunt hae theses modernistarum, 28: «Iesus cum ministerium suum exercebat, non in eum finem loquebatur, ut doceret se esse Messiam, neque eius miracula eo spectabant, ut id demonstraret.» 35: «Christus non semper habuit conscientiam suae dignitatis messianicae» (*Denz.* n. 2028 2035).

Atqui non potuit homo esse tam sanctus et simul nequissimus impostor. Sanctitas Christi est effectus providentiae divinae plane singularis et miraculosus, quo non potuit Deus insignire hominem nefarie se legatum divinum fingentem.

b) *Christus non erat deceptus.* Homo, qui serio et constanter se legatum Dei praedicat, cuius doctrinam omnes sub poena aeternae damnationis admittere debeant, insanit, si revera non est legatus divinus. Atqui Christus certe non fuit homo insanae mentis sed sapientissimus, ut excellentissima eius doctrina ostendit, et etiam infideles plerique concedunt. Qui censet delirum hominem potuisse vitam agere tam exemplarem, doctrinam tradere tam sanctam et omnium hominum condicionibus adaptatam, efficere talem instaurationem religiosam et moralem, qualem Christus effecit — hic manifeste ipse delirat.

Si Christus comparatur cum eximiis doctoribus, qui inter gentiles exstiterunt, cum Pythagora, Socrate, Platone, statim apparet magna differentia. Illi enim solum conantur invenire verum, fatentur multiplicem ignorantiam, desperant de corrigendis vitiis et erroribus, ipsi in errores et vitia inciderunt, doctrinam suam paucis tantum discipulis persuadere poterant, eorum scholae interierunt. Christus autem loquebatur cum absoluta auctoritate, certitudine, veritate, confidentia, simplicitate; doctrina eius adaptata est omnibus, etiam «parvulis», et tamen tam alta, ut ab ingeniosissimis non exhauriatur. Regnum eius, i. e. ecclesia, adhuc subsistit, viget, vincit, viros ingenio et sanctitate conspicuos producit; neque enim ipsius tantum Christi vita perfecte concordabat cum sancta eius doctrina, sed semper multos fideles asseclas habuit et habet, qui vitae eius sanctitatem imitantur. Tales non sunt fructus somniorum male sani capitis.

Neque res explicari potest per fanatismum vel enthusiasmum Christi. Imprimis enim Christus in omnibus tam pacate et circumspecte agit et loquitur, ut vix concipi possit homo magis alienus a furore fanatico. Nulla in eo apparent signa morbidae commotionis, nulla regnandi cupiditas, nulla superbientis animi vestigia. Utique inimici eius obiciunt: «Daemonium habet et insanit.» Sed statim alii responderunt: Verba eius «non sunt daemonium habentis» (Io 10, 20 sq). Praeterea enthusiasmo potest quidem ad breve tempus aliquid effici; at violenta non durant, sed defervescente furore corruunt. Christus autem ipse quiete perseveravit in perficiendo opere suo usque ad mortem, et opus eius maxima stabilitate excellit usque ad nostra tempora. Talia non efficit inanis enthusiasmus.

Ergo quia Christus non erat deceptor neque deceptus, erat vere legatus Dei.

129. *Obi. I.* Iesus non docuit ullas theoreticas propositiones necessario omnibus admittendas, sed solum ostendit hominibus practicam viam Deum recte colendi. Ergo non erat eo sensu legatus divinus, quasi doctrinam aliquam revelatam proposuerit.

Resp. *Dist. antec.:* Iesus non docuit homines ad hunc finem, ut in nuda cognitione sisterent, sed potius ut vitam secundum suam doctrinam instituerent, *conc. antec.;* non docuit ullas veritates theoreticas, quae essent fundamentum vitae et religionis christianae, *neg. antec.* E. g. docuit se esse Unigenitum Patris, et se solum nosse Patrem et ideo de Patre se posse aliis revelare (Mt 11, 27). Dixit se venisse, ut daret animam suam λύτρον ἀντὶ πολλῶν (Mc 10, 45), se esse Dominum Davidis (Mc 12, 35 sqq), se venturum esse in nubibus caeli ad iudicandos omnes homines (Mc 13, 26 sq). Ita Iesus permulta alia dogmata docuit, ut in decursu theologiae dogmaticae videbimus. Christus purus moralista adogmaticus non est Christus verus, sed figmentum infidelitatis.

130. *Obi. II.* Iesus Christus non aliam doctrinam propriam habuit nisi Deum esse Patrem nostrum et nos esse filios Patris caelestis; cetera sumpta sunt ex iudaismo, et vel ex accommodatione ipsius Iesu ad religiosas opiniones popularium suorum vel ex applicatione harum opinionum, ad Iesum per eius discipulos facta, in doctrinam christianam transierunt.

Resp. *Neg. assert.* Nam principalia dogmata religionis christianae, ut Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis, non tradebantur inter iudaeos aetate Christi. Totam legem mosaicam Christus abrogavit et novam societatem religiosam instituit, quam iudaei statim ab initio ut sibi oppositam maximo odio prosequebantur. Tantum abest, ut Iesus praeiudiciis iudaeorum se accommodaverit, ut per totam vitam suam publicam ea impugnaverit. Quae autem ante Christum revelatae erant doctrinae religiosae, eas utique Iesus agnovit et suis etiam discipulis credendas proposuit, quia vera a Deo revelata numquam fieri possunt non vera. Principale obiectum fidei christianae est ipse Christus secundum ea, quae de seipso revelavit. «Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. . . . Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei» (Io 3, 16 18). Haec res quam maxime inculcatur in prima epistula Ioannis.

131. *Obi. III.* Christus quaedam fecit, quae non decent legatum divinum. ut quando iratus est, quando vendentes eiecit e templo, quando daemones misit in porcos, quando maledixit fico, et similia (Mc 3, 5. Mt 21, 12 sqq; 8, 30 sq. Mc 11, 12 sqq). Ergo vitae eius sanctitas non erat tanta, ut ex ea quidquam probetur.

Resp. *Neg. antec.* Christus iratus est et alia egit secundum dictamen rectae rationis. Est ira bona, qua quis irascitur de Dei offensis, sicut Christus iratus est, quod homines domum Dei fecerant speluncam latronum. Porcos sivit obsideri a daemonibus, ut hac suae potentiae manifestatione homines illius regionis doceret, quis ipse esset, et a quam dira servitute eos liberare vellet. Si hoc miraculum fuisset malum morale, Deus illud non patrasset. Idem valet de ficu, in cuius miraculosa arefactione Christus iudaeis ostendit futuram eorum sortem, si permanerent arbor mala et infructuosa (cf. Lc 13, 6 sqq). Si Iesus immoderata commotione se abripi passus esset, non potuisset tam confidenter hominibus dicere: «Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris» (Mt 11, 29).

132. *Obi. IV.* Fuerunt etiam pseudoprophetae, qui se legatos Dei dixerunt et magna opera effecerunt, ut Mohammed. Ergo ex testimonio Christi et eius operibus nihil concludi potest de vera eius legatione divina.

Resp. *Dist. antec.:* Fuerunt pseudoprophetae, qui ex suis operibus cognosci possunt ut pseudoprophetae, *conc. antec.;* fuerunt pseudoprophetae, quorum sanctitas et opera comparari possunt cum sanctitate et opere Christi, *neg. antec.*

Iniuria fit Christo, si componitur cum Mohammedo. Nam Mohammed erat homo sensualis, qui et ipse polygamiam exercebat et aliis permittebat, et suis asseclis paradisum voluptuosum promittebat; et erat homo violentus, qui religionem suam armorum vi propagandam docebat. Arabes ab eo ad fanatismum excitati, multas quidem regiones sibi subiecerunt et per aliquod tempus externam quandam culturam produxerunt; at mohammedanismum ubique secuta est pessima morum corruptio et cultus civilis perditio. Sicut opere Christi probatur divina eius origo, ita opere Mohammedi plane contrarium.

Prop. XIV. Iesus Christus docuit integram suam doctrinam omnibus hominibus necessario amplectendam esse.

133. ***Stat. quaest.***. Cum Iesus sit legatus divinus, quaeritur, utrum missus sit ad solum populum Israel, sicut plerique prophetae Veteris Testamenti, an revelatio eius pertineat ad omnes homines. Quod ipsius praedicationem attinet, diserte dixit: «Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel» (Mt 15, 24). Et quamvis interdum samaritanis praedicaverit (Io 4, 40 sq) neque gentiles a commercio suo repulerit (Mt 4, 23; 8, 5 sqq 28 sqq; 15, 21 sqq. Io 12, 20 sqq), tamen totum eius ministerium unice fere impendebatur populo israelitico (cf. *S. Thomas* 3, q. 42. a. 1).

At cum Iesus etiam discipulos suos miserit ad praedicandam doctrinam, quaeritur, utrum voluerit, ut hi discipuli solis israelitis praedicarent, an etiam aliquando alios populos docerent.

Quidam rationalistae, ut *A. Harnack* (Die Mission und die Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten[2], Leipzig 1906, 33) negant Christum umquam cogitasse de evangelizandis gentibus. Assentiunt modernistae, quorum haec est opinio: «Christus determinatum doctrinae corpus, omnibus temporibus cunctisque hominibus applicabile, non docuit, sed potius incohavit motum quendam religiosum, diversis temporibus ac locis adaptatum vel adaptandum» (*Denz.* n. 2059). Contra Harnack scripsit *M. Meinertz* librum iam citatum: «Jesus und die Heidenmission».

Nos igitur statuimus ut rem certam et manifestam Iesum voluisse, ut evangelium suum aliquando praedicaretur omnibus hominibus, et ut omnes homines hoc evangelium reciperent.

134. ***Arg.*** Christus praedixit futurum, ut omnibus gentibus praedicaretur doctrina a se revelata, et discipulis mandatum dedit hanc doc-

trinam in toto mundo praedicandi. Ergo voluit, ut haec doctrina ab omnibus admitteretur, ad quos praedicatio perveniret.

Prob. antec. a) *Christus praedixit doctrinam suam omnibus hominibus praedicatum iri.* «Praedicabitur hoc evangelium regni [messianici] in universo orbo in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio» (Mt 24, 14). «In omnes gentes primum oportet praedicari evangelium» (Mc 13, 10). «Ubicumque praedicatum fuerit evangelium istud in universo mundo» (Mc 14, 9). «Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili [israelitico], et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor» (Io 10, 16). Propterea Christus est lux mundi (Io 8, 12; 9, 5); mundus autem hic idem est atque omnes homines. Quia apostoli destinati erant ad praedicandum omnibus, ait illis: *Ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου* (Mt 5, 14). Et si multi iudaei repulsuri sunt hanc lucem, multi gentiles eam recipient. «Dico vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient et recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno caelorum, filii autem regni eicientur in tenebras exteriores» (Mt 8, 11 sq). In ultimo iudicio Christus «mittet angelos suos et congregabit electos suos a quattuor ventis, a summo terrae usque ad summum caeli» (Mc 13, 27). «Et congregabuntur ante eum omnes gentes» (Mt 25, 32).

b) Ut autem haec fierent, *Christus apostolis mandavit, ut post ipsius abscessum e mundo praedicarent evangelium omnibus gentibus.* «Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis. Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi» (Mt 28, 18 sqq). «Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur» (Mc 16, 15 sq). «Oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine eius paenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma. Vos autem testes estis horum» (Lc 24, 46 sqq). «Eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae» (Act 1, 8).

c) *Ratio, cur evangelium Iesu praedicandum sit omnibus gentibus,* haec est, quod «non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri» (Act 4, 12). «An iudaeorum Deus tantum? Nonne et gentium? Immo et gentium. Quoniam quidem unus est Deus, qui iustificat circumcisionem [i. e. iudaeos] ex fide, et praeputium [i. e. gentes] per fidem» (Rom 3, 29 sq). «Non enim est distinctio iudaei et graeci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prae-

dicante? Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur» (Rom 10, 12 sqq).

Hisce efficitur *apostolos intellexisse se esse missos ad praedicandum gentibus.* Quia vero mandatum acceperant prius praedicandi iudaeis, inter eos manebant, usquedum Deus significaret iis iam procedendum esse ad gentes (Act 8, 4 sqq; 9, 15 29; 10, 1 sqq; 11, 1 sqq; 13, 1 sqq; 15, 1 sqq; 16, 1 sqq). Neque a primis exordiis alia fuit persuasio christianorum nisi evangelium aeque gentibus atque iudaeis praedicandum esse. Est autem irrationabilis suppositio statim ab initio ab omnibus male intellectam esse voluntatem Christi (cf. 1 Petr 1, 1 sqq; 2, 10 12 25; 4, 3 sq). «Apostoli nobis [gentibus] evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo, Iesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo et apostoli a Christo; et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei» (*Clemens. Rom.*, 1 Cor. 42, 1 sq).

d) Consequenter *omnibus hominibus officium incumbit integram Christi doctrinam amplectendi.* Quivis enim, cui revelatio divina cum sufficienti certitudine proponitur ut ad eum pertinens et eum obligans, sine dubio eam sequi tenetur, quia non licet Deo loquenti assensum denegare, et quia Deus colendus est eo modo, quem ipse praescribit (cf. supra n. 49). Quamdiu quis sufficientem certitudinem nondum habet revelationis factae, inquirere debet, quia non licet homini esse indifferentem circa ea, quae ad salutem sunt necessaria. Si is, qui non crediderit, salvus esse non potest, indifferentismus religiosus damnosus et detestandus est. Longam de hac re dissertationem habes apud *Ottiger,* Theologia fundam. I, 273 sqq. Doctrina indifferentismi religiosi saepius ab ecclesia damnata est (cf. *Denz.* n. 1715 sqq 1789 1810).

135. *Obi. I.* Iesus putavit adventum suum secundum mox instare; et voluit solum, ut ante hunc adventum apostoli praepararent populum israeliticum ad regnum Dei mox futurum. Nam ait: «Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis» (Mt 10, 23). Et iterum: «Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant» (Mt 24, 34). Ergo non cogitavit de evangelizandis gentibus.

Resp. *Neg. antec.* Et ad rationem additam: In ipso contextu illius sermonis ait ad apostolos: «Ad praesides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus» (Mt 10, 18). Non autem censendus est Christus his verbis et aliis, quae supra citavimus, de vocatione gentium, tam aperte contradicere, ut significet apostolos egressuros non esse e terra Israel. Alio loco ait: Iudaei «captivi ducentur in omnes gentes, et Ierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum» (Lc 21, 24). Sic etiam apostoli verba Christi intellexerunt: «Caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret» (Rom 11, 25 sq). Ergo in illo textu Mt 10, 23 aut illa verba «donec veniat Filius hominis» non intelleguntur de ultimo Christi adventu, sed de resurrectione eius vel de destructione urbis Ierusalem, sicut non pauci Patres et exegetae exponunt; aut si agitur de ultimo Christi adventu, «civitates Israel», intelle-

guntur civitates omnes, etiam extra Palaestinam sitae, in quibus erant communitates iudaeorum, ut alii explicant. Revera videmus apostolos in missionibus apostolicis adeuntes illas communitates iudaeorum, quemadmodum in Actibus narratur multis locis (Act 13, 5 14; 14, 1; 17, 1 sq 10; 18, 4 etc.).

Apud Mt 24, 34 «generatio haec» intellegitur gens iudaica, ut sensus sit: Populus iudaicus non exstinguetur usque ad secundum adventum Christi. Quam prophetiam eo cotidie impleri videmus, quod iudaei inter alios populos dispersi, perseverant ut gens separata.

136. *Obi. II.* Apostolus Paulus dicit ideo evangelium praedicatum esse gentibus, quod iudaei noluerint recipere doctrinam Christi. Ergo si iudaei hanc doctrinam recepissent, apostoli non praedicassent gentibus. Iudaeorum «delicto salus est gentibus» (Rom 11, 11).

Resp. *Dist. antec.:* Apostolus dicit propter incredulitatem iudaeorum evangelium citius praedicatum esse gentibus, *conc. antec.;* dicit omnino non praedicandum fuisse gentibus, si iudaei credidissent, *neg. antec.* «Vobis [iudaeis] oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud et indignos vos iudicatis vitae aeternae, ecce convertimur ad gentes; sic enim praecepit nobis Dominus» (Act 13, 46 sq).

137. *Obi. III.* Secundum doctrinam Christi caritas est, qua homo placet Deo. Ergo quidquid credit, salvus erit, dummodo caritatem habeat.

Resp. *Nego suppositum argumentationis.* Nemo caritatem Dei habere potest, qui non credit, quae Deus credenda proponit. «Qui non credit, iam iudicatus est» (Io 3, 18). S. Ioannes, qui adeo commendat caritatem, scribit: «Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est Filius Dei» (1 Io 5, 4 sq).

CAPUT III.

DE ARGUMENTIS, QUIBUS CHRISTUS TESTIMONIUM SUUM COMPROBAVIT.

ARTICULUS I.

DE MIRACULIS CHRISTI.

Cf. *S. Thomas,* S. th. 3, q. 43 sq, cum commentariis *Suaresii,* De mysteriis vitae Christi disp. 31; *P. Vallet,* Les miracles de l'évangile, Paris 1901; *L. Cl. Fillion,* Les miracles de N. S. Jésus-Christ, 2 vols., Paris 1909/1910. *F. Chable,* Die Wunder Jesu in ihrem Zusammenhange betrachtet, Freiburg 1897; *L. Fonck,* Die Wunder des Herrn im Evangelium I², Innsbruck 1907, 44 sqq; *E. Mangenot,* La résurrection de Jésus, Paris 1910.

Prop. XV. Iesus Christus ad probandam legationem suam divinam provocavit ad miracula, quae patravit.

138. ***Stat. quaest.*** Supra (n. 79 sqq) vidimus revelationem divinam et missionem legati divini cognoscibilem esse quibusdam criteriis, inter quae principalia sunt miracula. Numquid etiam Iesus Christus miracula in hunc finem patravit, ut ostenderet se esse vere legatum divinum et doctrinam suam esse divinitus revelatam? Respondent multi

rationalistae, ut *Reimarus* (Fragment. VII) et nostra aetate *Harnack* Das Wesen des Christentums), Christum miraculis aut nullam aut vix ullam attribuisse vim ad probandam divinam suam legationem. Nos dicimus Christum patrasse miracula etiam eo fine, ut ex iis homines cognoscerent ipsum esse legatum divinum.

139. ***Arg.*** Christus et disertis verbis dixit sibi ut legato divino fidem habendam esse propter miracula patrata, et hac via adduxit homines ad credendum. Ergo voluit, ut miracula essent argumentum divinae suae missionis.

Prob. antec. a) *Statim ab initio vitae suae publicae coepit Iesus non solum docere, sed etiam miracula patrare* (Mt 4, 23. Mc 1, 21 sqq. Lc 4, 16 sqq. Io 2, 1 sqq). Et quando interrogabatur, num ipse esset Messias a Deo promissus, provocat ad ea, quae ipsi interrogantes viderant: «Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur» (Mt 11, 5; cf. Lc 7, 21). Scribis nolentibus credere eum potuisse paralytico remittere peccata, ait: «Quid est facilius, dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, et ambula? Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico): Tibi dico, surge, tolle grabatum tuum et vade in domum tuam. Et statim surrexit ille, et sublato grabato abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes et honorificarent Deum, dicentes: Quia numquam sic vidimus» (Mc 2, 9 sqq). Alia occasione Christus ait: «Si in digito Dei eicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei» (Lc 11, 20). Herodi misit nuntium: «Ecce eicio daemonia et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor» (Lc 13, 32). Ante sanationem caeci nati dixit eum esse caecum natum, «ut manifestentur opera Dei in illo; me oportet operari opera eius, qui misit me» (Io 9, 3 sq). Ante resuscitationem Lazari «Iesus elevatis sursum oculis dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti» (Io 11, 42).

Ideo tantum est peccatum iudaeorum, quia non obstantibus tot miraculis credere nolebant. «Opera, quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me» (Io 5, 36). «Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite» (Io 10, 37 sq). «Pater in me manens ipse facit opera. Non creditis, quia ego in Patre et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite» (Io 14, 10 sqq). «Si opera non fecissem in iis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt et oderunt et me et Patrem meum» (Io 15, 24).

b) Quia alios quoque mittebat ad praedicandum, *Iesus dedit etiam discipulis suis potestatem faciendi miracula.* «Infirmos curate, mortuos

suscitate, leprosos mundate, daemones eicite» (Mt 10, 8). «Et daemonia multa eiciebant, et ungebant oleo multos aegrotos, et sanabant» (Mc 6, 13). «Signa eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia eicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non iis nocebit, super aegros manus imponent, et bene habebunt» (Mc 16, 17 sq). «Convocatis duodecim apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent, et misit illos praedicare regnum Dei et sanare infirmos» (Lc 9, 1 sq). «Qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet» (Io 14, 12).

Discipuli Christi intellexerunt miracula fieri in confirmationem doctrinae: «Illi profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis» (Mc 16, 20). S. Ioannes de miraculis ait: «Haec scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus, Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius» (Io 20, 31). Et S. Paulus de suis miraculis ait: «Signa apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia in signis et prodigiis et virtutibus» (2 Cor 12, 12). «Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quae cum initium accepisset enarrari per Dominum ab iis, qui audierunt, in nos confirmata est contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus secundum suam voluntatem» (Hebr 2, 3 sq).

Ergo apostoli et evangelistae censuerunt Iesum miracula patrasse et virtutem miraculorum cum discipulis communicasse ad confirmandam divinam revelationem et missionem. Atqui immediati Christi discipuli sine dubio melius mentem Christi perspexerunt quam infideles rationalistae nostrae aetatis. Ergo Christus miraculis voluit probare se esse legatum divinitus missum ad annuntiandam hominibus revelationem divinam.

140. *Obi. I.* Christus vituperat eos, qui miracula postulant. «Quid generatio ista signum quaerit? Amen dico vobis, si [i. e. non] dabitur generationi isti signum» (Mc 8, 12). «Nisi signa et prodigia videritis, non creditis» (Io 4, 48). Ergo ex mente Christi miracula non sunt argumenta divinae legationis eius.

Resp. *Dist. antec.:* Christus vituperat eos, qui ex mala vel minus bona mentis dispositione miracula poscebant, *conc. antec.;* Christus docet omnino nulla miracula exspectanda vel petenda esse, *neg. antec.* Et *neg. conseq. et consequentiam.*

Audivimus Christum provocantem ad miracula sua, et hoc maxime effertur in evangelio Ioannis; ergo certe in hoc evangelio non docetur contrarium. Mc 8, 12 sermo est de iis, qui Christo praescribebant, quale signum faciendum esset. Nam post miraculosam multiplicationem panis et post alia miracula postulant «signum de caelo». Christus autem respondet: Isti generationi infideli non dabitur signum, quale ipsi postulant. Marcus ipse statim narrat Christum alia signa fecisse; et apud Matthaeum 16, 4

additur: «Signum non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae», i. e. signum resurrectionis ex mortuis (Mt 12, 39 sq). Ergo Iesus provocat ad hoc maximum miraculum. Idem narratur apud Lucam 11, 29 sq.

Io 4, 48 vituperatur disposito galilaeorum, qui neque testimonio Ioannis Baptistae neque testimonio ipsius Christi, fide dignis, plene credebant sine miraculis (cf. Io 3, 11 32; 10, 25; 15, 22), cum samaritani credidissent (Io 4, 42). Quia tamen initium quoddam fidei aderat, Iesus fecit miraculum, quod petierat regulus, qui et ipse credidit et tota domus eius (Io 4, 53).

141. *Obi. II.* Christus prohibuit, ne miracula divulgarentur (Mt 9, 30. Mc 1, 44; 5, 43). Ergo noluit iis probare divinam suam missionem.

Resp. *Dist. antec.:* Interdum ob speciales rationes prohibuit, *conc. antec.;* semper et in perpetuum prohibuit, *neg. antec.* Et *neg. conseq.*

Plurima miracula narrantur, de quibus Iesus nullum silentium imposuit. Daemoniaco sanato ait: «Redi in domum tuam et narra, quanta tibi fecit Deus» (Lc 8, 39. Mc 5, 19). Immo generatim ad miracula sua ut signa manifesta provocat. Sed quia propter doctrinam et miracula eius fiebat magna commotio in populo, qua eius adversarii ad maius odium excitabantur, studuit Iesus illam commotionem cohibere, praesertim si homines putabant falsos suos conceptus temporis messianici impletum iri. «Et praecepit iis, ne manifestum eum facerent, ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam [42, 1] dicentem: Ecce puer meus, quem elegi. . . . Non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius; arundinem quassatam non confringet et linum fumigans non extinguet» (Mt 12, 16 sqq). Leprosis iniungebat Christus, ut se ostenderent sacerdoti secundum legem Moysis (Lv 14, 2), antequam ad alios homines irent (Mt 8, 4. Mc 1, 44. Lc 17, 14). Semel tribus apostolis praecepit, «ne cuiquam, quae vidissent, narrarent, nisi cum Filius hominis a mortuis resurrexerit» (Mc 9, 8). Hinc iam patet non agi de absoluta occultatione miraculorum, quae ceteroquin impossibilis erat; nam multi homines noverant aegrotos, et eos videbant subito sanatos.

142. *Obi. III.* Christus ante miracula postulat fidem. Ergo miraculum non est condicio et inductivum fidei, sed sequitur fidem et eius obiectum est.

Resp. *Dist. antec.:* Christus interdum postulat, ut ii, qui miraculum petebant, crederent ipsum posse patrare illud miraculum, *conc. antec.;* semper ante miracula postulat fidem, immo perfectam fidem integrae doctrinae suae, neque per miracula vult homines inducere ad hanc fidem, *neg. antec.* Et *dist. conseq.:* Ergo miraculum non est condicio omnis fidei, sed potest etiam fides praecedere miraculum, *conc. conseq.;* ergo Christus noluit miraculis inducere homines ad perfectam fidem legationis et doctrinae suae, *neg. conseq.*

Imprimis Christus plurima miracula patravit, nulla facta praemonitione de fide (Io 2, 1 sqq. Mc 1, 21 sqq. Mt 8, 14 sqq etc.). Deinde interdum propter fidem praesentium sanavit absentes, ita ut fides nequaquam fuerit psychologica dispositio sanandorum, qua naturaliter ad sanitatem disponerentur, ut rationalistae volunt (Io 4, 46 sqq. Lc 7, 1 sqq. Mt 15, 21 sqq). Praeterea talis explicatio est impossibilis in mortuorum resuscitatione, in multiplicatione panis, in sedatione tempestatis, in aliis miraculis. Ergo falsum est dicere omnia miracula ex fide processisse. Ex altera parte Christus, sicut

iudaeis obstinatis negabat miraculum, quod petebant, ita merito postulavit, ut petentes miraculum non mere corporale beneficium exspectarent, sed magis etiam moralem inde profectum facerent, credendo scilicet in ipsum vel crescendo in fide, quam fortasse iam habebant. Ad hunc finem interdum iam ante miraculum monet de fide habenda, interdum per miraculum ducit ad fidem. Ita caecum natum, quem sanaverat, interrogat: «Tu credis in Filium Dei? Respondit ille et dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo, Domine. Et procidens adoravit eum» (Io 9, 35 sqq).

143. *Obi. IV.* Non obstantibus miraculis Christi plurimi in eum non crediderunt. Ergo miraculum non est apta ratio ducendi homines ad fidem.

Resp. Conc. antec. Dist. conseq.: Ergo miraculum non imponit necessitatem credendi, sed relinquit libertatem, qua homo abuti potest, *conc. conseq.;* ergo miraculum non est aptum ad ostendendum rationabiliter credi homini patranti illud in signum legationis suae divinae, *neg. conseq.* Christus hoc ipso effert magnitudinem peccati iudaeorum, quod tot signis et miraculis pertinacem infidelitatem opposuerint (Io 15, 24; cf. supra n. 97).

144. *Obi. V.* Miracula in evangeliis narrantur propter symbolicam significationem, non ut facta stricte historica.

Resp. Dist. assert.: Miracula narrantur non ut facta historica sed ut repraesentationes pure ideales quarundam veritatum, *neg. assert.;* quaedam facta miraculosa etiam annexam habent symbolicam significationem, *conc. assert.* Haec autem symbolica significatio non est pro arbitrio fingenda, sed aut ex Scriptura aut ex dictis Patrum depromenda. Ita Christus post sanationem caeci nati ait: «In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, et qui vident, caeci fiant» (Io 9, 39). Et ante resuscitationem Lazari: «Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet» (Io 11, 25). His tamen non negatur, sed supponitur historica indoles miraculorum.

Prop. XVI. **Iesus Christus ad probandam legationem suam divinam multa opera patravit, quae vera miracula sunt.**

145. **Stat. quaest.** *Cum Iesus Christus ut probaret legationem suam divinam, provocaverit ad miracula sua* (supra n. 139), nisi vera miracula patravit, aut deceptor aut deceptus est. Atqui neutrum dici potest. Ergo vera miracula patravit.

Iam homines illi, qui miracula Christi viderant, «dicebant: Christus, cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quae hic facit» (Io 7, 31). Ad miracula Christi provocabant apostoli (Act 1, 22; 2, 22 etc. Rom 15, 19. 1 Cor 15, 3 sqq etc.). Item apostolorum discipuli. *Quadratus* ad Adrianum imperatorem (117—138) scripsit apologiam pro christianis, in qua ait: «Servatoris nostri opera semper conspicua erant, quippe quae vera essent: ii scilicet, qui morbis liberati aut qui ex morte ad vitam revocati fuerant. Qui quidem non solum dum

sanabantur, aut dum ad vitam revocabantur, conspecti sunt ab omnibus, sed secuto deinceps tempore. Nec solum quamdiu in terris moratus est Servator noster, verum etiam post eius discessum diu superstites fuerunt, adeo ut nonnulli eorum etiam ad nostra usque tempora pervenerint» (*Euseb.* H. E. 4, 3). Sequentibus quoque saeculis semper christianis firmiter persuasum erat a Christo multa et vera miracula esse facta. Sed his ultimis saeculis et praecipue nostra aetate multi coeperunt negare miracula Christi, non ob historicas rationes, sed quia a priori statuebant miracula fieri non posse.

Primi adversarii Christi fatebantur eum miraculosa opera fecisse: «Hic homo multa signa facit» (Io 11, 47), sed dicebant: «Daemonium habet» (Io 10, 20 sq. Mc 3, 22). Gentiles quoque, ut *Celsus,* non negabant facta, sed magicis artibus adscribebant (*Origenes* contra Cels. 1, 38). Nunc plerique rationalistae student eliminare ex evangeliis plurimas miraculorum narrationes ut posteriores additiones, retinent fere solas morborum curationes, has explicant nervorum excitatione tum ipsius Christi tum aequalium eius, ut non iam agatur de miraculis sed de factis pathologicis, de suggestione, de magnetismo, aliis viribus naturalibus occultis.

Purgare velle evangelia a miraculis est conatus irrationabilis. Nam demptis miraculis non remanet nisi truncus prorsus impossibilis, quia miracula non sunt accidentalia quaedam ornamenta, sed ad ipsam substantiam narrationum pertinent. Itaque qui nolunt admittere miracula, non possunt habere evangelia nisi ut scripta fraudulenta et mendacia. Haec autem suppositio est iniusta (supra n. 121 sqq). Contradicunt quoque sibi ipsis qui in aliis rebus fidem evangelistis habent, in hac vero re fidem denegant. Nam scriptoribus decipientibus aut deceptis in parte maxima et substantiali narrationis, nulla fides debetur.

Itaque duo nobis ostendenda sunt: Christum fecisse multa opera miraculosa, et inter haec opera esse vera miracula. Fortasse non quoad omnia opera mirabilia Christi certum indicium formare possumus, utrum agatur de miraculo proprie dicto an de exauditione precum non stricte miraculosa. At neque hoc necessarium est. Si vel uno vero et certo miraculo Christus probasset legationem suam divinam, firmum esset argumentum. Sed sunt multa miracula prorsus indubia.

146. ***Arg.*** Christus fecit multa opera, quae non admittunt aliam explicationem, quam quod sunt vera miracula. Ergo fatendum est Christum vera miracula patrasse.

Prob. antec. a) *Marcus in brevissimo suo evangelio haec narrat inter alia:* Christus ait ad leprosum: «Volo, mundare», et «statim discessit ab eo lepra» (Mc 1, 40 sqq). Dicit ad paralyticum: «Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam, et ... sublato grabato

abiit coram omnibus» (Mc 2, 11 sq). Ad hominem habentem manum aridam: «Extende manum tuam. Et extendit, et restituta est manus illi» (Mc 3, 5). Ad surdum et mutum: «Adaperire. Et statim apertae sunt aures eius, et solutum est vinculum linguae eius, et loquebatur recte» (Mc 7, 34 sq). Ad caecum: «Vade, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit» (Mc 10, 52). Haec sunt quaedam, quae evangelista elegit ex multis factis. Nam saepius summatim tantum indicat: «Curavit multos, qui vexabantur variis languoribus» (Mc 1, 34). «Multos enim sanabat» (Mc 3, 10). Cf. Mt 15, 30 sq.

Similia in omnibus quattuor evangeliis narrantur. Ergo si evangelistae sunt veridici, haec facta negari non possunt. Atqui *haec facta sunt manifesta miracula.* Nam solo imperio vocis statim curare lepram, caecitatem, surditatem, mutam linguam, ariditatem, paralysim, omne genus malorum, est ultra vires naturae, quia inter vocem imperantis et curationem morborum, maxime tam diversorum, nulla est proportio. Neque ulla experientia vel experimenta umquam tale quid naturaliter facta esse docent, etiam in auxilium vocatis suggestione, magnetismo, hypnotismo vel aliis artibus, quarum nullum vestigium apparet in operibus Christi. Ergo etiamsi sola *opera sanationum,* quas Christus fecit, respicimus, aut unum aut alterum dicendum est: Si vera sunt, miracula sunt; si miracula non sunt, vera non sunt. Velle ea admittere et naturaliter explicare, est insignis stultitia; velle ea ficta, non facta declarare, est insignis calumnia.

b) *Alia miracula:* Exorta magna procella Iesus dixit: «Tace, obmutesce. Et cessavit ventus, et facta est tranquillitas magna» (Mc 4, 39). Iesus «acceptis quinque panibus et duobus piscibus, intuens in caelum, benedixit et fregit panes, et dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos, et duos pisces divisit omnibus. Et manducaverunt omnes et saturati sunt. Et sustulerunt reliquias, fragmentorum duodecim cophinos plenos, et de piscibus. Erant autem, qui manducaverunt, quinque milia virorum» (Mc 6, 41 sqq). Iterum simile miraculum factum est in favorem quattuor milium (Mc 8, 1 sqq). Iesus haec duo miracula discipulis specialiter in mentem revocat (Mc 8, 18 sqq). Solo imperio suo arefecit arborem (Mc 11, 14 20).

His miraculis tanta manifestatur *potestas in totam naturam materialem,* ut rationalistae ea aut simpliciter negent, aut fortuita concursione eventuum explicent: Quando Iesus dixit: «Tace», casu ventus cessavit; quando paucos panes divisit, fortuito inventi sunt multi alii panes. Piaculum foret talem sapientiam inquietari!

c) *Trium mortuorum suscitatio:* filiae Iairi, quae modo defuncta erat (Mt 9, 18 sqq; Mc 5, 22 sqq), adulescentis in Naim, qui efferebatur ad sepulchrum (Lc 7, 11 sqq), Lazari, qui iam quarto die iacebat in sepulchro (Io c. 11): haec triplex resuscitatio non tantam creat difficultatem rationalistis; nam, inquiunt, puella et adulescens non erant mortui, sed videbantur mortui, Lazari vero resuscitatio est mythus vel symbolica

narratio, non factum. Attamen Iesus ipse provocat ad mortuorum resuscitationem (Mt 11, 5. Lc 7, 22. Io 11, 14 42), et dat discipulis potestatem resuscitandi mortuos (Mt 10, 8), qua potestate discipuli usi sunt (Act 9, 36 sqq; 20, 7 sqq).

d) *Iesus exercuit potestatem in daemones,* ut multis locis evangeliorum narratur. Haec autem potestas non est homini naturalis. Dicunt rationalistae, qui negant exsistentiam daemonum, homines daemoniacos fuisse homines nervorum morbo laborantes. Sed etiam sic Iesus solo nutu voluntatis suae hos omnes morbos curasset. Deinde Iesus docet esse daemones (Mt 13, 39; 25, 41. Lc 10, 18 20) et se habere potestatem in daemones (Mt 12, 22 sqq), et hanc potestatem dat discipulis suis (Mt 10, 8. Mc 3, 15. Lc 9, 1). Nisi daemoniaci erant vere obsessi, unde habebant scientiam Christum esse Filium Dei, et cur eum adeo timebant (Mc 1, 24; 3, 11 sq)? Neque per morbi sanationem explicari potest, quod narrat Marcus de obsesso in regione gerasenorum. Dicebat Iesus ad daemonem: «Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus. . . . Et deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus. Et concessit iis statim Iesus. Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos; et magno impetu grex praecipitatus est in mare ad duo milia, et suffocati sunt in mari» (Mc 5, 1 sqq. Mt 8, 28 sqq. Lc 8, 26 sqq).

Haec sufficiant. Probavimus evangelistas esse testes fide dignos; probavimus Iesum seipsum proclamasse legatum Dei, cuius doctrina omnibus esset admittenda; probavimus eum ad confirmandam legationem suam divinam provocasse ad miracula a se patrata; probavimus eum vera miracula patrasse. Conclusio: Ergo Christus est legatus divinus; eius doctrina est a Deo revelata et omnibus hominibus necessario admittenda.

147. *Obi. I.* Etiam fundatoribus aliarum religionum adscribuntur miracula, quae vera non habentur. Ergo neque Christi miracula vera habenda sunt.

Resp. *Neg. conseq. et consequentiam.* Nam est haec essentialis differentia, quod miracula Iesu Christi historice probata sunt, aliorum illorum hominum probata non sunt.

In medium proferunt, quae narrantur de Buddha, de Mahavira, de Nanak, de Mohammed. At libri, in quibus narratur vita Buddhae, multis saeculis post Buddham scripti sunt ab hominibus omni sensu historico carentibus, et referti sunt nugis. Idem valet de Mahavira et de Nanak. Mohammed diserte dicit se non posse patrare miracula (Coran, sura 29, 49). Miraculorum quorundam, quae ei adscribuntur, ut itineris cuiusdam caelestis, nullus testis fuit. Dicitur etiam divisisse lunam in duas partes, coegisse eam, ut iret per manicam suam, dein iterum coniunxisse. Si quis haec vult admittere et cum Christi miraculis comparare, habeat sibi.

Cum quidam studuerint derivare vitam et doctrinam Christi e buddhismo, nunc haec opinio plane fere derelicta est. Recentissime *Jensen*

in libro voluminoso de babylonico carmine *Gilgamesh* conatus est ostendere non solam historiam Iesu Christi sed etiam totam historiam patriarcharum et prophetarum Veteris Testamenti ex illo carmine descendere. Sed quia tota eius inquisitio non est nisi stupendum exemplum imaginationis mire evagantis et luxuriantis, immorari non libet. (Cf. Praelect. dogm. I, n. 132 204 sqq. Quaedam alia apud *Fonck,* Die Wunder des Herrn I 36 sqq, et apud *Th. Specht,* Lehrbuch der Apologetik § 30 32).

148. *Obi. II.* Res miraculosae ante novemdecim saecula factae nunc non iam sufficienter diiudicari possunt, ut cum certitudine sciamus, num vera fuerint miracula. Ergo saltem nostra aetate non iam provocandum est ad miracula Christi ut criteria revelationis christianae.

Resp. *Dist. antec.:* Si sufficientia testimonia historica desunt, *conc. antec.;* si sufficientia testimonia adsunt, *neg. antec.* Et *neg. conseq.* Ut iam annotavimus, qui confidit evangelistis in aliis rebus, non potest iis rationabiliter fidem negare in hac re. Ita tamen plerique rationalistae agunt, non ob rationes historicas sed ob praeiudicia philosophica (cf. supra n. 87 sqq).

Prop. XVII. Speciatim resurrectio Iesu Christi a mortuis est verum miraculum et certum argumentum divinae legationis eius.

149. **Stat. quaest.** Cum inter miracula, quibus probatur divina Iesu Christi legatio, praecipuum sit eius resurrectio a mortuis, haec in specie consideranda est, sicut in specie ab adversariis impugnatur. Loquuntur isti de fraude, de vivida imaginatione discipulorum Christi, de verbis Christi vel apostolorum male intellectis, de mytho, nescio de quibus aliis effugiis. *Harnack* in libro «Das Wesen des Christentums» docet fidem paschalem omnino retinendam esse, sed nuntium paschalem non esse historice certum neque posse servire ut adiumentum fidei nostrae. Sensus est hic: Christus, etsi in cruce mortuus neque umquam corporaliter resuscitatus, non tamen plane mortuus est, sed vivit in opere suo, i. e. in religione ab ipso fundata, in animis fidelium, et fortasse etiam aliquo modo secundum spiritum apud Deum. Concedit tamen Harnack primos christianos firmissimam persuasionem resurrectionis corporeae Iesu Christi habuisse (Lehrbuch der Dogmengeschichte I[4] 94 sq). Id sane verissimum est.

Legantur Actus apostolorum; *statim ab initio resurrectio Iesu Christi a mortuis ut fundamentum religionis christianae ponitur.* Pro Iuda oportet alium «testem resurrectionis eius [Iesu] nobiscum fieri» (Act 1, 21 sq). Die Pentecostes Petrus ad iudaeos sermonem habet de resurrectione Iesu (Act 2, 22 sq). Item Act 3, 12 sqq; 4, 9 sqq etc. «Virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi» (Act 4, 33). Similiter postea Paulus (Act 19, 30 sq; 17, 3), qui gravissimis verbis inculcat hoc factum: «Si Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra. Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus ad-

versus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit. . . . Nunc autem Christus resurrexit a mortuis» (1 Cor 15, 14 sqq).

Loquebantur autem apostoli de resurrectione in publico coram hominibus, inter quos acciderant res, quas testabantur; loquebantur coram inimicis Christi, qui iis frustra cum minis et poenis hanc praedicationem interdicebant (Act 4, 21; 5, 40 sqq); loquebantur maxima cum fiducia et sine ulla haesitatione, et hoc suo testimonio multa milia hominum converterunt ad fidem, et tam firmum fundamentum religionis christianae posuerunt, ut haec religio invicta usque ad nostra tempora perseveraverit. Quis erravit: Iesus Christus ipse, apostoli, tota deinceps ecclesia, profitens ubique et semper in symbolis: «Resurrexit tertia die», an rationalistae, facientes hypotheses et assertiones absurdas, diversas, inter se pugnantes et conficientes? (Cf. *Mangenot,* La résurrection de Jésus.)

150. ***Arg.*** Traditione constanti et firma, quae ascendit usque ad ipsos spectatores rerum, constat Iesum Christum esse mortuum, sepultum, tertio post die visum redivivum. Ergo Iesus Christus vere surrexit a mortuis.

Prob. antec. a) *Anno 58 S. Paulus scribit ad corinthios:* «Tradidi vobis, quod et accepi», i. e. quando vobis praedicavi evangelium (a. 52), haec, quae ego ex traditione apostolica accepi, vobis proposui. Enumerat autem quattuor, praeponens singulis particulam *ὅτι* (Vulgata: quoniam, et quia): «[1.] Quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas. [2.] Et quia sepultus est. [3.] Et quia resurrexit tertia die, secundum Scripturas. [4.] Et quia visus est Kephae et post hoc undecim.» Tum vero sine *ὅτι* addit: «Deinde visus est plus quam quingentis fratribus, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Iacobo, deinde apostolis omnibus, novissime autem, tamquam abortivo, visus est et mihi» (1 Cor 15, 3 sqq). Ergo viginti circiter annis post factum, cuius testes plurimi etiamtum inter vivos erant, hae quattuor res in communi traditione ecclesiae erant: mors Christi, sepultura Christi, resurrectio Christi, apparitio Christi post resurrectionem apostolis facta. Apostolus manifeste non loquitur de imaginaria visione, sed de facto historico, «resurrexit tertia die», ex quo probat etiam christianos secundum corpus resurrecturos esse. Eandem rem etiam in aliis epistulis commemorat et inculcat (Rom 1, 4; 6, 1 sqq; 7, 4; 8, 34; 14, 9. 2 Cor 5, 15. Eph 1, 20. Phil 3, 10. Col 2, 12; 3, 1. 1 Thess 1, 10; 4, 13. 2 Tim 2, 8).

b) *Iesus disertis verbis praedixerat se moriturum et resurrecturum esse.* «Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis; et condemnabunt eum morte et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum; et tertia die resurget» (Mt 20, 18 sq; cf. 16, 21). «Et interficient eum, et tertia die resurget» (Mc 10, 34).

«Occident eum, et tertia die resurget» (Lc 18, 33). Ad hoc enim venit Filius hominis, ut «daret animam suam redemptionem pro multis» (Mc 10, 45. Mt 20, 27. Cf. Mt 26, 28; Mc 14, 24; Lc 22, 20; Gal 3, 13). «Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. . . . Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam» (Io 10, 11 17 sq). «Erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus» (Mt 12, 40; cf. Io 2, 18 sqq). Quia Christus hoc praedixerat, iudaei ad Pilatum aiunt: «Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit, adhuc vivens: Post tres dies resurgam» (Mt 27, 63).

c) *Iesus mortuus est, sicut praedixerat.* Post flagellationem et alias crudelissimas perpessiones in crucem actus et clavis affixus est (Io 20, 25 sqq); tres horas pependit in cruce, dein exspiravit, et post mortem miles lancea latus eius perforavit (Io 19, 32 sqq).

Eum mortuum esse omnes testati sunt, qui de hoc facto vel scripserunt vel locuti sunt. Ita omnes evangelistae (Mt 27, 50. Mc 15, 37. Lc 23, 46. Io 19, 30; cf. 19, 35), ita apostoli in sermonibus et epistulis (Act 2, 23; 3, 15; 4, 10 etc. 1 Petr 1, 18 sqq. Apc 5, 9. Eph 2, 15. Hebr 2, 14; 9, 12; aliis locis, quos iam citavimus), ita milites cum centurione, qui debebant rationem huius rei reddere (Mc 15, 39 44 sq), ita principes sacerdotum et pharisaei (Mt 27, 63). Nemo minimam de hac re dubitationem movit.

d) *Iesus post mortem sepultus est.* Hoc etiam omnes evangelistae testantur (Mt 27, 57 sqq. Mc 15, 42 sqq. Lc 23, 50 sqq. Io 19, 38 sqq); item S. Petrus (Act 2, 24 sqq) et S. Paulus (Act 13, 29. Rom 6, 4. 1 Cor 15, 4). Sepultus autem est Iesus cum multis unguentis et aromatibus, et in sepulchro mansit usque ad tertiam diem.

Tertio die sepulchrum inventum est vacuum a mulieribus, ab apostolis Petro et Ioanne, a militibus (Mt 28, 1 sqq. Mc 16, 1 sqq. Lc 24, 1 sqq. Io 20, 1 sqq). Si mansisset corpus in sepulchro, facile fuisset ostendere Iesum non resurrexisse. Nemo tale quid tentavit, sed inimici Iesu dederunt militibus pecuniam, ut dicerent corpus esse furto ablatum (Mt 28, 11 sqq).

e) *Iesus rursum vivus apparuit* mulieribus, apostolis, multis aliis hominibus, ut iam Paulum dicentem audivimus. Neque solum visus est Christus, sed ambulavit cum discipulis, sermones cum iis habuit, coram ipsis manducavit (Mt 28, 9 sq 18 sqq. Mc 16, 9 sqq. Lc 24, 13 sqq. Io 20, 11 sqq. Act 1, 1 sqq; 2, 15), sicut ait S. Petrus: Iesum «Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo, nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis. Et praecepit nobis praedicare populo et testificari quia ipse est, qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum» (Act 10, 40 sqq; cf. 13, 31 sq).

Ergo inde ab ipso tempore resurrectionis adfuerunt semper testes huius facti, non unus sed multi, non brevissimis apparitionibus conturbati sed familiariter cum Iesu redivivo collocuti et convivae, idque per multas hebdomadas. Quare rursus aut unum aut alterum: Aut tota haec traditio est fraus, aut Iesus vere resurrexit. Illud impudenter tantum asseritur; ergo alterum est admittendum.

151. **Obi. I.** Resurrectio Iesu est creditu difficillima. Atqui talis res non est admittenda, quamdiu ulla alia explicatio est possibilis. Ergo prius omnis alia explicatio est tentanda.

Resp. *Dist. mai.:* Est res creditu difficillima, si comparatur cum communi rerum cursu, *conc. mai.;* est res difficillima, si comparatur cum omnipotentia divina, qua Deus stabilivit religionem revelatam, usque ad finem mundi permansuram, *neg. mai. Dist. min.:* Quamdiu possibilis est explicatio, quae intacta relinquit facta historica et bonam fidem testium omni suspicione maiorum, *conc. min.;* si possibiles tantum sunt explicationes, quales proposuerunt rationalistae, ex aprioristicis assertionibus contra omnia sana principia pervertentes facta et calumniantes testes fide dignos, *neg. min. Dist. conseq.:* Omnis alia explicatio esset tentanda, si esset possibilis alia explicatio rationabilis, *conc. conseq.;* cum non sit possibilis, *neg. conseq.*

152. **Obi. II.** Testes sibi contradicunt in narrationibus suis. Ergo non sunt fide digni.

Resp. *Dist. antec.:* Testes sibi contradicunt quoad substantiam facti, *neg. antec.;* testes varia dicunt, quae non sunt quidem contradictoria, sed quorum concordia non uno determinato modo cum certitudine ostendi potest, *conc. antec. Dist. conseq.:* Testes non essent fide digni, si quoad substantiam facti sibi contradicerent, *conc. conseq.;* si quoad accidentalia et secundaria sibi contradicerent, *neg. conseq.*

Revera testes non solum dicunt Christum resurrexisse, sed etiam dicunt se Christum vidisse, loquentem audivisse, ab eo instructiones accepisse. Quo vero ordine singulae apparitiones factae sint, quae narrantur, est res non magni momenti. Potest quidem probabiliter ostendi, quomodo inter se successerint, sed non quoad omnia cum certitudine (cf. *A. Cellini,* Gli ultimi capi del Tetramorfo e la critica razionalistica, Roma 1906). Manifeste non ideo minuitur certitudo historica ipsius facti.

153. **Obi. III.** S. Paulus dicit «in se» revelatum esse Christum, ἀποκαλύψαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐν ἐμοί (Gal 1, 16), quod refertur ad internam manifestationem, non ad externam apparitionem. Atqui 1 Cor 15 suam et aliorum apostolorum visionem in eadem linea ponit. Ergo omnes apparitiones Christi censendae sunt factae in mentibus discipulorum, non vero fuisse externae apparitiones. *Confirmatur,* quia discipuli putaverunt se spiritum videre, et aliquoties Christum non statim cognoverunt (Lc 24, 16 37 sqq. Io 20, 14).

Resp. Iam diximus Paulum manifeste loqui de facto historico resurrectionis. Quod autem ait «in se» revelatum esse Christum, refertur ad internam gratiam illuminationis, quae non excludit sed supponit externum factum resurrectionis. S. Paulus Gal 1, 16 non loquitur de apparitionibus

Christi, sed de sua conversione ad fidem Christi, quae fides est impossibilis sine interna gratia (cf. Io 6, 44 65 sq. Eph 2, 5 sqq. 1 Thess 2, 13). De apparitionibus externis sermo est 1 Cor 15.

Quod discipuli putaverunt se spiritum videre in subitanea apparitione Christi, non est mirum. Sed qui hanc partem illius narrationis admittit, debet etiam sequentem admittere, qua narratur Christum statim dedocuisse apostolos et manus pedesque et latus palpanda exhibuisse et coram iis manducasse. Quod autem Iesus resuscitatus potuit pro nutu voluntatis apparere et disparere, ianuas penetrare, se cognoscendum exhibere statim vel paulatim, pertinet ad dotes corporis gloriosi (1 Cor 15, 42 sqq), cuius substantia est eadem atque antea sed status diversus.

154. *Obi. IV.* Licet admittere discipulos non quidem mentitos, sed viva fide et imaginatione hallucinatos esse.

Resp. Haec est irrationabilis suppositio, secundum quam multi homines, non dormientes sed vigilantes, imaginabantur se per quadraginta dies, et postea non amplius, videre resuscitatum a mortuis, audire eius instructiones, accipere ab eo mandata, comedere cum eo, tangere eum; dein hanc rem publica praedicatione annuntiabant, pro hac persuasione vivebant et moriebantur, multos alios inducebant, ut pro eadem viverent et morerentur. Praeterea nullum indicium adest tam vividae fidei et imaginationis, antequam apostoli Christum resuscitatum vidissent, sed fides eorum est potius fructus apparitionum Christi. Antea enim apostoli «nondum sciebant Scripturam [vaticinia Veteris Testamenti], quia oportebat eum a mortuis resurgere» (Io 20, 9). Cum mulieres annuntiassent apostolis resurrectionem Christi, «visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non crediderunt illis» (Lc 24, 11). Neque discipuli euntes in Emmaus (ibid. v. 13 sqq), neque Thomas apostolus (Io 20, 25) ostendunt illam magnam vim imaginationis et fidei creatricis sed plane contrarium. Tandem cur alii non ostenderunt corpus Iesu mortuum, quae fuisset simplicissima curatio istius imaginationis? Furto illud ablatum dixerunt quidam iudaei; neque tamen ausi sunt vel milites propter neglegentiam vel discipulos Christi propter crimen commissum in iudicium vocare. Alii ad terraemotum recurrunt, quo corpus a terra absumptum sit. Qui terrae motus non utique sine delectu egit; nam absumpto Christi corpore reliquit linteamina et sudarium diligenter composita (Io 20, 6 sq).

155. *Obi. V.* Cur Christus non apparuit inimicis suis, sed solis amicis?

Resp. Quia liberum ei erat pro sapientia sua res disponere, prout conveniebat. Inimicis poterat sufficere testimonium militum, quos ipsi custodes sepulchri posuerant, sepulchrum apertum et vacuum, discipulorum testimonium, miraculis confirmatum. Discipulis suis Christus promiserat futuras apparitiones (Io 16, 16), adversariis autem praedixerat eos non iam se visuros esse (Io 7, 33 sq). Ceterum postea adversario suo Saulo apparuit et eum ad se convertit (Act c. 9).

Multae aliae quaestiones, quae de resurrectione Christi fieri possunt, potius pertinent ad exegesim vel ad theologiam dogmaticam (cf. *S. Thomas* 3, q. 53 sqq).

ARTICULUS II.

DE VATICINIIS, QUIBUS PROBATUR DIVINA LEGATIO IESU CHRISTI.

Cf. *Ottiger,* Theologia fundam. I 640 sqq 749 sqq; *L. Reinke,* Beiträge zur Erklärung des A. T., 1851—1874 (9 tomi); — Komment. zu den messian. Psalmen, 1857—1858 (2 tomi); — Komment. zu den messianischen Weissagungen, Giessen 1859—1862 (4 tomi); *I. Bade,* Die Christologie des A. T., Münster 1850 sqq; *I. Knabenbauer,* Comment. in prophetas, Parisiis 1887 sqq; *Fr. Schmid,* Christus als Prophet, nach den Evangelien dargestellt, Brixen 1892; *L. Murillo,* Jesucristo y la iglesia romana II, Madrid 1898.

Prop. XVIII. Christus vaticiniis se probavit legatum divinum.

156. **Stat. quaest.** Ad opera miraculosa pertinet vaticinium, i. e. praedictio futuri eventus, qui solummodo ope supernaturalis adiutorii divini certo praesciri potest (cf. supra n. 98 sqq).

Rationalistae dicunt vaticinia aut esse praedictiones post eventum, i. e. post impletionem rerum, quae praedictae narrantur, ab evangelistis in ore Iesu positas, aut esse res, quae naturali coniectura cognosci potuerint. Si illud verum est, fraudulenter egerunt narratores vitae Iesu. Haec autem est iniusta calumnia. Alteram explicationem esse vanam tergiversationem rebus ipsis ostenditur.

157. **Arg.** Iesus Christus provocat ad ea, quae praedixit, quae quia naturaliter sciri ab homine non poterant et eventu completa sunt, constat esse vera vaticinia. Ergo divina Iesu Christi legatio probata est vaticiniis.

Prob. antec. a) *Iesus provocat ad praedictiones suas.* «Ecce, praedixi vobis» (Mt 24, 25). «Vos ergo videte; ecce, praedixi vobis omnia» (Mc 13, 23). «Haec locutus sum vobis, ut, cum venerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dixi vobis» (Io 16, 4). «Amodo dico vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis, quia ego sum» Messias (Io 13, 19; cf. 8, 24). «Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, et crediderunt Scripturae et sermoni, quem dixit Iesus» (Io 2, 22). Angeli ad mulieres aiunt: «Surrexit, sicut dixit» (Mt 28, 6; cf. Mc 16, 7. Lc 24, 6 44. Act 11, 16). Ergo etiam praedictiones Christi sunt signum, quo probatur divina legatio eius.

b) *Iesus multa praedixit,* quae partim impleta iam sunt, partim in fine temporum implebuntur. *Varia praedixit de futura ipsius passione, morte, resurrectione* (Mt 17, 21 sqq; 20, 18 sqq. Mc 10, 33 sq. Lc 18, 32 sqq). Dicunt rationalistae Christum potuisse ex odio indies crescente iudaeorum conicere mortem suam. At etiamsi hoc demus, non tamen potuit homo naturaliter praescire tam determinate circumstantias mortis, quae a libera voluntate hominum pendebant. «Ecce ascendimus Ierosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis et senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus, et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum,

et interficient eum, et tertia die resurget» (Mc 10, 33 sq). Addit praedictionem proditionis Iudae (Mc 14, 18) et negationis Petri ante secundum galli cantum (Mc 14, 30). Haec apud omnes evangelistas narrantur. Respondent rationalistae has accuratas determinationes adiunctas esse postea ab evangelistis in narrationibus suis, cum non potuerint praesciri. Certe naturaliter praesciri non poterant; ergo cum Christus eas revera praedixerit, erat verum vaticinium.

Similiter *destructionem futuram urbis Ierusalem* cum determinatis circumstantiis praedixit (Mt 24, 1—3 et 15—21, alia adduntur de fine mundi. Mc 13, 1 sq 14—19. Lc 19, 41 sqq; 21, 5 sq 20—24). Impletionem narrat *Flavius Iosephus,* De bello iud. 6 sq (cf. *Euseb.* H. E. 3, 5 sq).

Praedixit Iesus discipulis persecutiones multas et varias (Mt 10, 16 sqq; 24, 8 sqq. Mc 13, 9 sqq), Magdalenae futuram gloriam (Mc 14, 9), Petri martyrium (Io 21, 18 sq). Aliae praedictiones leguntur Mt 21, 1 sqq; Mc 11, 1 sqq; 14, 13 sqq; Lc 19, 29 sqq; 22, 10 sqq. Iudaeorum dispersio inter gentes, quam Christus praedixit (Lc 21, 24; cf. Mt 24, 34), adhuc perdurat.

Huc revocari potest, quod Iesus novit res absentes et occultas (Io 1, 48; 4, 18; 11, 11 sqq. Mt 17, 26), immo etiam secreta cordium (Mt 9, 4; 12, 25. Lc 6, 8; 7, 39 sqq; 11, 38 sqq. Io 2, 24 sq).

Unde apostoli concludunt: «Scimus, quia scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget; in hoc credimus, quia a Deo existi» (Io 16, 30). Et hoc recte quidem; nam homo, in cuius favorem Deus patrat tali modo miraculum intellectuale prophetiae, et qui ipse provocat ad hoc miraculum non minus quam ad alia ut signum legationis suae divinae, non potest nos fallere; secus Deus ipse nos fefellisset (cf. Dt 18, 18 sqq).

158. *Obi. I.* Christus dixit: «Surgent pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia» (Mt 24, 24). Ergo ex prophetia signis confirmata non colligitur veritas legationis divinae.

Resp. Dist. antec.: Surgent pseudoprophetae, quorum prophetiae et signa cognosci possunt ut falsa, *conc. antec.;* quorum prophetiae ita comparatae sunt, ut homines bonae voluntatis in invincibilem errorem ducantur, *neg. antec.* Quicumque post Christum venit et dicit se esse Christum, eo ipso falsus propheta est, quia Deus non potest sibi contradicere. Propterea Christus de hac re monuit apostolos: «Si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, ne credideritis. . . . Vos ergo videte; ecce, praedixi vobis omnia» (Mc 13, 21 23). Simile monitum Deus iam dederat in Vetere Testamento (Dt 13, 1 sqq). *Dist. conseq.:* Ex prophetia non colligitur veritas legationis divinae, si ex circumstantiis patet esse pseudoprophetiam, *conc. conseq.;* si ex circumstantiis patet esse veram prophetiam, *neg. conseq.*

159. *Obi. II.* Christus praedixit se mox rediturum esse ad iudicium. Atqui hoc factum non est. Ergo verus propheta non fuit.

Resp. Haec obiectio est error rationalistarum et modernistarum (*Denz.* n. 2052); non vero Christus erravit; nam ipse dixit: «De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in caelo neque Filius, nisi Pater» (Mc 13, 32). «Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate; sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae» (Act 1, 7 sq; cf. supra n. 134 sq). Voluit autem incertum esse tempus, ut homines semper essent parati, sicut in Vetere Testamento loquebantur prophetae eo modo de adventu Messiae, ut hominum exspectatio semper maneret viva (e. g. Is 40, 52 60; cf. supra n. 135).

Prop. XIX. Iesus Christus probatur legatus divinus vaticiniis messianicis Veteris Testamenti.

160. ***Stat. quaest.*** Iudaei exspectabant insignem quendam legatum divinum quem Messiam appellabant (supra n. 126). *Hanc fidem messianicam iudaei e libris suis sacris hauserant.* Ad quaestionem, ubi Christus nasceretur, responderunt sacerdotes: In Bethlehem, «sic enim scriptum est per prophetam» (Mt 2, 5). Zacharias ait: Deus visitabit plebem suam, «sicut locutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt, prophetarum eius» (Lc 1, 70). Philippus ad Nathanael: «Quem scripsit Moyses in lege et prophetae, invenimus, Iesum» (Io 1, 45). In evangeliis saepe legimus: «Hoc factum est, ut Scriptura impleretur», vel simile quid (Mt 3, 3; 4, 14; 13, 35; 27, 9 35. Mc 15, 28. Io 12, 37 sqq; 19, 24 28 36 sq).

Cum libri illi, in quibus vaticinia illa leguntur, iam pluribus saeculis ante Christum translati sint in linguam graecam (cf. Praelect. dogm. I, n. 215), constat ipsum *textum originalem vaticiniorum multis saeculis ante Christum exstitisse;* id quod nemo eruditus negat. Ergo si in iis reapse leguntur praedictiones de Christo factae et in Christo impletae, sunt vera vaticinia.

Iesus Christus ipse docuit ad se pertinere vaticinia messianica Veteris Testamenti. Ita dicit se nolle impedire passionem suam. Cur non? «Quomodo ergo implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri?» (Mt 26, 54.) «Ut impleantur Scripturae» (Mc 14, 49). «Consummabuntur omnia, quae scripta sunt per prophetas de Filio hominis» (Lc 18, 31). «Omnes enim prophetae et lex usque ad Ioannem prophetaverunt» (Mt 11, 13). «Incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant. . . . Et dixit ad eos: Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum; quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de me» (Lc 24, 27 44 sq). Ad iudaeos ait: «Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere; et illae sunt, quae testimonium perhibent de me. . . . Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit»

(Io 5, 39 46). Talia apud omnes evangelistas leguntur (e. g. Mt 21, 42; 22, 41 sqq. Mc 9, 11; 12, 10. Lc 4, 16 sqq. Io 13, 18). Etiam apostoli vaticinia de Christo intellegenda esse docuerunt (Act 2, 25 sqq; 3, 18; 7, 52; 28, 23. Rom 1, 2 sq; 9, 33. 1 Petr 1, 10 etc.).

Argumentum hoc ex vaticiniis messianicis iam inde a *S. Iustini* (Dial. cum Tryphone) temporibus SS. Patres diligenter excoluerunt. Multa de hac re leguntur apud *Eusebium Caes.* in «Demonstratione evangelica» (*M* PG 22).

Dupliciter argumentum instrui potest, aut considerando singula vaticinia, et ostendendo, quomodo in Christo impleta sint; aut solum proponendo totam seriem, et eam comparando cum factis Christi. Prior via per se est melior, sed nimis longa, quam quae conveniat Compendio theologiae. Ideo alteram viam praeferimus, summatim tantum indicantes vaticinia et impletionem. Magis accurata notitia acquirenda est e commentariis exegeticis.

161. ***Arg.*** In Vetere Testamento exstant multa vaticinia messianica, quae in Christo impleta sunt. Ergo Christus est verus Messias, in Vetere Testamento promissus.

Prob. antec. pars I. Exstant in Vetere Testamenta multa vaticinia messianica.

1. Praedicitur rex futurus ex semine Abrahae, ex tribu Iuda, ex familia David.

Promisit Deus semen Abrahae, in quo benedicerentur omnes gentes. «Per memetipsum iuravi, dicit Dominus . . . multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli . . . et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae» (Gn 22, 16 sqq). Eadem benedictio saepe repetitur (Gn 18, 18; 26, 4; 28, 14).

Propterea mutatur nomen Abram in Abraham. «Appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te. Faciamque te crescere vehementissime, et ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur» (Gn 17, 5 sq).

Haec benedictio transiit ad Isaac (Gn 26, 2 sqq) et Iacob (Gn 28, 10 sqq).

Iacob benedicens filiis suis et annuntians iis, «quae ventura sunt in diebus novissimis» (Gn 49, 1) ait ad Ruben: «Ruben, primogenitus meus ... non crescas»; ad Simeon et Levi: «In coetu illorum non sit gloria mea» (ibid. v. 3 sqq). Tum se convertit ad Iuda: «Iuda, te laudabunt fratres tui, . . . adorabunt te filii patris tui. . . . Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium» (ibid. v. 8 10). Ergo *regia dignitas, iam Abrahamo promissa, transibit ad tribum Iuda,* non statim, sed multo post tempore. Pro illo: «qui mittendus est», *Shiloh,* alii vertunt: «cuius est» sceptrum promissum, alii vertunt: «pacificator»; tota vero traditio iudaica et christiana intellexit hoc vocabulo designari Messiam. Propterea *Onkelos* et *Ionathan* simpliciter vertunt: «donec veniat Messias.»

Potestatem regiam domus Iuda consecuta est per David, quemadmodum hic ipse ait: «Elegit Dominus Deus Israel me de universa domo patris mei,

ut essem rex super Israel in sempiternum; de Iuda enim elegit principes» (1 Par 28, 4). Deus vero per Nathan prophetam locutus est ad David: «Ego tuli te de pascuis sequentem greges, ut esses dux super populum meum Israel. . . . Cumque completi fuerint dies tui et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum eius. Ipse aedificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem; et ipse erit mihi in filium. Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum et in plagis filiorum hominum; misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea. Et fidelis [perpetua] erit domus tua et regnum tuum usque in aeternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus iugiter» (2 Reg 7, 8 12 sqq).

Ergo duo praedicuntur: a) regia dignitas non transferetur in aliam familiam, sed manebit in familia David. b) Si fideles manserint, manebit regnum temporale; sin recesserint a Deo, Deus puniet eos et destruet regnum; manebit tamen promissio de perpetua dignitate regia domus davidicae. Haec repetit Deus Salomoni (3 Reg 9, 4 sqq). In Ps 88, 21 29 sqq 33 sqq legimus: «Inveni David, servum meum, oleo sancto meo unxi eum. . . . In aeternum servabo illi misericordiam meam; et testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in saeculum saeculi semen eius et thronum eius sicut dies caeli. Si autem dereliquerint filii eius legem meam . . . visitabo in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea [promissioni meae], neque profanabo testamentum meum, et quae procedunt de labiis meis non faciam irrita. Semel iuravi in sancto meo, si David mentiar. Semen eius in aeternum manebit, et thronus eius [immutabilis] sicut sol in conspectu meo» (cf. Ps 131, 11 sqq). Propterea toties sermo est de «Uncto [Messia] Domini», cui omnis terra et omnes populi subdentur, et cuius regni non erit finis (Ps 2; 44; 71; 109).

2. Praedicitur abiectio populi Israel et regum eius, dein secutura reconciliatio et suscitatio novi regis aeterni.

Populus Israel et reges eius abiciuntur, quia in idololatriam inciderunt: «Dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe et sine sacrificio et sine altari et sine ephod et sine theraphim. Et post haec revertentur filii Israel, et quaerent Dominum Deum suum et David regem suum» (Os 3, 4 sq). Non utique David regem, qui diu mortuus erat, sed illum regem, qui ex stirpe davidica promissus erat. In captivitate babylonica populus rediit ad Deum; quare *promissio de futuro rege renovatur:* «Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam in terra. In diebus illis salvabitur Iuda, et Israel habitabit confidenter, et hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus iustus noster» (Ier 23, 5 sq). «Servient Domino Deo suo et David regi suo, quem suscitabo iis» (Ier 30, 9). «Et suscitabo super eas [oves Domini] pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David; ipse pascet eas, et ipse erit iis in pastorem. Ego autem Dominus ero iis in Deum, et servus meus David princeps in medio eorum» (Ez 34, 23 sq). «Et servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum; in iudiciis meis ambula-

bunt . . . et David, servus meus, princeps eorum in perpetuum. Et percutiam illis foedus pacis; pactum sempiternum erit iis . . . et ero iis Deus, et ipsi erunt mihi populus» (Ez 37, 24 sqq).

3. Praedicitur rex gloriosus, regnans super omnes, sed simul patiens.

Magnitudo regni regis futuri modo simpliciter praedicitur, modo metaphorice sub imagine montis Sion et urbis Ierusalem, quo omnes gentes convenient. «Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes... quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem» (Is 2, 2 sq). «Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. . . . Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis. . . . Super solium David et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia, amodo et usque in sempiternum» (Is 9, 2 6 sq). Hoc iterum iterumque repetitur (Is 12, 1 sqq; 14, 1 sqq; 26, 1 sqq; 33, 20 sqq; 40, 1 sqq; 49, 8 sqq; 51, 3 sqq). «Surge, illuminare, Ierusalem, quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est. . . . Et ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui. . . . Mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi» (Is 60, 1 5; cf. 65, 1).

Mala fugabuntur, tranquillitas et pax regnabunt. «Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. . . . Et redempti a Domino convertentur, et venient in Sion cum laude; et laetitia sempiterna super caput eorum; gaudium et laetitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus» (Is 35, 5 sq 10). Messias vero sic describitur: «Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum; iudicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris, calamum quassatum non confringet . . . et legem eius insulae exspectabunt» (Is 42, 1 sqq). «Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus. . . . Et erit iustitia cingulum lumborum eius, et fides cinctorium renum eius. Habitabit lupus cum agno.... Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto eius, quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquae maris operientes. In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur» (Is 11, 2 5 sq 9 sq). Messias vero de seipso ait: «Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me» (Is 61, 1).

Nihilominus *hic idem rex gloriosus veniet, quando de domo David non superest nisi tenue virgultum in terra arida, et ipse gravissima mala tolerabit.* Propterea Messias saepe vocatur «germen» (e. g. Ier 33, 15. Zach 3, 8; 6, 12). Quando prae paucitate virorum rixabuntur septem mulieres de uno viro, «in illa die erit germen Domini in magnificentia» (Is 4, 1 sqq). «Et reliquiae ligni saltus eius [Israel] prae paucitate numerabuntur, et puer scribet eos. . . . Reliquiae convertentur . . . ad Deum fortem» (Is 10, 19 21). «Et ego congregabo reliquias gregis mei . . . et suscitabo David germen iustum» (Ier 23, 3 5). In ista igitur misera condicione domus David veniet Messias. «Et ascendet sicut virgultum coram eo [Domino] et sicut radix de terra sitienti; non est species ei neque decor, et vidimus eum, et non erat aspec-

tus, et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem. . . . Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. . . . Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras . . . et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. . . . Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam et cum sceleratis reputatus est» (Is 53, 2 sqq 12). Itaque *per pugnam et sanguinem Messias veniet ad victoriam.* «Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? . . . Ego qui loquor iustitiam et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum?... Torcular calcavi solus. . . . Et conculcavi populos in furore meo . . . et detraxi in terram virtutem eorum» (Is 63, 1 sqq 6). Ipse quidem populus Israel Messiam negabit, sed hic cum aliis multis novum foedus constituet. «Occidetur Christus, et non erit eius populus, qui eum negaturus est. . . . Confirmabit autem pactum multis» (Dn 9, 26 sq). Et sic qui fuit non populus Dei erit populus Dei. «Dicam non populo meo: Populus meus es tu; et ipse dicet: Deus meus es tu» (Os 2, 24; cf. Is 65, 1). «Venio, ut congregem cum omnibus gentibus et linguis, et venient et videbunt gloriam meam. . . . Et assumam ex iis sacerdotes et levitas» (Is 66, 18 21). Huic novo sacerdotio correspondet novum sacrificium, abrogato vetere. «Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus; et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum» Mal 1, 10 sq).

4. Praedicitur locus nativitatis et tempus futuri Messiae.

Locus nativitatis Messiae indicatur a Michaea: «Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis. Propter hoc [Deus] dabit eos [israelitas in afflictionem] usque ad tempus, in quo parturiens pariet, et reliquiae fratrum eius convertentur ad filios Israel. Et stabit et pascet in fortitudine Domini . . . quia nunc magnificabitur usque ad terminos terrae» (Mich 5, 2 sqq).

Tempus Messiae erit, quando etiamtum stabit templum secundum. De hoc enim templo ait Aggaeus: «Haec dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, et ego commovebo caelum et terram et mare et aridam. Et movebo omnes gentes; et veniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria. . . . Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, dicit Dominus exercituum; et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum» (Agg 2, 7 sq 10; cf. Mal 3, 1).

Numerus annorum indicatur ab archangelo Gabriele Danieli prophetae: «Septuaginta hebdomades abbreviatae [constitutae] sunt super populum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt; et rursum aedificabitur platea et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit eius populus, qui eum negaturus est.

Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio» (Dn 9, 24 sqq).

Hebdomades seu septimanae intelleguntur septimanae annorum, ut sensus sit: Quadringenti nonaginta anni constituti sunt ad perficienda ea, quae ab angelo praedicuntur: «Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Ierusalem» exponitur de decreto Artaxerxis I anni 458 a. Chr., quo rex iussit rursum aedificari urbem. Angelus igitur ait: Christus morietur post 69½ hebdomades, computatas ab illo decreto, seu anno 488 post decretum, i. e. anno 30 aerae vulgaris, id quod congruit cum sententia nunc communissime recepta de tempore mortis Christi.

Conclusio. Ex hoc brevissimo conspectu apparet, quomodo promissio et exspectatio futuri Messiae et regni eius totam historiam populi Israel pervadat, ab initio obscurior et paucis lineamentis adumbrata, paulatim vero magis magisque explicita; qua ratione desiderium Messiae in dies crescebat. «Utinam dirumperes caelos et descenderes» (Is 64, 1): haec erat mens omnium piorum israelitarum, qui exspectabant consolationem et redemptionem Israel (Lc 2, 25 38).

Iam breviter ostendendum, quomodo illa vaticinia in Iesu Christo impleta sint.

162. *Prob. antec. pars II. Vaticinia messianica in Iesu Christo impleta sunt.* Quia res notae sunt, brevem tantum conspectum subicimus.

1. Iesus Christus est semen Abrahae (Mt 1, 1. Lc 3, 34), de tribu Iuda (Mt 1, 3. Lc 3, 33. Hebr 7, 14), e familia David (Mt 1, 1. Lc 1, 32; 2, 4; 3, 31. Act 13, 23. Rom 1, 3). Hoc iudaei agnoscebant (Mt 20, 30 sq; 21, 9. Mc 11, 10. Lc 18, 38).

2. Iesus Christus est rex, non utique regni terreni et temporalis, sed spiritualis et aeterni (Mt 2, 2; 25, 34; 27, 11. Mc 15, 2. Lc 1, 32; 23, 3. Io 18, 33 sqq. Hebr 1, 8. Apc 17, 14; 19, 16). Ad regnum eius pertinent omnes populi terrae (Mt 8, 11 sq; 13, 46 sq; 25, 32. Act 1, 8. Rom 1, 5).

3. Iesus Christus constituit regnum pacis, e quo fugavit malum peccati et alia mala, curando morbos, expellendo daemones, conferendo multa beneficia hominibus (Mt 8, 16. Act 4, 8 sqq), etsi tota perfectio huius regni non erit nisi in altera vita (Mt 25, 34. Io 14, 2 sq; 17, 24. 1 Cor 15, 23 sqq. Apc c. 22).

4. Christus est ille propheta, super quem requiescit Spiritus Domini (Lc 4, 16 sqq), in quo sibi complacet Pater caelestis (Mt 3, 17; 17, 5. Mc 1, 11; 9, 6. Lc 3, 22), qui mitis et humilis est (Mt 11, 28 sq; 12, 15 sqq), qui nova lege ostendit viam ad veram beatitudinem (Mt 5, 1 sqq. Lc 6, 17 sqq).

5. Iesus Christus venit, quando domus David quasi exstincta et regnum divisum erat alienis principibus (Lc 3, 1). Ipse vere tenue germen (*nezer*, Nazaraeus; Is 11, 1. Mt 2, 23), filius fabri erat (Mt 13, 55. Mc 6, 3).

6. Per passionem, crucem, mortem introivit in gloriam suam (Lc 24, 25 sq). Passiones eius et secuta inde gloria in Ps 21 ita describuntur, ut ad litteram in Christo impleta sint et in nullo alio: «Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Ispi vero consideraverunt et inspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. . . . Salva me ex ore leonis. . . . Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiae laudabo te. . . . Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae. . . . Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium. . . . Et anima mea illi vivet, et semen meum serviet ipsi. Annuntiabitur Domino generatio ventura, et annuntiabunt caeli iustitiam eius populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.»

Populus Israel negavit regem suum (Mt 27, 25. Io 19, 15). Ideo populus abiectus est (Mt 23, 37 sqq. 24, 1 15 sqq. Lc 13, 34 sq), et in eius locum successerunt gentes (Mt 24, 14. Rom 9, 24 sqq; 10, 19 sqq). Ex gentibus novi assumpti sunt sacerdotes, et novum institutum est sacrificium, quod Deo offertur in omni loco, et magnum factum est nomen Domini inter omnes gentes.

7. Natus est Iesus in Bethlehem (Mt 2, 1. Lc 2, 4). Venit ad templum secundum, brevi antequam destructum est in perpetuum.

8. Passus est tempore a Daniele praedicto; et post eius mortem venit bellum cum romanis et statuta desolatio.

9. Possunt multa alia addi, quae in ipsis evangeliis indicantur. Cf. e. g. Mal 3, 1 cum Mc 1, 2; Is 9, 1 sq cum Mt 4, 15; Zach 9, 9 sq cum Mt 21, 1 sqq; Is 50, 6 cum Mt 26, 67; alia brevitatis causa omittimus.

Conclusio. *Ergo in Iesu Christo impleta sunt, quae prophetae de Messia praedixerant.* Unde duo efficiuntur:

a) Deus, qui solus haec omnia praesciebat et per prophetas praedicere poterat, testatus est de Messia: Si venerit ille, cui haec vaticinia conveniunt, hic est legatus meus, missus ad docendos omnes homines et ad constituendum regnum Dei perpetuum. Ergo quia in Iesu Christo haec vaticinia impleta sunt, Iesus Christus est vere legatus Dei, quem omnes homines audire debent.

b) Sicut nemo fuit ante Christum, in quem vaticinia messianica quadrent, ita nemo post eum futurus est. Nam tempus praedictum transiit, sceptrum temporale iam diu recessit a Iuda, templum secundum destructum est, iudaei in totum mundum dispersi sunt. Neque praeter unum regnum universale et perpetuum aliud poterit esse tale

regnum. Deus «repromittit dicens [Agg 2, 7]: Adhuc semel, et ego movebo non solum terram sed et caelum. Quod autem ,Adhuc semel' dicit, declarat mobilium translationem tamquam factorum, ut maneant ea, quae sunt immobilia. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam, per quam serviamus placentes Deo, cum metu et reverentia» (Hebr 12, 26 sqq).

163. *Obi. I.* Vaticinia, quae dicuntur messianica, colliguntur ex variis libris ad diversa tempora pertinentibus. Atqui non constat haec adeo inter se distantia ad unum eundemque hominem referri, sed possunt pertinere ad plures et alia aliis temporibus impleri. Ergo iis nihil probatur de Iesu Christo.

Resp. *Conc. mai. Neg. min. et conseq.* Nam a) plurima vaticinia talia sunt, ut non possint de pluribus hominibus exponi. Unus promittitur rex ex familia David, cuius potestati subiciendae sunt omnes gentes, qui destruet regnum iniquitatis et fundabit aeternum regnum iustitiae. Tales reges non possunt esse plures.

b) Prophetae posteriores interdum aut diserte aut tacite respiciunt vaticinia priora (cf. Gn 26, 2 sqq; 28, 13 sqq; 49, 10; 1 Par 28, 4; Ps 88, 20 36; Is 2, 1 sqq coll. Mich 4, 1 sqq; Is 4, 2 coll. Ier 23, 5; Dn 9, 2 sqq etc.). Generatim vaticinia messianica tam naturali nexu inter se cohaerent, ut non possint singula sine vi e serie avelli. Etsi de uno alterove vaticinio dubium sit, utrum sit messianicum necne, argumentum tamen nostrum invictum stat, si ea tantum considerantur, quae manifeste messianica sunt.

c) Non solus populus Israel intellexerat sibi promissum esse magnum aliquem liberatorem et regem (Mc 11, 10), sed etiam Christus diserte dixit ad se pertinere vaticinia messianica (supra n. 160). Est autem improbabile, iudaeos, Christum, christianos omnes in hac re errasse.

d) Nisi vaticinia illa unum eundemque Messiam respicerent, casu tantum in Christo essent impleta. Atqui recursus ad fortuita est irrationabilis, si agitur de re complexa. Etsi e. g. animal aliquod casu formare potest unam litteram, non tamen casu formare potest integrum librum, eumque sensu pollentem. Ergo multo minus series rerum tam extraordinariarum casu praedici et impleri potuit.

164. *Obi. II.* Multa in istis vaticiniis dicuntur, quae in Christo impleta non sunt, ut omnimoda iustitia civium regni eius, perfecta pax et summa tranquillitas. Ergo non sunt vera vaticinia de Christo dicta.

Resp. *Dist. antec.:* Plura praedicta sunt per metaphoras, quae impleta non sunt litteraliter, ut quod omnes populi venient ad montem Sion, quod lupus et agnus pacifice cohabitabunt, *conc. antec.;* plura praedicta sunt sensu proprio, quae impleta non sunt, *subdist.:* Quae nondum impleta sunt perfecte, *conc. antec.;* quae non aliquando implebuntur perfecte, *neg. antec.* Huc pertinent omnia, quae praedicta sunt de perfectione morali et de summa felicitate regni messianici, quae in hac terra implentur incohative in fidelibus Christi discipulis, perfecte autem in caelo. Prophetae ea, quae simul vident, non raro etiam simul annuntiant (e. g. Is 66, 10 sqq. Ioel 3, 14 sqq). Non

recte inde colligitur ea etiam simul esse implenda, sed sufficit, ut successive impleantur (cf. *Cornely*, Introd. II, 2, 228 sqq).

165. *Obi. III.* Iudaei propter vaticinia messianica exspectabant restitutionem regni temporalis. Atqui haec restitutio facta non est. Ergo decepti sunt vaticiniis messianicis.

Resp. Dist. mai.: Iudaei hanc exspectationem conceperant propter terrenas suas ideas, *conc. mai.;* non poterant ex vaticiniis discere praedici regnum spirituale, *neg. mai. Conc. min. Dist. conseq.:* Decepti sunt suis praeiudiciis, *conc. conseq.;* decepti sunt ipsis vaticiniis messianicis, *neg. conseq.*

Saepissime prophetae efferunt regnum messianicum futurum regnum sanctitatis. In nova Sion «erit semita et via, et via sancta vocabitur; non transibit per eam pollutus, et haec erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam» (Is 35, 8). «Non audietur ultra iniquitas in terra tua. . . . Populus autem tuus omnes iusti» (Is 60, 18 21). «Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Iuda foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum. . . . Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero iis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum» (Ier 31, 31 sqq). Eadem saepe repetuntur (e. g. Ez 11, 19 sq; 36, 23. Os 2, 19. Ioel 2, 28 sqq. Ps 71 etc.). Ergo iudaei poterant scire promissum esse regnum spirituale.

ARTICULUS III.

DE MIRABILI PROPAGATIONE DOCTRINAE CHRISTI.

Cf. *Th. M. Mamachi,* Originum et antiquitatum christianarum libri 20 (tomi 5), Romae 1749—1755; optimum opus de hac re conscriptum, quod qui legerit non praedicabit *Harnackii* librum: «Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten», tamquam primum opus huius generis et inauditae eruditionis; *J. Rivière,* La propagation du christianisme dans les trois premiers siècles, Paris 1907; *Th. Ruinart,* Acta primorum martyrum, saepe edita; *P. Allard,* Histoire des persécutions (5 tomi), Paris 1885 sqq; — Le christianisme et l'empire romain[4], Paris 1898; *G. Sortais,* Valeur apologétique du martyre, Paris 1905.

Prop. XX. Mirabilis modus, quo doctrina Christi propagata est, divinitatem huius doctrinae comprobat.

166. *Stat. quaest.* Probavimus Christum esse legatum divinum, cuius doctrina ut a Deo revelata omnibus admittenda sit. Hisce absoluta est prima pars inquisitionis nostrae. Nihilominus *iuvat considerare etiam opus Christi* seu religionem ab ipso institutam, idque dupliciter: a) *secundum externum progressum eius,* b) *secundum internum indolem eius;* nam hinc quoque divina origo huius religionis, etsi non absolute probatur, tamen suadetur et aliunde probata confirmatur. Non sunt haec argumenta absoluta et per se sufficientia, quia non repugnat bonam doctrinam etiam ab hominibus inveniri et speciali auxilio divino promoveri. Attamen, ut ex dicendis patebit, hac sola suppositione non possunt omnia explicari, quae ad religionem

christianam pertinent; et nobis sufficit haec argumenta proponere ut confirmationem eorum, quae hactenus probata sunt.

Quando iudaei resistebant religioni christianae, *Gamaliel* dixit ad eos: «Dico vobis, discedite ab hominibus istis, et sinite illos; quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur; si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud» (Act 5, 38 sq). Hoc experimentum cessit in favorem religionis christianae. Religio christiana propagata et conservata est superatis maximis impedimentis usque ad nostra tempora.

Hoc argumento iam SS. Patres usi sunt. *S. Augustinus* ait: «Ipse modus, quo mundus credidit, si consideretur, incredibilior invenitur. Ineruditos liberalibus disciplinis et omnino, quantum ad istorum doctrinas attinet, impolitos . . . piscatores Christus cum retibus fidei ad mare huius saeculi paucissimos misit, atque ita ex omni genere tam multos pisces et tanto mirabiliores, quanto rariores, etiam ipsos philosophos cepit. . . . Si vero per apostolos Christi, ut iis crederetur, resurrectionem atque ascensionem praedicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod eam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit» (De civ. Dei 22, 5). Cf. *Conc. Vatic.* sess. 3, c. 3: *Denz.* n. 1794.

167. ***Arg.*** Religio christiana singulari efficacia propagata et conservata est per orbem terrarum. Atqui ad hanc propagationem et conservationem explicandam non sufficiunt media humana. Ergo agnoscendum est speciale auxilium divinum, quo Deus hanc religionem divinae originis esse testatur.

Prob. mai. a) *Magnam et celerem propagationem religionis christianae testantur libri Novi Testamenti.* Christi discipuli post eius ascensionem Ierosolymam congregati erant 120 fere (Act 1, 15). Post primam Petri concionem, die Pentecostes habitam, conversi sunt hominum circiter tria milia (Act 2, 41). Post paucos dies multi alii crediderunt, «et factus est numerus virorum quinque milia» (Act 4, 4). Neque deinceps cessavit augmentum, «magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum» (Act 5, 14). Dispersis discipulis ex urbe multi samaritani crediderunt (Act 8, 4 sqq). Mox Antiochiae «multus numerus credentium conversus est ad Dominum» (Act 11, 21). Dein Paulus et Barnabas peragraverunt Cyprum, Pisidiam, Lycaoniam, et redeuntes Antiochiam, «retulerunt, quanta fecisset Deus cum illis, et quia aperuisset gentibus ostium fidei» (Act 14, 26). Cum Paulus post multa itinera apostolica rediisset Ierosolymam, quidam ad eum dixerunt: «Vides, frater, quot myriades sunt in iudaeis, qui crediderunt» (Act 21, 20). Apostolus Paulus scripsit epistulas ad romanos, corinthios, galatas, ephesios, philippenses, colossenses, thessalonicenses, quibus epistulis efficitur etiam in multos alios locos religionem christianam cum magno successu fuisse invectam. S. Petrus pri-

mam epistulam scripsit ad fideles Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae, Bithyniae. Secundum Apocalypsim communitates christianae erant Ephesi, Smyrnae, Pergami, Thyatirae, Sardibus, Philadelphiae, Laodiceae (Apc c. 2 3). Haec est vere stupenda propagatio, paucis decenniis effecta.

b) *Idem testantur scriptores saeculi II. S. Iustinus M.:* «Nullum omnino genus est sive graecorum sive barbarorum . . . nullum, inquam eiusmodi genus est, in quo non per nomen crucifixi Iesu preces et gratiarum actiones Patri et Creatori universorum fiant» (Dial. cum Tryph. n. 117). *S. Irenaeus:* «Ecclesia per universum orbem usque ad fines terrae seminata . . . Neque hae, quae in Germania sunt fundatae ecclesiae, aliter credunt aut aliter tradunt, neque hae, quae in Hiberis sunt, neque hae, quae in Celtis, neque hae, quae in Oriente, neque hae, quae in Aegypto, neque hae, quae in Libya, neque hae, quae in medio mundi constitutae; sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est, sic et lumen, praedicatio veritatis, ubique lucet et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire» (Contra haer. 1, 10, 1 2). *Plinius* ad Traianum scribit de christianis apud se accusatis: «Visa est mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum et vocabuntur. Neque civitates tantum sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est» (*Kirch,* Enchir. n. 24). Haec epistula, scripta initio saeculi III, ostendit, quantum progressum religio christiana saeculo II fecerit in Asia minore. De Africa septentrionali idem testatur *Tertullianus* in epistula ad Scapulam iudicem c. 2: «Tanta hominum multitudo, pars paene maior civitatis cuiusque, in silentio et modestia agimus, singuli forte noti magis quam omnes»; c. 5: Si vis hos omnes interimere «quantis ignibus, quantis gladiis opus erit. Quid ipsa Carthago passura est, decimanda a te, cum propinquos, cum contubernales suos illic unusquisque cognoverit, cum viderit illic fortasse et tui ordinis viros et matronas et principales quasque personas et amicorum tuorum vel propinquos vel amicos. Parce ergo tibi, si non nobis, parce Carthagini, si non tibi, parce provinciae» (cf. Apolog. 37; Ad nationes 1, 8; Adv. iudaeos 7).

Neque minor fuit progressus saeculo III. Origenes ait: «An Iesus suam disseminare doctrinam volens, sine Deo potuit paucis his annis tantum perficere, ut in multis huiusce nostri orbis locis multos graecos et barbaros, multos sapientes et ignaros ad suam doctrinam alliceret? . . . Graeciam omnem, maiorem barbararum gentium partem subegit, innumerasque animas ad Dei cultum, quem docebat, adscivit» (Contra Cels. 1, 26 sq; cf. 3, 9 sq 15 29). Initio saeculi IV *Maximinus Daia,* imperator, Sabino scribit: «Et gravitati tuae et cunctis mortalibus notum esse arbitror, qualiter domini ac parentes nostri Diocletianus et Maximinianus, cum cunctos fere homines relicto deorum

immortalium cultu ad christianorum sectam se applicuisse cernerent, recte atque ordine constituerunt, ut, quicumque a deorum suorum religione descivissent, publica animadversione et supplicio ad eorundem cultum revocarentur» (*Euseb.* H. E. 9, 9).

Haec pauca sufficiant ad ostendendum, quam celer fuerit progressus religionis christianae tribus primis saeculis. Quando saeculo IV Constantinus pacem ecclesiae dabat, non solum in toto imperio romano sed etiam ultra limites eius iam propagata erat haec religio, et per omnes quidem hominum classes, ut *Arnobius* effert (Adv. gent 2, 5). Eruditi censent ea aetate iam 1500 sedes episcopales et ultra fuisse constitutas. «Et singulis ecclesiarum antistitibus summum honorem, cultum ac benevolentiam ab omnibus tam privatis quam provinciarum rectoribus deferri vidisses. Iam vero quis innumerabilem hominum cotidie ad fidem Christi confugientium turbam, quis numerum ecclesiarum in singulis urbibus, quis illustres populorum concursus in aedibus sacris cumulate possit describere. Quo factum est, ut, priscis aedificiis iam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis exstruerent ecclesias.» His verbis *Eusebius* (H. E. 8, 1) describit statum religionis persecutionem Diocletiani (303) immediate praecedentem.

168. *Prob. min. Ad hanc propagationem et conservationem explicandam non sufficiunt media humana.* Nam:

a) *Huic celeri propagationi obstabant maxima impedimenta,* et imprimis ipsa Iesu Christi persona, qui erat iudaeus, morte turpissima affectus; nihilominus proponebatur colendus ut Deus graecis et romanis suam humanitatem et cultum iactantibus. «Praedicamus Christum crucifixum, iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam» (1 Cor 1, 23). Iudaei romanis erant «despectissima pars servientium» et «taeterrima gens» (*Tacit.,* Hist. 5, 8). Christianae autem religionis auctor erat iudaeus crucifixus. Quare mirum non est tot contumeliosa nomina christianis a gentilibus imposita esse, quorum magnam multitudinem collegit *Mamachi* (tom. I, c. 2).

Dein doctrina, quam apostoli, ipsi quoque iudaei illiterati, proponebant, homines invitabat ad vitam humilem, castam, alienam ab iis rebus, quibus gentiles tota mente inhiabant. Erat doctrina exclusiva, quae non permittebat alios deos neque alium cultum, ideoque erat subversiva religionis ethnicae, quae cum tota vita publica et privata artissime nexa erat.

Itaque sicut apud iudaeos falsa exspectatio gloriosi regni temporalis obstabat acceptationi religionis christianae, ita apud gentiles mores paterni quasi in sucum et sanguinem conversi. Qui christianus fiebat, debebat abstinere a pompis, ludis, spectaculis, a communi festivitate, quae adeo placebant romanis et graecis. Quare gentiles religionem christianam vocabant «exitiabilem superstitionem» (*Tacit.,* Annal. 15, 44), «amentiam» (*Plinius,* Ep. 96 ad Trai.), «furiosam opinionem» (*Min.*

Felix, Octav. 11), alia similia. Sacerdotum gentilium plurimum intererat impugnare religionem adeo sibi inimicam. Summi vero pontifices romanorum erant imperatores, qui et ipsi ut dii colebantur. Hi igitur non patienter ferebant hunc sibi honorem a christianis negari, sed dirissimis persecutionibus per tria saecula religionem christianam exstinguere conabantur. At post tria saecula gentilis rabies et superstitio victa iacebat: christiana religio victrix triumphabat.

b) *Media naturalia ad victoriam religionis christianae parandam erant plane disproportionata.* Duodecim viri nationis iudaicae sine armis, sine eruditione mundana, sine promissione ullius emolumenti temporalis progressi sunt ad subiciendum imperium romanum doctrinae et religioni naturalibus hominum desideriis quam maxime adversae, et quamvis se opponerent omnes potentes, successus insignis coronavit eorum opus, et hoc opus permanet usque ad nostra tempora; superatis maximis difficultatibus internis et externis adhuc viget, adhuc crescit, adhuc semper, etsi ad tempus ab adversariis vinci videtur, in fine vincit. Si umquam ex magnitudine, duratione, vitalitate, salubritate alicuius operis conici potuit divina huius operis origo, haec conclusio certe valet de religione christiana, quae sicut non sine multis miraculis orta et propagata est, ita ipsa in se magnum est miraculum. Merito haec iam *Origenes* gentilibus meditanda proposuit: «Quodsi quis haec prudenter recogitans, concesserit nihil boni sine Deo hominibus accidere, quanto fidentius id de Iesu affirmabit, cum eorum, qui Christi doctrinae adhaeserint, pristinos cum novis mores comparabit, animadvertetque, quantis spurcitiis, quantis iniustitiis, quantis cupiditatibus dediti fuerint... quanto autem, ex quo illi doctrinae se dociles praebuere, aequiores, gratiores, constantioresque sint redditi. . . . Haec qui secum reputaverit, is Iesum et maiora humanis viribus ausum esse, et quae ausus est, perfecisse intelleget. Nam vel ab initio nemo non impedire conatus est, quominus Iesu doctrina per totum orbem spargeretur, reges cuiusque aetatis . . . milites, populi. Hos omnes vicit, quippe quae doctrina Dei erat et natura huiusmodi, quae nec impediri posset et adversarios omnes superaret» (Contra Cels. 1, 27). Eleganter hoc argumentum expolit *S. Ioan. Chrysost.* in oratione «Quod Christus sit Deus» (*M* 48, 813 sqq).

169. *Obi. I.* Temporibus primis religionis christianae multae aderant causae naturales, quae valde favebant celeri eius propagationi, ut unitas imperii romani tot populos in se continentis, dispersio iudaeorum per orbem, syncretismus religiosus illius aetatis, eclecticismus christianorum, qui ex iudaeorum doctrina et gentilium philosophia sibi appropriabant, quae utilia videbantur, doctrina ipsa fraternitatis universalis, quae servos et alios miseros alliciebat, promissio futuri regni gloriosi Christi et discipulorum eius. Ergo opus non est recurrere ad adiutorium Dei supernaturale.

Resp. Dist. antec.: Aderant multae causae, quae, divina providentia ita disponente, multum iuvabant propagationem religionis christianae, *conc. antec.*;

his causis secundis non obstabant maxima impedimenta, quae modo plane extraordinario superata sunt, *neg. antec. Dist. conseq.:* Ergo negandae non sunt causae naturaliter faventes, *conc. conseq.;* ergo hae solae causae sufficiunt ad totum effectum explicandum, *neg. conseq.*

Imperium romanum utique faciliorem reddebat accessum ad plurimos populos; sed quando imperatores decreverant delendum esse nomen christianum, non erat qui christianos contra eorum potentem furorem protegeret. Ad iudaeos in dispersione viventes apostoli primum accedebant, et ex eorum synagogis rumor novae religionis ubique spargebatur; sed inter eos etiam adversarios pertinacissimos, etiam inter mulieres, religio christiana invenit (cf. Act 13, 50; 14, 18; 17, 5 13; 18, 6; 19, 6; 21, 27 sqq; 23, 12 sqq). Syncretismo religioso maxime obstabat illa religio, quae unum Deum, exclusis omnibus aliis, colendum esse docet. Christiani vera agnoscebant, ubicumque inveniebant, sive apud iudaeos sive apud gentiles, et in usum suum paulatim convertebant; attamen multo plura falsa impugnabant, et ea quidem, quae iudaeis vel philosophis gentilibus carissima erant. Unde ob hoc ipsum videmus prius iudaeos, dein multos philosophos acriter disputantes contra religionem christianam (Celsum, Porphyrium, Proclum, alios). Doctrina vero fraternitatis universalis, etsi placebat miseris, displicebat potentibus; neque hac doctrina docebantur miseri rebellare contra potentes, sed sua quemque sorte contentum esse (1 Cor 7, 17 sqq. Eph 6, 5 sqq) et bona quaerere non huius vitae sed alterius vitae. Quod autem religio christiana promissione futurorum spiritualium abstraxit homines a noxio amore rerum temporalium, haec est ipsa eius maxima laus et singulare donum, ultra vires humanas eminens.

170. *Obi. II.* Multae religiones celerrime propagatae sunt, quibus nemo attribuit originem divinam vel singulare Dei auxilium, ut buddhismus et mohammedanismus. Ergo neque religio christiana divina dicenda est propter celerem eius propagationem.

Resp. *Dist. antec.:* Aliae religiones celeriter propagatae sunt per media naturaliter proportionata, *conc. antec.;* sine mediis naturaliter proportionatis, sicut religio christiana, *neg. antec.* Et *neg. conseq.* et paritatem.

Buddhismus ab initio nihil erat nisi systema quoddam philosophicum inter alia systemata indica. Paulatim vero facta est religio quaedam popularis polytheistica, sicut aliae religiones indorum. Propagabatur buddhismus ex causa interna, quia docebat homines ab omni malo liberari posse, dummodo perfectam quietem servarent, abstinendo ab omni labore corporali et intellectuali, quae doctrina indis quam maxime placebat. Causa externa propagationis erat favor principum; neque enim, ut religio christiana, buddhismus vehementes et diuturnas persecutiones superavit. Ceterum si buddhistae ii tantum vocantur, qui saltem praecepta maxime fundamentalia Buddhae observant, buddhismus paene exstinctus est. Ingens numerus asseclarum buddhismi, qui non raro indicatur, nihil est nisi ingens exaggeratio. (De hac re plura testimonia collegi in «Stimmen aus Maria-Laach» XXXIII 118 sqq.)

Mohammedanismus tum tantum celeriter propagari coeptus est, cum armorum vi populis obtrudebatur. Laxitas eius moralis et promissio paradisi omnino sensualis homines incultos sine dubio vehementer allicit. Con-

sequenter autem moralitati, verae humanitati, humani generis progressui maxima damna intulit (cf. *S. Thom.*, Contra gent. 1, 6).

Quidam etiam comparant *mithracismum* (cultum Mithrae) cum religione christiana. Sed deest paritas. Mithracismus enim erat cultus, qui praecipue saeculo III artificiose propagabatur inter milites romanos, numquam factus est religio populi, mox in nihilum abiit (cf. *E. B. Allo,* L'évangile en face du syncrétisme païen, Paris 1910).

Alia quaedam de progressu religionis christianae postea in tractatu de catholicitate ecclesiae dicemus.

Prop. XXI. In specie martyrium est confirmatio divinitatis religionis christianae.

171. **Stat. quaest.** *Martyrium est perpessio poenae mortiferae, in odium fidei vel aliarum virtutum inflictae et patienter toleratae.* Considerari potest martyrium aut ut actus fortitudinis (cf. Praelect. dogm. IX, n. 69 sqq), aut ut quidam quasi baptismus (ibid. VI, n. 424 sqq), aut ut testimonium redditum religioni christianae. Hoc ultimo sensu hic sumitur, quae significatio maxime convenit ipsi nomini, cum martyr sit idem ac testis.

Dicuntur quidem in Scriptura omnes martyres, qui testimonium reddunt evangelio Christi (Lc 24, 48. Act 1, 8). Paulatim autem apud latinos haec appellatio reservata est iis, qui pro confessione fidei mortem subierunt, quorum primus fuit S. Stephanus: *τὸ αἷμα Στεφάνου τοῦ μάρτυρός σου* (Act 22, 20). Alius ex primis martyribus fuit Antipas, qui Pergami ut testis fidelis (*ὁ μάρτυς μου ὁ πιστός:* Apc 2, 13) mortuus est. In Scriptura non ipsa perpessio mortis vocatur martyrium, sed dicuntur martyres esse interfecti propter *μαρτυρίαν*, i. e. propter testimonium (Apc 6, 9; 20, 4). Posteris vero scriptoribus martyrium idem est ac perpessio mortis pro fide Christi toleratae.

Thesis procedit ex facto historico multos homines pro religione christiana mortem voluntarie et patienter subiisse. Quaerimus, quae fuerit causa huius fortitudinis, et perspicientes non posse esse aliam causam nisi singulare Dei auxilium martyribus praestitum, concludimus religionem christianam, quae tam speciali modo a Deo adiuvetur, esse vere religionem a Deo revelatam.

172. **Arg.** Permulti homines admirabili modo pro religione christiana mortem passi sunt. Atqui hoc explicari nequit sine speciali adiutorio Dei veritatem religionis christianae testantis. Ergo haec religio, quae se ut divinitus revelatam exhibet, est vere a Deo revelata.

Prob. mai. a) *Magna est multitudo martyrum, qui pro religione christiana mortui sunt.* In S. Scriptura iam sermo est de gravissimis persecutionibus christianorum, tum a iudaeis tum a gentilibus commotis (Act 6, 8 sqq; 8, 1. 1 Petr 4, 12 sqq), et de animis «inter-

fectorum propter verbum Dei» (Apc 6, 9), «decollatorum propter testimonium Iesu et propter verbum Dei, et qui non adoraverunt bestiam» (Apc 20, 4; cf. 17, 6). *Clemens Rom.* (1 Cor. 6, 1) loquitur de martyrio apostolorum Petri et Pauli et de «magna electorum multitudine», qui «suppliciis multis et tormentis» aggregati sunt apostolis. *S. Irenaeus:* «Ecclesia omni in loco ob eam quam habet erga Deum dilectionem, multitudinem martyrum in omni tempore praemittit ad Patrem» (Contra haer. 4, 33, 9). Idem testantur *Athenagoras* (Legat. n. 34), *S. Cyprianus* in libro De mortalitate n. 26, *Lactantius*, De mortibus persecutorum.

Sulpicius Severus de Nerone ait: «Hic primus christianum nomen tollere aggressus est; quippe semper inimica virtutibus vitia sunt» (Chronic. 2, 28). Secundum *Tacitum* sub Nerone «multitudo ingens» christianorum periit, quibus «pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur» (Annal. 15, 44). *Suetonius:* «Afflicti suppliciis christiani, genus hominum superstitionis novae ac maleficae» (Vita Neronis 16, 2).

Solent cum *S. Augustino* (De civ. Dei 18, 52) plerumque numerare decem persecutiones usque ad Constantinum Magnum: Neronis (54—68), Domitiani (81—96), Traiani (98—117), Marci Aurelii (161—180), Septimii Severi (193—211), Maximini Thracis (235—238), Decii (249 ad 251), Valeriani (253—260), Aureliani (270—275), Diocletiani (284 ad 305).

Quantus sub Decio fuerit furor gentilium et quam atrocia facinora in christianos commissa, *S. Dionysius Alexandrinus,* qui viderat, narrat (*Euseb.* H. E. 6, 40 sqq). Sed singula referre longum est. *Eusebius Caesariensis* de persecutionibus suae aetatis ait: «Dici non potest, quot et quantos martyres in omnibus locis atque urbibus passim cernere licuerit» (H. E. 8, 4). «Vix iam iniri potest numerus eorum, qui deinceps in singulis provinciis passi sunt martyrium. . . . Quae cum gererentur, nos ipsi praesentes aderamus» (ibid. c. 6 sq). In Aegypto «viri prope innumerabiles cum uxoribus et liberis pro Servatoris nostri doctrina, temporalem hanc vitam aspernati, varia mortis genera sustinuerunt. . . . Atque haec omnia non paucis diebus nec exiguo temporis spatio sed prolixo aliquot annorum curriculo continue perpetrata sunt, cum nunc deni, interdum viceni et amplius, nonnumquam ad triginta usque et sexaginta, quandoque et centeni viri simul ac mulieres uno die interficerentur, variis ac per vices alternatis suppliciis addicti. Nos quoque cum in illis partibus degeremus, quamplurimos acervatim uno die, alios quidem capite truncatos, alios vero flammis traditos vidimus, adeo ut gladii ipsi hebetarentur, ipsique carnifices, viribus fatiscentes, sibi invicem succederent» (ibid. c. 8 sq). Narrat combustionem integrae urbis in Phrygia «cum viris et mulieribus et parvulis, Christum omnium Deum invocantibus» (ibid. c. 11).

Ergo sine dubio magna fuit multitudo martyrum, qui tribus primis saeculis pro religione christiana passi sunt. Neque postea defuerunt gravissimae persecutiones. Ita in Perside sub Sapore II (309—381) factum est edictum a. 342 et alterum a. 343, ut interficerentur omnes christiani vel saltem omnes clerici. *Sozomenus* (H. E. 2) testatur nota fuisse nomina sexdecim milium martyrum tunc occisorum. In Perside persecutiones, brevibus intervallis exceptis, tria saecula furebant. Sed etiam nostrae aetati non defuisse martyres ostendit historia sinensis vel iaponica. (Cf. *H. Leclercq,* Les martyrs, 9 vol., Paris 1892—1909, a saeculo I usque ad saeculum XVII inclusive.)

b) *Admirabili modo martyres mortem pro religione subierunt.* Nam martyres pugnabant non resistendo sed tolerando, non pro suis opinionibus, sed pro Iesu Christo et religione eius sine ulla spe emolumenti temporalis. Neque plerique magnam famam apud posteros sperare poterant, quia erant homines ignoti, de quorum morte nemo curabat, et in occulto patiebantur. Multo plures sunt martyres, quorum nomina ignota sunt, quam quorum nota sunt. Tormenta saepe erant gravissima et diu protracta. «Alii quidem post ungulas et fidiculas, post crudelissima verbera et varios, etiam dictu horrendos cruciatus flammis absumpti, alii vero in mare demersi, alii carnificibus capita sua amputanda alacri animo praebuerunt. Nonnulli tormentis ipsis immortui, quidam fame consumpti, alii denique in crucem acti. Pars eo modo, quo malefici vulgo suffigi solent, pars atrocius capite deorsum verso clavis confixi et vivi eo usque servati, quoad in ipsis patibulis fame periissent» (*Euseb.* H. E. 8, 8). Haec sine dubio ingentem gentilium in christianos fanatismum manifestant, quem etiam alii scriptores testantur, ut *Tertullianus* (Apolog. 40).

E contra quantum martyres abfuerint a fanatismo, in Actis eorum videre licet. Quiete et modeste respondent se nihil mali gessisse et solum ob nomen christianum accusari; se paratos esse ad oboediendum imperatoribus in omni re honesta, sed a Christo deficere et falsos deos colere se non posse; condemnati Deo gratias agunt et gravissimas poenas patienter sustinent. Ita in Actis martyrum scillitanorum, in Actis Carpi, Papyli, Agathonices etc. (*Kirch,* Enchir. 59 sqq 65 sqq 146 sqq). *Eusebius* multis locis effert, quanta admiratione affectus sit videns fortitudinem martyrum. «Pericula cunctaque multiformium tormentorum genera parvi ducebant; supremi vero numinis cultum libera voce absque ullo metu profitebantur, et gaudio atque hilaritate ridentes capitalem sententiam excipiebant, adeo ut in laudem conditoris omnium Dei psalmos hymnosque et gratiarum actiones ad extremum usque spiritum concinerent» (H. E. 8, 9). Similia de martyribus omnium temporum narrantur (cf. *Ottiger,* Theol. fundam. I 884 sqq).

Hinc saepe factum est, ut gentiles, perculsi hac animi magnitudine, ad fidem converterentur. S. Iustinus M. ait: «Dum enim gladio percutimur, dum crucifigimur, dum feris tradimur et vinculis et igni

et omnibus aliis tormentis, a confessione, ut manifestum est, non discedimus. Sed quanto magis magisque talia nobis infliguntur, eo plures alii per nomen Iesu fideles et pii fiunt» (Dial. cum Tryph. 110). *Tertullianus:* «Plures efficimur, quoties metimur a vobis; semen est sanguis christianorum» (Apolog. 50).

Saepissime poterant se christiani a poenis liberare sacrificando diis gentilium aut procurando sibi libellos sacrificatorios (quorum exemplar apud *Kirch,* Enchir. n. 207 sq). Sed dirissima quaeque perferre malebant quam Christo vel ad speciem renuntiare.

173. *Prob. min. Haec constantia explicari nequit sine speciali auxilio divino.* Fanatismus, superbia, pertinacia possunt quidem interdum unum alterumve hominem impellere ad tormenta fortiter subeunda. Sed cum agatur de hominibus omnis condicionis, viris, mulieribus, pueris, puellis, senibus, nobilibus, plebeiis, de ingenti multitudine, de saeculorum spatio, quo persecutiones movebantur iterum atque iterum, sed semper cum eodem effectu, omnis naturalis explicatio deficit. *Lactantius* ait: «Latrones et robusti corporis viri eiusmodi lacerationes perferre non queunt; exclamant et gemitus edunt; vincuntur enim dolore, quia deest illis inspirata patientia. Nostri autem, ut de viris taceam, pueri et mulierculae tortores suos tacite vincunt, et exprimere illis gemitus nec ignis potest. . . . Ecce sexus infirmus et fragilis aetas dilacerari se toto corpore urique perpetitur, non necessitate, quia licet vitare, si velint, sed voluntate, quia confidunt Deo» (Inst. 5, 13). *Origenes:* «Est videre, quomodo brevi tempore ipsa religio crevit, poenis cultorum mortibusque proficiens. . . . Ex quo dubium non est hoc humanis viribus aut opibus non agi, ut cum omni credulitate et potestate sermo Christi Iesu apud omnium mentes atque animos convalescat. Nam et praedicta esse ab eo haec ipsa et divinis ab eo responsis confirmata manifestum est» (De principiis 4, 1 2). Ita loquuntur ii, qui testes eventuum fuerant et partim ipsi talia passi erant.

Itaque *martyrio tripliciter confirmatur religio christiana:* 1. Quatenus mox ab initio religionis christianae habetur «nubes testium», qui maxima constantia testimonium reddunt illi doctrinae et illis factis, quae sunt fundamentum huius religionis. 2. Deus dans martyribus auxilium tam singulare et non raro addens etiam alia miracula, ipse testimonium reddit pro veritate religionis christianae. c) Hac ratione implentur vaticinia Christi de futuris persecutionibus et de futuro adiutorio divino (Mt 10, 16 sqq. Lc 12, 11 sq; 20, 12 sqq. Io 15, 18 sqq; 16, 1 sqq).

174. *Obi. I.* Martyrum numerus non fuit magnus; nam *Origenes* scribit paucos tantum pro christiana religione interfectos esse. Ergo argumentandum non est ex magna multitudine martyrum.

Resp. *Neg. antec.,* et ad rationem additam varia respondenda sunt. Nam etsi usque ad Originem non multi martyres fuissent, fuerunt tamen permulti post eius aetatem, ut ex allatis testimoniis constat. Praeterea Origenes respondet ad obiectionem Celsi, dicentis nomen christianum mox exstinctum iri, cum iam tot christiani sublati sint. Non ita est, inquit Origenes, sed plurimos Deus servavit et paucos tantum martyres esse voluit. «Pauci per intervalla temporum et facile numerabiles pro christiana religione mortem obierunt. Sed eorum gentem prorsus exstingui numquam permisit Deus» (Contra Cels. 3, 8). Sed ibidem (1, 3) ait tantum fuisse furorem gentilium, ut christiana religio «haud dubie oppressa fuisset, nisi divina virtute servata evasisset». Ergo loquitur de paucitate martyrum relative ad multo maiorem numerum servatorum.

175. *Obi. II.* Multi christiani in persecutionibus a fide defecerunt. Atqui hoc factum aeque valet contra religionem christianam atque constantia martyrum pro religione christiana. Ergo argumentum ex martyrio sumptum ruit.

Resp. *Conc. mai. Neg. min. et conseq.* Nam si quis vi et metu adigitur, ut contra suam persuasionem aliquid dicat et faciat, hoc utique in ratione testimonii non idem valet, ac si quis persuasionem suam tam firmiter profitetur, ut in ea contra omnem vim et metum immobilis permaneat. Praeterea multi ex iis, qui in persecutionibus defecerant, postea paenitentes ad ecclesiam redierunt et duram satisfactionem praestiterunt, et sic veram suam mentem manifestaverunt. Cur autem Deus non omnes aeque efficaciter iuverit ad spernenda et superanda tormenta, est mysterium gratiae et liberae cooperationis humanae, de quo nobis non est iudicandum. Sufficit, ut Deus tantam multitudinem martyrum, pro religione pugnantium, tam singulari et manifesto modo roboraverit.

176. *Obi. III.* Milites fortes in bello spernunt pericula, vulnera, mortem. Saepe quoque homines pro honore suo vel pro opinione sua gravia mala perferunt. Atqui ex his non recte concluditur bonam et veram esse causam, pro qua talia perferuntur. Ergo neque in martyrio haec conclusio valet.

Resp. *Conc. mai. et min.,* sed *neg. conseq. et paritatem.* Nam haec est ipsa differentia inter martyres et homines naturalem fortitudinem exhibentes, quod hi homines vi aggrediendo vel defendendo pugnant, martyres vero non resistendo, sed patienter tolerando, spe unice in Deo collocata, pro cuius revelatione et honore omnia sua et vitam ipsam perdunt et gravissima quaeque tolerant. *S. Ioannes Chrysost.:* «Qui ad martyrium trahitur, vincit vinctus, flagellatus, concisus, iugulatus. Atque ut in bellis vinci dicitur is, qui cadit, idipsum apud nos victoria est. . . . Deus tibi hanc fortitudinem indidit, ut non ex congressu vincas sed patiendo tantum» (In Matth. hom. 84, n. 4).

ARTICULUS IV.

DE INTERNIS CRITERIIS DOCTRINAE CHRISTI.

Amplissime hanc rem tractat sub respectu ordinis moralis *A. M. Weiß,* Apologie des Christentums[4], 5 t., Freiburg 1904. Ostendit religione christiana educari totum hominem, educari ad veram humanitatem, educari ad vitam socialem, educari ad perfectionem spiritualem. *E. Lingens,* Die innere Schönheit des Christentums[2], Freiburg 1902.

J. Souben, L'estétique du dogme chrétien, Paris 1898. *I. Kleutgen*, Theologie der Vorzeit IV, n. 190 sqq. *Th. Specht,* Lehrbuch der Apologetik § 36 sqq.

Prop. XXII. **Interna quoque criteria divinitatem doctrinae Christi suadent.**

177. *Stat. quaest.* Protestantes multi volunt veritatem religionis christianae sola interna experientia percipi posse (cf. *Denz.* n. 1812). Ad hunc errorem partim modernistae accesserunt (*Denz.* n. 2074 sq 2081). Quidam catholici putant homines nostrae aetatis unice fere criteriis internis ad religionem christianam allici posse, et ideo in re apologetica his argumentis primum locum concedendum esse. Verumtamen ut quis christianus fiat, debet doctrinas admittere, quae et quia a Deo revelatae sunt. Eas autem esse revelatas, via internorum criteriorum vel internae experientiae certo cognosci non potest. Nam experientia interna per se sola est res nimis ambigua, vaga, mutabilis; et qui eam solam sequuntur, mox in opiniones oppositas abeunt et sibi ipsis constantes non manent. Neque excellentia doctrinae sola probat divinam eius originem. Nam si agitur de veritatibus superrationalibus, intellectus in iis non perfecte quiescit, quia ne possibilitatem quidem mysteriorum ex rationibus internis percipit (supra n. 69). Si vero agitur de veritatibus rationi non imperviis, quomodo ex internis criteriis probatur eas esse a Deo revelatas? Itaque potius revelatione iam aliunde probata potest consideratio criteriorum internorum servire ut confirmatio. Vel etiam quaedam ex his considerationibus adhiberi possunt ad disponendas mentes hominum, ut remotis impedimentis, quae ex praeiudiciis proveniunt, facilius parati sint ad aures praebendas revelationi divinae.

178. *Arg.* Illa doctrina Deo et divina revelatione digna est, quae intellectum instruit omnibus scitu necessariis ad vitam religiosam et moralem recte instituendam, quae voluntatem confortat, ut debitum finem efficaciter prosequatur, quae aptissima est ad vitam socialem optime formandam. Atqui talis est doctrina Christi. Ergo hac ratione suadetur divina eius origo.

Ad mai. Deus, si dat revelationem, sane in hunc finem dat, ut nobilissimis studiis et desideriis hominum succurrat. Haec autem sunt studium et desiderium cognoscendi et prosequendi supremum verum et bonum, habendi rectam cognitionem originis et finis rerum et vitam ita instituendi, ut innatum beatitudinis desiderium vanum non sit, sed certa spes affulgeat perveniendi ad perfectam beatitudinem. Et quia homo ens sociale est, naturae eius convenit, ut haec bona assequatur non ut individuum tantum sed ut membrum societatis humanae. Ergo illustratio intellectus de veris et bonis religiosis et moralibus, confortatio voluntatis ad haec bona fortiter prosequenda, socialis horum verorum et bonorum participatio et propagatio a priori recte statuuntur ut postulata revelationis Deo dignae.

179. *Prob. min. pars I. Doctrina Christi instruit intellectum notitiis necessariis ad vitam religiosam et moralem.* Duo naturaliter postulat homo de Deo, ut eum vere ut Deum colere possit: incomprehensibilem maiestatem et auxiliatricem propinquitatem. Nam Deus, quem homo perfecte capere potest, non esset Deus sed summum homo in immensum auctus. Postulat autem sana ratio Deum, non gradu sed essentia ab homine distinctum, ens secundum totam substantiam altioris ordinis, Deum, quem quo magis cognoscimns, eo magis incomprehensibilem perspicimus. Neque vero Deus ita debet esse remotus ab homine, ut ad eum res humanae nihil pertinere videantur; nam homo cupit habere *verum* Deum, qui simul sit *suus* Deus.

Huic autem duplici desiderio mirifice obviam venit revelatio christiana, docens Deum Unum et Trinum, creatorem omnium, qui sit simul Pater noster. Deus Unus et Trinus est *altissimum mysterium*, quo interna Deitatis vita nobis ita revelatur, ut simul perspiciamus omnimodam incapacitatem nostram umquam comprehendendi illam vitam. Non proponitur nobis contradictio credenda, quasi idem sub eodem respectu dicatur unum et trinum, sed una et unica natura divina dicitur in se continere tres relationes personales, vi quarum fiat, ut Deus secundum nostrum concipiendi modum non sit quasi ens solitarium, sui contemplatione et amore contentum, sed vere in se habeat mutuam cognitionem et dilectionem sine ullo nocumento summae simplicitatis. Quomodo hoc sit, non intellegimus; sed si ita est, pulcherrimum esse nemo rationabiliter negabit. Atqui ita esse Christus revelavit; ergo docuit nos Deum, qualem exigit mens nostra, Deum, qui inhabitat in luce inaccessibili (1 Tim 5, 16), cuius illuminatio nobis ostendit adyta inexplorata vitae divinae.

Hic vero infinitus Deus simul exhibetur tanta propinquitate nobis coniunctus, ut eum alloqui liceat: «Pater noster, qui es in caelis», et ab eo cum filiali fiducia et certa spe exauditionis petere auxilium in omnibus nostris necessitatibus animi et corporis. Immo hic infinitus Deus, quo efficacius nos ad se attraheret, propriam sibi fecit humanam naturam, factus est ut homo unus ex nostris, verbo et exemplo nos docuit, quis esset verus finis noster, et qua via ad hunc finem pervenire possemus. «Benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei» (Tit 3, 4). «Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae» (Io 8, 12). «Ego sum via, veritas et vita» (Io 14, 6).

Quia ipse Deus docuit nos, nunc *maxima certitudine scimus, unde venerimus, et quo eamus*, quae duae quaestiones gravissimae ante Christum omnium hominum mentes angebant et summorum philosophorum intellectum ancipitem tenebant. Divina revelatione nixus quivis puer, catechismum sciens, de quaestionibus cardinalibus vitae humanae superioris clariora et certiora responsa dare potest, quam olim dederunt platonici, peripatetici, stoici, omnes philosophi simul (cf. *Tertull.*,

Apolog. 46 sqq). Fecerunt quidem philosophi increduli multas obiectiones contra doctrinam christianam, at eam evertere non potuerunt, sed potius se victos esse plurimi tacite fatentur eo, quod ex systemate doctrinae christianae plurima transtulerunt in sua systemata, atque res ita proponunt, quasi non aliunde acceperint sed ipsi invenerint. Quod quam falsum sit, facile intellegitur facta comparatione inter philosophiam veterum scriptorum gentilium et eorum, qui post revelationem Christi scripserunt. Maxime in re ethica tantus progressus apparet, ut haec pars philosophiae sit mutum quoddam et simul eloquens obsequium religioni christianae exhibitum. Qui vero contra hanc religionem conati sunt statuere nova systemata, semper fuerunt sidera errantia, quae ad breve tempus homines perturbarunt, et dein occiderunt in perpetuum. Si quid ex historia praeteritorum saeculorum concludere licet, doctrina Christi florebit et fructus feret, quando doctrinae inimicae, quae nunc fortasse in magna admiratione sunt, iamdiu sepultae iacebunt.

180. *Prob. min. pars II. Doctrina christiana confortat voluntatem.* Nihil iuvat intellectum illustrare, nisi etiam voluntati vires addantur, ut fortiter et constanter lumen veritatis sequatur. Hic praecipue deficit philosophia; nam philosophi etiam in iis, quae recte docent, maximam difficultatem inveniunt in hominum infirmitate, quam sanare non possunt. At *christiana religio etiam mirifice succurrit humanae infirmitati,* idque tripliciter: ostendendo finem beatissimum, promittendo Dei auxilium fortissimum, infallibiliter per orationem et alia media a Christo instituta obtinendum, exhibendo Christi et Sanctorum exempla, quibus efficitur non vanas neque inefficaces esse has promissiones. Religione christiana ingens multitudo hominum e calamitoso statu perditionis moralis adducta est ad maximam sanctitatem. Iam ante annum 200 medicus gentilis *Galenus* miratur tot esse veros philosophos inter christianos: «Nam quod mortem contemnunt, id quidem ante oculos habemus: item quod verecundia ducti, ab usu rerum venerearum abhorrent. Sunt enim inter eos et feminae et viri, qui per totam vitam a concubitu abstinuerint; sunt etiam, qui in animis regendis coercendisque et in acerrimo studio eo progressi sint, ut nihil cedant vere philosophantibus» (*Kirch,* Enchir. n. 132). Secundum rei veritatem «vere philosophantes» multo inferiores sunt christianis sanctis, qui ex puro Dei amore se et omnia sua divino servitio et proximorum utilitati devovent.

181. *Prob. min. pars III. Doctrina christiana aptissima est ad vitam socialem recte formandam.* Quam corrupta fuerit societas civilis, *Tacitus* (Annal. 14, 20 et totis libris 14 et 15) et alii scriptores gentiles non minus efferunt quam *S. Paulus,* qui gentiles describit ut homines «repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susur-

rones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non oboedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque foedere, sine misericordia» (Rom 1, 29 sqq). Christianis autem scribit: «Haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis» (1 Cor 6, 11). «Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo. . . . Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. . . . Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino. . . . Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam. . . . Filii oboedite parentibus vestris in Domino. . . . Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini. Servi, oboedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo. . . . Et vos, domini, eadem facite illis, remittentes minas, scientes, quia et illorum et vester Dominus est in caelis, et personarum acceptio non est apud eum» (Eph 4, 25 32; 5, 22 25; 6, 1 4 sq 9).

Non omnes quidem christiani sancta praecepta sancte servaverunt, sed si qui peccaverunt, debent paenitentiam agere et promittere futuram emendationem. *Religio christiana, benigna erga homines, non connivet vitiis,* sed peccatores aut volentes ad paenitentiam adducit, aut pertinaciter nolentes a communione sua separat. Maxime sanctitatem matrimonii, miserrime collapsam, Christus restituit. «Omnia indiscreta [i. e. communia] sunt apud nos praeter uxores. In isto loco consortium solvimus, in quo solo ceteri homines consortium exercent, qui non amicorum solummodo matrimonia usurpant, sed et sua amicis patientissime subministrant, ex illa, credo, maiorum et sapientissimorum disciplina, graeci Socratis et romani Catonis, qui uxores suas amicis communicaverunt, quas in matrimonium duxerant liberorum causa et alibi creandorum, nescio quidem an invitas. Quid enim de castitate curarent, quam mariti tam facile donaverant? O sapientiae atticae, o romanae gravitatis exemplum. Leno est philosophus et censor» (*Tertull.,* Apolog. 39). Sed quid plura? Neminem nisi nolentem videre latere potest, quanta per religionem christianam facta sit in melius humanae societatis mutatio.

Ergo ex interna indole religionis christianae suadetur eam esse originis divinae. Nam haec religio habet tam alta dogmata, tam insignia praecepta moralia, tam efficacia motiva et media, omnium hominum ingenio accommodata, ut non possit ulla doctrina, umquam ab hominibus inventa, cum ea aequiparari. Itaque cum haec religio non solum longe superet omnem philosophiam gentilem, sed etiam plurima contineat prioribus hominum opinionibus plane contraria, nulla sufficiens ratio eius assignare posse videtur nisi revelatio divina. Quod nulli philosophi efficere potuerint, hoc potuisse paucos homines iudaeos illitteratos naturalibus suis viribus efficere, improbabile est et a recta ratione alienum. Hac igitur via confirmatur, quod aliis argumentis iam stabili-

vimus: per Iesum Christum locutum ad nos esse ipsum Deum, et Iesu Christi doctrinam non aliter atque ipsius Dei doctrinam recipiendam esse.

182. *Accedit ad hoc interna experientia saluberrima*, qua is, qui doctrinam Christi serio sequitur, in se sentit mirabiles eius effectus, animi pacem, studium virtutis, desiderium rerum caelestium, imminutionem malarum passionum, augmentum caritatis aliorumque donorum supernaturalium. E contrario sine religione christiana omnia tenebrescunt, passiones convalescunt, virtus desperatur, omnia ad ima feruntur. Hoc utique indicium non leve est religionem christianam habere Deum auctorem. «Mea doctrina non est mea sed eius, qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar» (Io 7, 16 sq). Hac ratione solet Deus homines conservare et confortare in religione christiana.

Nihilominus *hoc criterium se solo non sufficit,* quia illi, qui nondum sunt christiani, hac experientia carent, et tamen debent religionem christianam amplecti. Praeterea ne boni quidem christiani omnes neque semper easdem habent experientias internas, sed interdum cum Christo crucifixo videntur sibi quasi derelicti a Deo et omni supernaturali adiutorio privati; et tamen etiam tempore internae tribulationis debent dignoscere posse religionem et revelationem ut divinam. Itaque aliud necessarium est fundamentum magis firmum et stabile. Hoc autem fundamentum praebent criteria obiectiva, quibus intellectus convincitur de divinitate religionis christianae; nam ea tantum firma et stabilis esse potest voluntatis dispositio, quae sequitur lumen intellectus minime ambiguum.

183. **Obi. I.** Si in religione christiana vis esset divina ad docendos et movendos homines, haec vis semper se manifestaret. Atqui plures et plures in dies homines a religione christiana se avertunt, dogmata eius irrident, praecepta eius moralia flocci faciunt. Ergo magnus successus religionis christianae, qui quondam fuit, non virtuti divinae sed prosperis condicionibus adscribendus est.

Resp. *Dist. mai.:* Vis divina semper se manifestabit morali persuasione convertendo et conservando multos homines in vita sancta, *conc. mai.;* imponendo necessitatem hominibus et cogendo omnes etiam contra suam voluntatem, *neg. mai. Dist. min.:* Multi deficiunt, et multi alii fideles manent, *conc. min.;* solam defectionem videre licet neque multorum aliorum perseverantiam et incrementum, *nego min.* Et *neg. conseq.*

Etsi multorum defectio est triste factum, eo magis elucet aliorum constantia, et eo magis in ecclesiae conservatione et augmento apparet auxilium providentiae divinae. Ceterum certum est ultimis temporibus magnam hominum apostasiam futuram esse, quia Christus praedixit (Mt 24, 12. Lc 18, 8. 1 Thess 2, 3 sqq). Neque igitur ob defectum virtutis divinae sed ex inscrutabili iudicio Dei tantum malum permittentis defectio evenit.

184. **Obi. II.** Christiana religio revocando homines a studio rerum temporalium et omnem spem in bonis caelestibus collocando reddit homines in-

ertes et desides et impedit progressum culturae. Ergo saltem sub hoc respectu non est admiranda sed vituperanda.

Resp. *Dist. antec.:* Christiana religio revocat ab immoderata sollicitudine rerum temporalium, qua homines non felices sed miseri fiunt, et docet finem ultimum habere normam omnium rerum diiudicandarum, *conc. antec.*; docet homines esse neglegentes in officiis suis erga seipsos et erga societatem humanam implendis, *neg. antec.* Et *neg. conseq.* Christus non docuit ullum honestum negotium omittendum vel ullum officium neglegenter implendum esse, sed docuit in omnibus rectum ordinem servare et temporalia aeternis subordinare. Christianis in vita civili non alia facienda sunt atque ceteris hominibus sed eadem aliter secundum regulam valde simplicem: «Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino et non hominibus, scientes, quod a Domino accipietis retributionem hereditatis; Domino Christo servite» (Col 3, 23 sq).

Illa obiectio vetus est, de qua *Tertullianus* ait: «Sed alio quoque iniuriarum titulo postulamur, et infructuosi in negotiis dicimur. Quo pacto homines vobiscum degentes, eiusdem victus, habitus, eiusdem ad vitam nenessitatis? . . . Meminimus gratiam nos debere Deo Domino creatori; nullum fructum operum eius repudiamus, plane temperamus, ne ultra modum aut perperam utamur. Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, ceterisque commerciis cohabitamus in hoc saeculo. Navigamus et nos vobiscum et militamus, et rusticamur, et mercamur, proinde miscemus artes, operas nostras publicamus usui vestro. Quomodo infructuosi videamur negotiis vestris, cum quibus et de quibus vivimus, non scio» (Apolog. 42). Ceterum opus non est multis exponere, quantopere religio christiana promoverit culturam rerum materialium et spiritualium, cum manifesta documenta ante omnium oculos posita sint.

PARS II.

DE ECCLESIA CHRISTI.

CAPUT I.

DE INSTITUTIONE ET CONSTITUTIONE ECCLESIAE.

Cf. *Bellarminus,* De ecclesia; *I. B. Franzelin,* Theses de ecclesia Christi, Romae 1885; De divina Scriptura et traditione[4], Romae 1906; *I. V. de Groot,* Summa apologetica de ecclesia catholica[3], Ratisbonae 1896; *Guil. Wilmers,* De Christi ecclesia, Ratisbonae 1897; *G. van Noort,* Tractatus de ecclesia Christi[2], Amstelodami 1909; *P. Batiffol,* L'église naissante et le catholicisme, Paris 1909 (etiam germanice: Urkirche und Katholizismus, Kempten 1910); *I. Ottiger,* Theologia fundamentalis II, Friburgi Brisg. 1911.

PRAENOTANDA.

185. Probavimus Iesum Christum, legatum divinum, doctrinam suam ut a Deo revelatam et omnibus hominibus necessario admittendam proposuisse (supra n. 133 sqq). Christus autem non mansit inter homines, sed brevi post resurrectionem rediit ad Patrem. Quaeritur ergo, quomodo ex intentione Christi doctrina revelata conservanda et ad omnes homines omnium saeculorum usque ad finem mundi propaganda sit.

Modernistae cum multis rationalistis dicunt Christum nihil de hac re providisse, cum censuerit se mox rediturum esse ad iudicium. De hoc errore iam diximus (supra n. 135). Protestantes satis communiter dicunt fontem et normam fidei post Christi et apostolorum tempora esse solam Sacram Scripturam, praecipue Novi Testamenti. Nos dicimus Christum instituisse vivum magisterium, perenniter duraturum ad doctrinam suam conservandam et propagandam, seu doctrinam suam reposuisse in societate quadam religiosa, quae vocatur ecclesia. Hoc imprimis probandum est.

Tum inquirendum est, qualis et ubi sit haec societas, quomodo distinguatur ab aliis societatibus, quinam in hac societate sint subiectum potestatis, in quibus fontibus inveniatur doctrina magisterii ecclesiastici. Itaque dividitur tractatus in has partes: de institutione et constitutione ecclesiae, de proprietatibus ecclesiae, de notis ecclesiae, de subiecto potestatis ecclesiasticae. His additur ut tertia pars totius inquisitionis tractatus de fontibus theologicis.

Quod attinet modum argumentandi, notandum est, quod iam antea indicavimus, nos libris Novi Testamenti uti simpliciter ut docu-

mentis historicis, non ut libris inspiratis. Nihilominus quando in his libris Christus vel alius legatus divinus nomine Dei loquitur, dicta eius sunt auctoritatis divinae et infallibilis, quae si sensum certum et clarum habent, sunt argumenta peremptoria. Nam haec auctoritas non pendet ex inspiratione libri, sed consistit in locutione Dei, de qua si historice constat, eo ipso omnis dubitatio, sintne vera necne, quae dicuntur, omnino excluditur.

Prop. XXIII. **Christus ad doctrinam suam conservandam et propagandam instituit vivum magisterium apostolicum, eique praerogativam infallibilitatis in tradenda doctrina sua contulit.**

186. **Stat. quaest.** *Vivum magisterium* vocatur hominum, qui orali praedicatione docent et doctrinam suam explicare possunt, in oppositione ad librum scriptum, qui legentibus doctrinam exhibet, sed quia non vivit, seipsum explicare nequit.

Apostolus vi vocis idem est ac missus seu legatus (cf. 3 Rg 14, 6, ubi hebraice scribitur *shaluach*, graece *ἀπόστολος*). Unde magisterium apostolicum, si concrete sumitur, sunt homines a Christo missi, ut ipsius nomine et auctoritate doceant alios doctrinam a Christo revelatam (cf. Io 13, 16). In Scriptura semel Christus ipse vocatur apostolus (Hebr 3, 1). Saepe ii qui sunt apostoli etiam vocantur discipuli (e. g. Mt 11, 1), at non omnes discipuli sunt apostoli (cf. Act 1, 21 26; 8, 1; 1 Cor 12, 28 sq), sed nomen apostoli est nomen specialis muneris et auctoritatis (cf. Rom 1, 1; Gal 1, 1).

187. **Prob. pars 1.** *Christus instituit vivum magisterium apostolicum.* «Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et apostolos nominavit» (Lc 6, 12 sq; cf. Mc 3, 13 sq). «Convocatis autem duodecim apostolis dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent. Et misit illos praedicare regnum Dei et sanare infirmos» (Lc 9, 1 sq). Hos apostolos Christus speciali modo educabat ad munus suum rite gerendum (Mt 10, 1 sqq; 13, 10 sqq. Lc 9, 1 sqq. Io 13, 12 sqq). Munus autem, ad quod destinaverat eos, erat praedicare doctrinam Christi, non iudaeis tantum sed omnibus hominibus.

Hoc iam ante mortem suam Christus praedixerat apostolis suis (Mt 10, 16 sqq; 24, 14. Mc 13, 9 sqq). Post resurrectionem autem suam dixit ad eos: «Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis» (Mt 28, 18 sq. Mc 16, 15). Voluit tamen, ut exspectarent, usquedum Spiritum Sanctum recepissent (Lc 24, 19 sqq. Act 1, 4). «Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos,

et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae» (Act 1, 8).

Pro Iuda proditore electus est Matthias (Act 1, 26), et speciali modo Paulus a Christo ipso vocatus est ad munus apostolatus (Act 9, 15; 22, 3 sqq. Gal 1, 12) et conumeratus cum aliis apostolis (Act 9, 27 sqq. Gal 2, 9).

Apostoli intellexerunt sibi a Christo impositum esse munus et officium praedicandi doctrinam Christi. «Illi autem profecti praedicaverunt ubique» (Mc 16, 20). «Non possumus, quae vidimus et audivimus, non loqui» (Act 4, 20). «Misit me Christus evangelizare» (1 Cor 1, 17). «Si evangelizavero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit; vae enim mihi est, si non evangelizavero» (1 Cor 9, 16). Fides enim hominibus necessaria est ad salutem; praedicatio autem est via ordinaria, qua ad fidem perveniant. «Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?» (Rom 10, 14 sq.)

188. **Prob. pars 2.** *Christus apostolis contulit praerogativam infallibilitatis in tradenda doctrina Christi.* Omnes homines sub poena aeternae damnationis credere debent. «Qui non credit, iam iudicatus est» (Io 3, 18). «Quicumque non receperit vos neque audierit sermones vestros, exeuntes de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis: Tolerabilius erit terrae sodomorum et gomorrhaeorum in die iudicii quam illi civitati» (Mt 10, 14 sq). «Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur» (Mc 16, 16). «Qui accipit, si quem misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum, qui misit me» (Io 13, 20). «Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me» (Lc 10, 16). Atqui Christus non potuit sub poena aeternae damnationis hominibus imponere officium credendi doctrinam falsam. Ergo doctrina apostolorum est infallibiliter vera.

Quia autem apostoli ex se erant homines fallibiles, *Christus iis promisit perpetuam suam assistentiam et auxilium Spiritus Sancti.* «Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi» (Mt 28, 20). «Ego rogabo Patrem, et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis. . . . Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis» (Io 14, 16 sq 26). «Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem» (Io 16, 13). Ergo in apostolis et per apostolos loquitur Spiritus Sanctus. Spiritus «veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis» (Io 15, 26 sq; cf. Mt 10, 20). Ergo apostolorum verba sunt Christi verba et Spiritus Sancti verba, et ideo sunt infallibilia.

Haec erat persuasio apostolorum. «In me loquitur Christus» (2 Cor 13, 3). «Nos sumus testes horum verborum et Spiritus Sanctus, quem dedit Deus omnibus oboedientibus sibi» (Act 5, 32). «Visum est Spiritui Sancto et nobis» (Act 15, 28). Accipere verba apostolorum est oboedire Deo. «Accepimus gratiam et apostolatum ad oboediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius» (Rom 1, 5). «Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum sed, sicut est vere, verbum Dei» (1 Thess 2, 13). Doctrina apostolorum est doctrina Iesu Christi «in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, et qui non oboediunt evangelio Domini nostri Iesu Christi» (2 Thess 1, 8). Per doctrinam suam apostoli in captivitatem redigunt omnem intellectum, «in promptu habentes ulcisci omnem inoboedientiam» (2 Cor 10, 5 sq). Quare «licet angelus de caelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit» (Gal 1, 8). Qui ita loquitur, certus est de infallibili veritate doctrinae suae.

Deus autem apostolorum doctrinam multis miraculis confirmavit (Act 2, 43; 3, 1 sqq; 5, 12 sqq; 9, 32 sqq. 2 Cor 12, 12. Hebr 2, 3 sq). Itaque cum apostoli integrae doctrinae suae absolutam fidem postularent, Deus autem hanc postulationem miraculis iuvaret, sequitur apostolos fuisse infallibiles in proponenda doctrina Christi, cum Deus errorem miraculis non confirmet.

189. *Obi. I.* Apostoli saepe doctrinam Christi non recte intellexerunt, et ideo a Christo vituperantur (Mt 15, 16). Ergo non erant infallibiles.

Resp *Nego suppositum argumenti.* Neque enim quaeritur, quales apostoli fuerint ante missionem Spiritus Sancti, sed quales fuerint post acceptum Spiritum Sanctum. Christus diserte iis dixit: «Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem» (Io 16, 12 sq). «Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto» (Lc 24, 49). Ceterum etiam quando tempore vitae mortalis Christi apostoli missi sunt ad praedicandum, Christus sine dubio providit, ut pauca illa, quae tunc annuntianda erant, cum infallibili veritate proponerent.

190. *Obi. II.* Paulus apostolus miletanis dixit: «Scio, quia amplius non videbitis faciem meam» (Act 20, 25); et tamen postea iterum Mileti fuit, ubi reliquit Trophimum (2 Tim 4, 20); nam in priore itinere Trophimum secum duxerat Ierosolymam (Act 21, 29). Ergo apostoli erant fallibiles.

Resp. *Conc. antec. Dist. conseq.:* Apostoli erant fallibiles in proponenda doctrina Christi, *neg. conseq.;* in aliis rebus, ad doctrinam fidei et morum non pertinentibus, *conc. conseq.* Paulus illa occasione suam subiectivam persuasionem expresserat, sed simul dixerat: «Vado in Ierusalem, quae in ea ventura sint mihi, ignorans» (Act 20, 22).

191. *Obi. III.* Petrus etiam in re fidei et morum erravit, cogens gentes iudaizare (Gal 2, 11 sqq). Ergo non erat infallibilis in proponenda doctrina Christi.

Resp. *Dist. antec.:* Petrus docuit gentes debere observare leges caerimoniales Veteris Testamenti, *neg. antec.;* Petrus suo agendi modo cogebat gentes iudaizare, *conc. antec.* Et *neg. conseq.*

Petrus diserte docuit gentes non debere observare circumcisionem et se ita subicere legi caerimoniali (Act 15, 10). Ipse, cum iudaeus esset, poterat iudaice vivere. Sed quia prius Antiochiae cum christianis gentilibus eorum more vixerat, postea autem ab iis se retraxerat, ne iudaeos offenderet, practice cogebat gentes iudaizare. Quare Paulus eum non vituperat, quod falsum docuerit, sed quod non recte ambulaverit (Gal 2, 12). De qua re *Tertullianus:* «Si reprehensus est Petrus, quod cum convixisset ethnicis, postea se a convictu eorum separabat personarum respectu, utique conversationis fuit vitium, non praedicationis» (De praescr. 23). Plura de hac re in Praelect. dogm. V, n. 523 sqq.

192. *Obi. IV.* Apostoli putabant adventum Christi secundum iam proxime instare (Rom 13, 11 sq. 1 Thess 4, 14 16). Atqui in hac re errarunt. Ergo non erant infallibiles.

Resp. *Dist. mai.:* Apostoli privatam opinionem habuerunt, adventum Christi proxime instare, *trans. mai.;* dixerunt hanc esse doctrinam a Christo revelatam, *neg. mai. Dist. min.:* Errarunt apostoli in opinione privata, *trans. min.;* in proponenda doctrina Christi, *neg. min.* Et eodem modo *dist. conseq.*

Apostoli bene sciverunt se de tempore iudicii nullam revelationem a Christo accepisse (Mt 24, 36 44. Act 1, 7); sed sicut Christus ipse, ita apostoli monebant, ut omnes semper essent parati. Nihilominus quia tempus plane incertum erat, nolebant homines neglegere cotidiana officia (1 Thess 5, 1 sqq. 2 Thess 3, 6 sqq), et ipsi futurae ecclesiae sorti diligenter providebant (2 Cor 5, 3 8. Phil 1, 23 sqq. 1 Tim 5, 22. 2 Tim 4, 6. Tit 1, 5. Act 14, 22; 20, 28).

Prop. XXIV. In collegio apostolorum Christus primatum contulit Petro.

193. ***Stat. quaest.*** Apostoli electi non sunt a Christo ita, ut manerent duodecim separati homines, quorum unusquisque sine nexu cum ceteris esset legatus divinus, sicut e. g. erant prophetae Veteris Testamenti, sed potius ita, ut essent unum corpus morale, *unum collegium magisteriale.* Collegium intellegitur coetus hominum ad certum aliquem finem communiter prosequendum inter se unitorum. Tale collegium constituebant apostoli; nam vocantur nomine collegiali, et ut collegium ab aliis distinguuntur. Vocantur *οἱ δώδεκα*, vel post defectionem Iudae *οἱ ἕνδεκα* (Mt 10, 1; 11, 1; 20, 17 24; 28, 16. Mc 3, 14; 4, 10; 6, 7. Lc 8, 1; 9, 1 12. Io 6, 68. Act 6, 2). Distinguuntur ab aliis: *οἱ ἕνδεκα καὶ οἱ λοιποί* vel *οἱ ἕνδεκα καὶ οἱ σὺν αὐτοῖς*. «Hos duodecim misit Iesus, praecipiens iis . . . euntes praedicate . . . qui recipit vos, me recipit» (Mt 10, 5 7 40). Quia vero collegium potest esse aut aequalium aut inaequalium, quaestio oritur, utrum apostoli fuerint omnes aequales, an aliquis inter eos primatum tenuerit, seu

quia erant collegium sacrum, an fuerint collegium hierarchicum sub uno capite.

Quamdiu Christus cum apostolis vivebat, ipse solus eorum caput erat; post discessum vero ex hoc mundo manebat eorum caput invisibile, ex quo omnis potestas apostolorum descendebat. At voluit, ut etiam maneret caput visibile, constituendo Simonem, fratrem Andreae, primatem. Primatus aut est *honoris* tantum aut *potestatis*. Cum supponere liceat ut certum Christum non instituisse nudos honoris gradus inter discipulos suos, cum a mente eius nihil magis alienum fuerit quam caeremoniales vanitates, a priori constat, si quem primatum instituerit, fuisse *primatum potestatis religiosae*. Ceterum hoc ex argumentis patebit.

Inter protestantes et orientales acatholicos alii negant Petro collatum esse ullum primatum, alii concedunt primatum honoris, alii etiam primatum quendam potestatis. In ecclesia catholica de hac re inde a primis saeculis fuit perfectus consensus.

194. *Arg. I.* Ex promissione primatus.

Iesus nomen Simonis mutavit in Kepha, i. e. saxum, pro quo vocabulo graece dictum est *Πέτρος*, quod etiam retentum est in lingua latina (Io 1, 42. Mt 10, 2. Mc 3, 16. Lc 6, 14). Factum est igitur Petrus nomen proprium, quo semper fere in Scriptura deinceps vocatur ille apostolus.

Rationem mutati nominis Iesus ipse explicavit. Nam postquam Petrus confessus est: «Tu es Christus, Filius Dei vivi», respondit Iesus: «Beatus es, Simon, Bar [filius] Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus [Kepha], et super hanc petram [Kepha] aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis» (Mt 16, 16 sqq).

Atqui his verbis Christus Petro promisit primatum potestatis. Ergo ei etiam primatum dedit.

Ad mai. Protestantes, qui nolebant admittere primatum Petri, varia effugia excogitaverunt, ut e. g. Christum non allocutum esse Petrum, vel non Petrum ipsum sed fidem, quam Petrus confessus erat, vocari a Christo fundamentum ecclesiae. Sed quia haec et alia nimis manifeste vana sunt, nostra aetate aliis placuit negare textum esse genuinum, cum additus sit ad evangelium Matthaei circa finem saeculi II. Concedunt ab initio fortasse adfuisse verba: «Tu es Petrus, et portae inferi non praevalebunt contra te», alia autem verba esse interpolata. Ita *A. Harnack* (Die Acta Archelai und das «Diatessaron» Tatians 149 sq). Cui consentiunt *A. Resch*, *H. Monnier*, alii. Contra hos scripserunt *C. Kneller* (Stimmen aus Maria-Laach L,

129 sqq), *Y. de la Brière* (Études CXIX, 558 sqq), *P. Batiffol* (L'église naissante 101 sqq), alii.

Assertio illa non solum nullum solidum fundamentum habet, sed est plane improbabilis. Nam circa finem saeculi II textus aramaicus Matthaei iam diu ex usu evanuerat, et in eius locum ubique textus graecus successerat. Ergo illa aetate non iam poterat ulli homini in mentem venire fingere *textum tam semitici coloris*, ut ab omni graeco concipiendi et loquendi modo sit remotissimus (cf. supra n. 113). Textus igitur manifeste scriptus est a iudaeo pro iudaeis saeculo I.

Praeterea textus erat in opere Tatiani Diatessaron. Ergo in evangelio legebatur ante a. 170. Hoc patet ex dictis *S. Ephraem*, qui hanc paraphrasin textus exhibet: «Beatus es, Simon, caput discipulorum, quia Filius Dei beatum te dixit . . . et claves regni tibi tradidit . . . cuique dedit virtutem et potestatem divinitus ligandi atque solvendi. . . . Beatus es, o Petre, quia Filius Dei te posuit in fundamento ecclesiae, ut portares pondus totius creaturae. . . . Beatus es, o Simon, quia super te aedificata est ecclesia, decora lucis sponsa, cui promisit Filius Dei portas inferni contra eam non praevalituras» (Hymni dispersi III, ed. *Lamy* IV, 682 sqq).

Haec sunt illa ipsa, quae apud Mt 16, 17 sqq leguntur, etsi non est litteralis citatio. Similia saepe ab Ephraem repetuntur (cf. *Lamy* I 374 412 534; II 186; IV 534 738). Ephraem autem pro evangelio quadripartito adhibebat Diatessaron Tatiani. Ergo in hoc opere textus exstabat, qui consequenter non interpolatus est posteriore tempore.

Sine dubio *christiani non patienter tulissent interpolationem tam gravem, antea incognitam, sibi obtrudi,* neque ubique terrarum eam tam unanimiter recepissent, ut ne unus quidem codex incorruptus permanserit. Nam textus legitur in omnibus codicibus et omnibus versionibus, etiam syriaca antiquiore Tatiano, sine ulla lectione variante alicuius momenti.

Argumentum vero e silentio paucorum illorum Patrum, qui ante medium saeculi II scripserunt (et ne perfectum quidem silentium est), et alterum argumentum ex hac ratione sumptum, quod textus non quadret in contextum, sunt tam debilia et inania, ut considerationem vix mereantur. Huc etiam pertinet, quod volunt Christum non potuisse loqui de ecclesia sua. Christus utique non locutus est graece. Usus est igitur aliqua voce aramaica, qua significabat communitatem religiosam a se fundandam. Christum autem fundasse talem societatem, manifestum est ex Scriptura, ut postea videbimus. Ergo genuinitas textus manet inconcussa. Si textus est genuinus, est etiam historice verus; nam evangelista in hac re neque deceptus neque mentitus est, quia verba in se non sunt difficilia ad retinendum, occasio illa erat valde solemnis, neque ulla ratio erat talem dignitatem Petro affigendi.

195. *Prob. min.* 1. *Christus declarat Petrum futurum fundamentum societatis a se instituendae,* seu declarat eum futurum reale principium firmitatis et stabilitatis huius societatis (cf. Mt 7, 24 sqq). Atqui principium reale firmitatis et stabilitatis in societate est auctoritas seu potestas efficaciter dirigendi membra societatis ad finem socialem assequendum, quae potestas vocari solet in ecclesia potestas iurisdictionis. Ergo Petrus, isque solus, habet hanc potestatem in totam ecclesiam; ipse enim solus a Christo designatus est futurum fundamentum ecclesiae. Possunt quidem omnes apostoli simul ratione muneris et doctrinae vocari fundamentum ecclesiae (Eph 2, 20). Attamen nulli apostolo in specie dictum est: Tu es petra, super quam aedificabo ecclesiam meam, sed haec est praerogativa solius Petri. Ergo solus Petrus est principium commune stabilitatis pro tota ecclesia et pro omnibus et singulis partibus eius. Eo quod apostoli simul cum Petro collegialiter sunt fundamentum, non excluditur Petrum in hoc collegio esse speciali sensu fundamentum, in quo totum collegium habet principium unitatis et stabilitatis.

2. Addit Christus: «*Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.*» Christus quodammodo agit personam architecti dicentis: Aedificabo domum meam supra petram; et quia supra petram aedificabitur, tam firma erit, ut nullae adversae potestates eam subvertere possint. «Inferus» (*Ἅιδης*) vel in genere est locus mortuorum, qui non sunt in beatitudine (Act 2, 31. Apc 6, 8); vel in specie est locus damnatorum (Lc 16, 22 sq. Mt 11, 23. Apc 20, 3). «Portae» inferi sunt ipsum regnum inferi (cf. Gn 22, 17. Is 38, 10). Ergo regnum inferi est inimica potestas, quae conatur evertere regnum Christi. Unde per se sensus verborum Christi esse potest: Regnum meum super Petrum tam firmiter stabiliam, ut mors, quae omnia vincit, non possit illud superare. Verumtamen mors ut talis numquam exhibetur ut potestas pugnans contra regnum Christi, sed potius sic exhibentur semper diabolus et angeli eius (cf. Io 12, 31; 14, 30; 16, 11. Lc 11, 20 sqq. Hebr 2, 14. Eph 6, 12). Contra hos diabolicos impetus promittit Christus oratione sua se protecturum esse Petrum (Lc 22, 31 sq). Itaque per Petrum, in quantum a Christo fundamentum constitutus est et participatam soliditatem accepit, ecclesia contra omnes inimicos impetus firma et insuperabilis fiet. Hoc autem non intellegi de transeunte actu Petri sed de permanente munere, ex locutione Christi et ex natura rei evidens est.

3. Tandem Christus addit: «*Et tibi dabo claves regni caelorum.*» Iterum est metaphora, quam Christus statim explicat dicens: «Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis.» Aliis verbis: Deus actus ligandi et solvendi, quos Petrus in terra posuerit, ratos habebit. Ergo Petrus constituetur claviger ecclesiae cum potestate claudendi et aperiendi, i. e. cum potestate iurisdictionis in universam ecclesiam: Christus quidem principali potestate «habet clavem David, qui aperit

et nemo claudit, claudit et nemo aperit» (Apc 3, 7; cf. Is 22, 22), sed hanc potestatem cum Petro ita communicavit, ut Petrus in ecclesia utatur suprema *potestate vicaria.*

Possunt esse et sunt in ecclesia etiam alii, qui habent potestatem ligandi et solvendi, sed nullus est claviger totius ecclesiae. Ita Mt 18, 18 Christus alloquens collegium apostolorum illi promittit potestatem ligandi et solvendi; at hic nullum ex apostolis constituit supremum clavigerum, seu nulli ex iis dat in specie universalem potestatem in totam ecclesiam, quemadmodum Mt 16, 19 Petro dedit. Apostoli ut apostoli inter se erant pares, sed omnes, sicut subiecti erant Christo, ita subiecti erant vicario Christi, Petro, quia quicumque sunt in regno, subiecti sunt ei, qui habet claves regni.

Itaque Petro soli promissa est dignitas fundamenti et clavigeri totius regni Christi; ergo ipsi promissus est primatus iurisdictionis in universam ecclesiam (cf. *Knabenbauer,* In Matth., II², 130 sqq).

196. ***Arg. II.*** **Ex collatione primatus.**

Post resurrectionem apparens quibusdam discipulis ad mare Galilaeae, «dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? . . . Et dixit ei: Domine, tu omnia nosti; tu scis, quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas» (Io 21, 15 sqq).

Atqui his verbis Christus Petro tradidit primatum olim promissum. Ergo Petrus accepit primatum iurisdictionis in universam ecclesiam.

Ad mai. Textus est critice indubius, neque ullas notabiles lectiones variantes habet. Quia Christus Petro commissurus erat gregem suum, eum prius ter interrogat de caritate, quia ad gregem Christi recte pascendum magna caritate opus est. Fortasse etiam alludit ad trinam negationem Petri. Petrus iam restitutus erat in dignitatem apostoli; nam ei cum ceteris apostolis Christus iam dixerat: «Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. . . . Accipite Spiritum Sanctum» (Io 20, 21 sq). Ergo Io 21, 15 sqq sermo non est de restituenda hac dignitate sed de alia re, quae non est nisi actualis collatio primatus antea promissi.

197. *Prob. min. Christus se ipsum vocat pastorem,* cuius *grex est populus fidelis Novi Testamenti* (Mt 9, 36; 10, 6. Io 10, 11 sqq). Iam in Vetere Testamento populus Dei vocabatur grex Domini, cuius pastores constituti erant sacerdotes; quia vero hi gregem neglexerant, Deus eos abiecit et promisit novum pastorem, Christum (Ez 34, 1 sqq 23; cf. supra n. 161, 2). Hic novus pastor rursus *instituit alium pastorem vicarium,* qui post ascensionem Christi regeret gregem suum, i. e. totam congregationem fidelium: *Βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ προβάτιά*

μου. Etsi quis non vult urgere *ἀρνία* esse communes fideles, *προβάτια* autem vel *πρόβατα* superiores seu praepositos, quia de hac re sunt diversae sententiae, evidens tamen est his vocabulis designari universum gregem Christi. *Christus igitur Petrum fecit pastorem totius ecclesiae*, seu tradidit ei potestatem docendi et regendi totam ecclesiam. Pastorem enim hominum esse idem est ac regere eos per potestatem iurisdictionis (2 Reg 5, 2. Is 44, 28. Mt 2, 6 graece). Itaque si haec verba comparantur cum promissione primatus (Mt 16, 17 sqq), dubium non est, quin Christus hic impleverit, quod tunc promisit, et Petrum universae ecclesiae primatem constituerit.

198. *Confirm. I.* **Ex apostolorum agendi modo.**

Apostoli quidem ab initio vim primatus Petro collati non magis intellexerant quam praedictam passionem et mortem Christi et varias alias doctrinas Christi; sed post adventum Spiritus Sancti cessavit eorum disputatio, quis eorum videretur esse maior, et primas partes sine invidia Petro concesserunt. Ideo evangelistae, et ipsi iam participes facti Spiritus Sancti, quando scribebant, Petrum omnibus aliis praeferunt.

Nam 1. In catalogis apostolorum Petrus primo loco ponitur (Mc 3, 16. Lc 6, 14. Act 1, 13) et diserte «primus» dicitur inter apostolos, non per modum enumerationis, quia non sequitur «secundus, tertius», neque quia primus discipulus Iesu fuit, cum ante eum alii se Iesu adiunxerint (Io 1, 35 sqq), neque ob ullam aliam rationem, quia nulla indicatur, sed ideo quia est Petrus: «Primus Simon, qui dicitur Petrus» (Mt 10, 2). Hoc etiam aliis loquendi formulis innuitur, quibus Petrus ut caput collegii apostolici effertur: *ὁ Σίμων καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ* (Mc 1, 36), *ὁ Πέτρος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ* (Lc 9, 32), *ὁ Πέτρος σὺν τοῖς ἕνδεκα* (Act 2, 14), *Πέτρος καὶ οἱ λοιποὶ ἀπόστολοι* (Act 2, 37), *Πέτρος καὶ οἱ ἀπόστολοι* (Act 5, 29). 1 Cor 1, 12 ordo inversus est, ubi habetur gradatio: Paulus se infimo loco ponit, dein Apollo, dein Petrum, dein Christum. Similiter 3, 22 et 9, 6. Gal 2, 9 lectio est incerta; si Iacobus primo loco ponitur, ratio est, quia ibi agitur de iis, qui Ierosolymis in honore erant, et ideo Iacobus, episcopus huius civitatis, primo loco nominatur.

2. Evangelistae narrant Petrum speciali modo a Christo honoratum esse. Nam Christus quoties erat in urbe Capharnaum, habitabat in domo Petri (Mt 8, 14. Mc 1, 29. Lc 4, 38), e navi Petri docebat (Lc 5, 3), et post miraculosam capturam piscium Petro dixit eum futurum esse piscatorem hominum (Lc 5, 10), miraculo procurat staterem, quem Petrus solveret pro Christo et pro se ipso (Mt 17, 26), post resurrectionem apparet Petro, quando hic solus erat (Lc 24, 34. 1 Cor 15, 5).

3. Post diem Pentecostes, quando apostoli sunt simul, Petrus praesidet et omnium nomine loquitur. Ita in electione Matthiae (Act 1, 15),

ita die Pentecostes (Act 2, 14), ita coram principibus et senioribus iudaeorum (Act 4, 8), ipse primus gentes ad ecclesiam admittit (Act 10, 34), ipse primus quaestionem definit in concilio apostolorum (Act 15, 7), ipse cunctas ecclesias visitat et confirmat (Act 9, 32 sqq).

Haec si simul sumuntur, ostendunt condicionem Petri fuisse prorsus singularem in primitiva ecclesia, et sic confirmant ea, quae de primatu Petri probavimus. Sed negato hoc primatu plane nulla apparet ratio, cur Petrus hunc singularem locum honoris habuerit.

199. *Confirm. II.* **Ex testimonio veteris ecclesiae.**

Origenes de Petro ait: «Magno illi ecclesiae fundamento et petrae solidissimae, super quam Christus fundavit ecclesiam, vide, quid dicatur a Domino» (In Exod. hom. 5, n. 4); Petrus «apostolorum princeps» (In Luc. hom. 17). *Tertullianus:* «Latuit aliquid Petrum, aedificandae ecclesiae petram dictum, claves regni caelorum consecutum et solvendi et alligandi in caelis et in terris potestatem?» (De praescript. 22.) *S. Hilarius* Petrum alloquitur: «O in nuncupatione novi nominis felix ecclesiae fundamentum» (In Matth. 16, 18), «regni caelestis ianitor» (In Ps. 131, n. 4). *S. Ioannes Chrysost.:* «Quae uni Deo sunt propria, nempe peccata solvere, ecclesiam in tanto fluctuum concursu immotam reddere, hominemque piscatorem toto impugnante orbe petra firmiorem reddere, haec se illi [Petro] daturum [Christus] pollicetur» (In Matth. hom. 54, n. 2). *S. Cyrillus Hierosol.:* Petrus est ὁ κορυφαιότατος καὶ πρωτοστάτης τῶν ἀποστόλων (Catech. myst. 2, 19). Alia vide in Breviario Rom. die 13 Ian. et die 22 Febr. Unde haec magna Petri aestimatio prae omnibus apostolis, nisi Petrus primatum habuit?

200. *Obi. I.* Complures Patres docent petram, super quam aedificata sit ecclesia, esse confessionem divinitatis Christi. Ergo non Petrus est petra sed fides seu confessio eius.

Resp. *Dist. antec.:* Ita SS. Patres loquuntur excludendo primatum Petri, *neg. antec.;* includendo primatum Petri, *conc. antec.* Et *neg. conseq.*

Illo modo loquendi utuntur praecipue SS. Patres, quando argumentantur contra arianos, qui negabant divinitatem Christi. Contra hos urgent Petrum non accepisse primatum, nisi postquam confessus sit divinitatem Christi. «Super hanc igitur confessionis petram ecclesiae aedificatio est.» Ita *S. Hilarius* (De Trin. l. 6, n. 36), qui toties repetit Petrum esse fundamentum ecclesiae (e. g. In Ps. 131, n. 4; In Ps. 141, n. 8). Similiter *S. Ambrosius* saepe dicit Petrum factum esse «ecclesiae firmamentum» (In Luc. l. 4, n. 70; De virginit. c. 16, n. 105; De fide l. 4, c. 5, n. 56); nihilominus ait: «Fides ergo est ecclesiae fundamentum; non enim de carne Petri sed de fide dictum est, quia portae mortis ei non praevalebunt» (De incarn. c. 5, n. 34). Idem valet de aliis Patribus. Ergo hae duae expositiones se non excludunt; nam Petrum factum esse fundamentum ecclesiae, et rationem huius facti fuisse fidem Petri, optime inter se cohaerent (cf. *Knabenbauer,* In Matth., II², 58 sqq).

Neque cum primatu Petri pugnat, quod interdum Patres dicunt quemlibet imitatorem Christi esse petram, super quam aedificetur ecclesia. Haec et similia non sunt explicationes textus sed applicationes morales.

201. *Obi. II.* Petrus ab apostolis missus est in Samariam (Act 8, 14), et reprehensus est a Paulo (Gal 2, 11). Atqui superior non mittitur neque reprehenditur ab inferioribus. Ergo Petrus non habebat primatum inter apostolos.

Resp. *Dist. mai.:* Petrus missus et reprehensus est auctoritative, *neg. mai.;* amico consilio vel monitione, *conc. mai. Dist. min.:* Superior non mittitur vel reprehenditur ab inferiore auctoritative, *conc. min.;* neque umquam id fieri potest per modum consilii vel amicae monitionis, *neg. min.* Et sub data distinctione, *neg. conseq.*

Primatus Petri non statim ab initio eodem modo prodibat, quo nunc primatus romani pontificis. Etiam primatus habet suam historiam tum quoad perfectam eius cognitionem tum quoad usum. Praecipue primis temporibus, quando pauci erant fideles et non tam agebatur de gubernanda ecclesia quam de propagando evangelio et de fundandis communitatibus christianis, potestas primatialis vix non semper manebat in actu primo, et eo tantum fere modo manifestare se poterat, qui cernitur in primis capitibus Actuum apostolorum. Etsi conceditur apostolos omnes immediate a Christo accepisse iurisdictionem suam (quamquam pauci id negant; cf. *Suarez,* De fide disp. 10, sect. 1, n. 4), quia omnibus aequaliter Christus dixit: «Quaecumque alligaveritis . . .» (Mt 18, 18), et: «Sicut misit me Pater, et ego mitto vos» (Io 20, 21), et: «Euntes, docete omnes gentes . . .» (Mt 28, 19; cf. Gal 1, 1); nihilominus haec iurisdictio pendebat a iurisdictione Petri, quia solus Petrus poterat universae ecclesiae, inclusis apostolis, leges dare, et quia ecclesiae, quas apostoli fundabant, Petro subiectae erant, non vero ceteris apostolis. Unde Petrus plenissimam potestatem habebat, ceteri apostoli aliquid de hac plenitudine habebant.

202. *Obi. III.* Paulus apostolus se aequalem considerat Petro, dicens: «Creditum est mihi evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis» (Gal 2, 7). Atqui si Paulus est Petro aequalis, etiam ceteri apostoli sunt Petro aequales.

Resp. *Dist. mai.:* Paulus se aequalem considerat Petro quatenus ipse immediate a Christo accepit missionem praedicandi evangelium, praecipue inter gentes, sicut Petrus immediate a Christo accepit missionem praedicandi evangelium, praecipue inter iudaeos, et similiter ratione immediatae missionis omnes apostoli aequales sunt, *conc. mai.;* Paulus et ceteri apostoli aequales sunt Petro in gubernanda universa ecclesia, *neg. mai.*

S. Paulus ipse sensum verborum suorum explicat: «Paulus apostolus, non ab hominibus neque per hominem sed per Iesum Christum et Deum Patrem. . . . Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes» (Gal 1, 1; 2, 8). Neque tamen haec divisio apostolatus exclusive sumitur; nam Paulus etiam iudaeis praedicavit, et Petrus etiam gentibus. Non magis obest primatui Petri, quod Paulus se ei etiam praefert sub alia ratione. «Ego enim sum minimus apostolorum... sed abundantius illis omnibus laboravi» (1 Cor 15, 9 sq). Quantopere vero Paulus agnoscat eminentiam Petri, patet ex illis verbis: «Veni Ierosolymam

videre (ἱστορῆσαι) Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim; alium autem apostolorum vidi neminem nisi Iacobum, fratrem Domini», episcopum illius urbis (Gal 1, 18 sq). Ad quae verba *S. Ioannes Chrysost.* ait: «Non dixit ἰδεῖν Πέτρον, sed ἱστορῆσαι Πέτρον, quomodo loqui solent qui magnas splendidasque urbes invisunt cognoscendi gratia. Adeo iudicabat operae pretium esse etiam virum dumtaxat videre. . . . Nam et virum honore prosequitur et prae omnibus diligit; neque enim propter alium quemvis ex apostolis sed propter ipsum solum se venisse scribit» (In Gal. 1, 18).

203. **Coroll.** *Ex dictis intellegitur, quo fundamento nitatur doctrina catholica,* quae definita est in *Conc. Vatic.* sess. 4, c. 1: «Si quis dixerit beatum Petrum apostolum non esse a Christo Domino constitutum apostolorum omnium principem et totius ecclesiae militantis visibile caput, vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Iesu Christo directe et immediate accepisse, A. S.» (*Denz.* n. 1823).

Iam a. 1647 decreto *S. Officii* reiecta est Arnaldi et aliorum quorundam doctrina de omnimoda aequalitate apostolorum Petri et Pauli: «Sanctissimus . . . propositionem hanc: ‚S. Petrus et S. Paulus sunt duo ecclesiae principes, qui unicum efficiunt‘, vel: ‚Sunt duo ecclesiae catholicae coryphaei ac supremi duces, summa inter se unitate coniuncti‘, vel: ‚Sunt geminus universalis ecclesiae vertex, qui in unum divinissime coaluerunt‘, vel: ‚Sunt duo ecclesiae summi pastores ac praesides, qui unicum caput constituunt‘, ita explicatam, ut ponat omnimodam aequalitatem inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione et subiectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis ecclesiae, haereticam censuit et declaravit» (*Denz.* n. 1091).

Item in *Concilio Vaticano* l. c. reiecta est eorum opinio, «qui affirmant eundem primatum non immediate directeque ipsi beato Petro sed ecclesiae et per hanc illi ut ipsius ecclesiae ministro delatum fuisse» (*Denz.* n. 1822). Christus non dixit: Super ecclesiam aedificabo Petrum, sed: Super Petrum aedificabo ecclesiam; et ipsi Petro dedit claves regni caelorum, quemadmodum iam *Tertullianus* effert: «Si adhuc clausum putas caelum, memento claves eius hic Dominum Petro et per eum ecclesiae reliquisse» (Adv. gnosticos Scorpiace c. 10). Sed quia montanistae et alii docebant claves datas esse Petro ut huic privatae personae, et dignitatem Petri cum eius morte cessasse (*Tertull.*, De pudicit. 21), ideo SS. Patres dicunt Petrum accepisse claves, in quantum gesserit personam totius ecclesiae. Ita e. g. *S. Augustinus:* «Propter ipsam personam, quam totius ecclesiae solus gestabat, [Petrus] audire meruit: Tibi dabo claves regni caelorum; has enim claves non homo unus sed unitas accepit ecclesiae» (Sermo 295, c. 2, n. 2). Petrus non gessit personam ecclesiae ex delegatione ecclesiae, sed ut visibile ecclesiae caput, et claves accepit in ecclesiae perenne commodum; et hoc sensu in Petro ut in persona publica tota ecclesia accepit claves.

Tandem decreto «Lamentabili» n. 55 damnata est haec propositio modernistarum: «Simon Petrus ne suspicatus quidem umquam est sibi a Christo demandatum esse primatum in ecclesia» (*Denz.* n. 2055).

Prop. XXV. Christus collegio apostolorum contulit potestatem iurisdictionis et potestatem ordinis.

204. ***Stat. quaest.*** Vidimus iam (Prop. XXIII) Christum collegio apostolorum dedisse *munus docendi,* quod non est nuda docendi facultas, qualem habere potest homo privatus, sed *est munus publicum,* quod certa officia et iura annexa habet. Apostoli ex mandato Christi debent praedicare; ergo etiam ius praedicandi a Deo acceperunt. Quare cum principes iudaeorum apostolis denuntiassent, «ne omnino loquerentur neque docerent in nomine Iesu, Petrus et Ioannes respondentes dixerunt ad eos: Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, iudicate. Non enim possumus, quae vidimus et audivimus, non loqui» (Act 4, 18 sqq). Qui vero apostolorum doctrinam ut a Deo revelatam receperant, eo ipso apostolorum auctoritati subiciebantur in omnibus ad doctrinam Christi pertinentibus. Habebant igitur apostoli potestatem postulandi intellectualem oboedientiam et puniendi inoboedientiam. «In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi et in promptu habentes ulcisci omnem inoboedientiam» (2 Cor 10, 5 sq).

Itaque magisterium apostolis commissum continet 1. potestatem infallibiliter proponendi doctrinam Christi seu *clavem scientiae,* cui ex parte audientium respondet actus fidei; 2. potestatem obligandi fideles, ut hanc doctrinam profiteantur, seu *clavem iurisdictionis,* cui ex parte fidelium respondet actus oboedientiae. Attamen potestas iurisdictionis, i. e. potestas dirigendi fideles legibus latis in rebus fidei et morum, et consequenter potestas iudicandi de observatione legum et vindicandi transgressiones legum, non restringitur ad solum magisterium auctoritativum, sed extenditur ad omnes leges, iudicia, poenas, quae fini religionis christianae sunt conformia. Unde *potestas iurisdictionis complectitur et potestatem docendi et potestatem regendi.*

A potestate iurisdictionis distinguitur *potestas ordinis,* i. e. potestas sacrificandi et potestas sanctificandi homines per certos ritus a Christo institutos, qui vocantur sacramenta. Hoc loco nondum inquirimus in numerum neque in modum efficaciae sacramentorum, sed generatim tantum ostendimus apostolis a Christo talem potestatem datam esse. Vocatur haec potestas ordinis, quia eius exercitium pertinet ad ordinem sacerdotalem.

Quidam duplicem tantum potestatem distinguunt: iurisdictionis et ordinis, sicut Christus homo habuit potestatem regiam et sacerdotalem, potestatem vero docendi revocant ad potestatem iurisdictionis; aliis magis placet divisio in potestatem magisterii, ordinis, regiminis, quam comparant cum triplici munere Christi prophetae (seu doctoris), sacer-

dotis, regis. Hic diversus modus loquendi nihil mutat in re ipsa (cf. *Franzelin,* De ecclesia 46; *Wilmers,* De ecclesia 98 sqq; *van Noort,* De ecclesia 24 42).

Quia de potestate docendi iam diximus, hic restat, ut agamus de potestate regiminis et de potestate ordinis.

205. **Prob. pars I.** *Apostoli acceperunt potestatem iurisdictionis.*

1. Imprimis *iis promissa est haec potestas.* Nam Christus ait ad apostolos: Si quis «ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis: Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo» (Mt 18, 17 sq). Occasio horum verborum erat doctrina de correctione fraterna. Christus monet, ut prius fiat correptio privata; si hac nihil efficiatur, adeundam esse auctoritatem publicam. Ecclesiam esse coetum fidelium, eumque non aequalium sed sub auctoritate constitutorum, iam Mt 16, 18 sq dictum erat. Potestas ligandi et solvendi, quae antea Petro promissa erat, hic promittitur omnibus apostolis: «dico vobis». Ergo christianis officium incumbit audiendi apostolos, cum Deus suo iudicio approbet, quae apostoli decreverunt: Quae super terram ligaveritis aut solveritis, erunt etiam in caelo ligata aut soluta. Democratia religiosa et iudaeis et discipulis Christi plane ignota erat. Unde «dic ecclesiae» idem est ac «dic praesulibus ecclesiae». Non ideo populus christianus necessario excluditur a iudicio de fratre peccante; attamen iudices sunt ii, quibus Christus potestatem iudicandi dedit; populus vero, si ratio id suadet, ad consultationem admitti potest.

Potestas intra limites finis, ad quem datur, *universalis* promittitur, ut nihil excipiatur, quod ad utilitatem ecclesiae pertinet. Ergo Christus apostolis promisit potestatem dandi praecepta, iudicandi, absolvendi, puniendi.

2. *Christus post mortem suam apostolis potestatem contulit,* dicens: «Sicut misit me Pater, et ego mitto vos» (Io 20, 21). Christus a Patre missus est cum plena auctoritate; similiter apostoli mittuntur a Christo cum plena auctoritate. De potestate sermonem esse ostendunt verba: «Quorum remiseritis peccata, remittuntur iis; et quorum retinueritis, retenta sunt» (Io 20, 23). Iterum Iesus provocans ad plenitudinem potestatis suae, ait ad apostolos: «Discipulos facite *(μαθητεύσατε)* omnes gentes . . . docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis» (Mt 28, 19 sq). Sicut Christus cum auctoritate mandavit, ita apostoli cum auctoritate inculcant observantiam mandatorum Christi.

3. *Apostoli intellexerunt sibi a Christo veram potestatem legiferam, iudiciariam, coactivam datam esse.* Ita gentilibus christianis viventibus inter iudaeos legem dederunt, ut abstinerent ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato (Act 15, 29), quae est lex positiva ecclesiastica (cf. 1 Cor 10, 25 sqq). «Cum pertransirent civitates [Paulus et Timo-

theus], tradebant iis custodire dogmata [praecepta], quae erant decreta ab apostolis et senioribus, qui erant Iersolymis» (Act 16, 4). S. Paulus scribit: «Laudo vos, fratres, quod, ... sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis» (1 Cor 11, 2). Iubet S. Paulus viros orare detecto capite, mulieres vero velato capite, esurientes domi manducare, non vero opulentam cenam cum aliorum scandalo in publico conventu christianorum sumere; «cetera autem, cum venero disponam» (1 Cor 11, 34). Alia praecepta dat in epistulis ad Timotheum et Titum. Haec autem omnia praecipit, non quia ab hominibus hanc potestatem accepit, sed quia pro Christo legatione fungitur (2 Cor 5, 20).

S. Paulus tulit sententiam iudicialem in corinthium incestuosum (1 Cor 5, 3 sqq) et in Hymenaeum et Alexandrum (1 Tim 1, 19 sq). Corinthios interrogat: «Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis?» (1 Cor 4, 21.) «Praedixi et praedico, ut praesens et nunc absens, iis, qui antea peccaverunt, et ceteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam. An experimentum quaeritis eius, qui in me loquitur Christus? ... Ideo haec absens scribo, ut non praesens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem et non in destructionem» (2 Cor 13, 2 sq 10).

Atqui potestatem, quam Paulus accepit a Christo, ceteri quoque apostoli acceperunt. Ergo omnes habuerunt potestatem iudicialem et coactivam. Unde possunt etiam poenas imponere tam spirituales quam temporales, in quantum iuvant ad finem spiritualem.

206. **Prob. pars II.** *Apostoli acceperunt potestatem ordinis.*

1. Christus docet: «Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei» (Io 3, 5). Potestatem autem regenerandi homines ex aqua et Spiritu Sancto dedit apostolis. «Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti» (Mt 28, 19). Rursus dixit: «Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis» (Io 6, 54). Potestatem autem dandi hominibus corpus et sanguinem Christi dedit apostolis in ultima cena (Lc 22, 19 sq). Post resurrectionem suam dixit apostolis: «Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur iis» (Io 20, 22 sq). Ergo apostoli acceperunt a Christo potestatem sanctificandi homines externis quibusdam ritibus.

2. Revera *apostoli per externos ritus homines sanctificaverunt.* Baptismo peccata delent et homines in ecclesiam recipiunt (Act 2, 38 41). Per impositionem manuum dant Spiritum Sanctum (Act 8, 17) et episcopos constituunt (2 Tim 1, 6). Deserviunt altari, benedicentes calici, qui est «communicatio sanguinis Christi», et frangentes panem, qui est «participatio corporis Domini» (1 Cor 10, 16). Ergo apostoli censuerunt se habere potestatem ordinis. Neque enim solis doctrinis et praeceptis dirigebant homines, ut hi seipsos servando praecepta

sanctificarent, sed ritibus utebantur, quibus ex institutione Christi inerat vis conferendi hominibus interna gratiae dona.

Thesis est dogmatice definita, sed haec res et alia, quae de potestate ordinis et de singulis ritibus sacris quaeri possunt, pertinent ad Tractatum de Sacramentis.

207. Obi. I. Christus apostolos vituperavit, quod disputarent, quis eorum esset maior, et dixit iis: «Reges gentium dominantur eorum . . . vos autem non sic» (Lc 22, 25 sq). Ergo non instituit sacrum dominium seu hierarchiam.

Resp. *Dist. antec.:* Christus vituperavit ambitionem apostolorum, de prima sede disputantium, et seipsum proposuit iis exemplum humilitatis, *conc. antec.;* Christus negavit se habere regnum et potestatem et se velle hanc potestatem communicare cum apostolis, *neg. antec.* (cf. Lc 22, 29). *Dist. conseq.:* Non instituit hierarchiam, quae esset obiectum ambitionis, *conc. conseq.;* non instituit hierarchiam, ad quam vocarentur homines secundum electionem Patris, *neg. conseq.* (cf. Mt 20, 23; Mc 10, 40).

208. Obi. II. Ritus externi erant proprii Veteris Testamenti, qui abrogati sunt in Novo Testamento, in quo Deus colitur in spiritu et veritate (Gal 4, 9. Io 4, 23 sq).

Resp. *Dist. assert.:* Veteris Testamenti proprii erant ritus, qui solum significabant futuram salutem, ipsi vero non poterant intrinsecus sanctificare homines, *conc. assert.* (Hebr 10, 1 sqq); Novum Testamentum non habet ritus efficaces sanctificationis internae, quia tales ritus pugnant cum cultu Dei in spiritu et veritate, *neg. assert.* Ne Novum quidem Testamentum fundatum est pro puris spiritibus sed pro hominibus, qui indigent cultu externo cum convenientibus ritibus (cf. supra n. 44, 49). In Novo Testamento Deus colitur in spiritu et veritate, quia gratia interna, quam lex mosaica solum promittebat, per Messiam data est, ut homines sint filii Dei et ut filii Dei vivant et agant.

209. Obi. III. In re religiosa nemo est cogendus sed suae conscientiae committendus, cum cultus coactus sit cultus nullus. Ergo ecclesiae non competit potestas iudicialis et coactiva.

Resp. *Dist. antec.:* Nemo, qui nondum est membrum ecclesiae, potestate ecclesiastica cogi debet, ut fiat membrum ecclesiae, *conc. antec.;* nemo, qui iam est membrum ecclesiae, per potestatem ecclesiasticam cogi potest, *subdist. antec.:* Si agitur de actibus pure internis, *trans. antec.,* quia de hac re postea dicendum erit; si agitur de actibus externis, *neg. antec.* Nam in omni regno bene instituto debet esse potestas coercendi actus malos, qui foras prodeunt, tum per poenas medicinales in bonum peccantis adhibitas, tum per poenas vindicativas ad bonum publicum tuendum. Quae autem sint poenae convenientes, ex multis condicionibus pendet, de quibus iudicare magistratuum est.

Haec valent de ecclesia, ut societas est et ut societas habet potestatem humanam sibi propriam, etsi a Christo datam, seu valent in *foro externo,* ut loquuntur. In hoc enim foro ecclesia agit non ut causa pure instrumen-

talis sed ut causa suo modo principalis. Quare eius leges sunt leges humanae. In *foro* vero *interno,* i. e. in iudicandis et remittendis peccatis hominum et in tractandis aliis pure internis, ecclesia solum agit ut causa instrumentalis, Deus vero est unica causa principalis. Sed de his alibi agendum erit.

Prop. XXVI. **Christus instituendo collegium apostolicum sub Petro primate cum potestate iurisdictionis et ordinis factus est auctor societatis religiosae, hierarchicae, monarchicae, quam vocavit ecclesiam suam.**

210. ***Stat. quaest.*** Haec thesis est corollarium ex praecedentibus et indiget potius explicatione quam probatione. Nostra aetate rationalistae protestantes eosque secuti modernistae negarunt Christum fundasse ullam proprii nominis societatem. Dicunt eum solum docuisse homines colere Deum ut Patrem caelestem et se considerare et gerere ut filios huius Patris, inter se caritatis vinculo coniunctos. Inde proxime ortam esse «idealem» quandam ecclesiam, i. e. coetum fidelium distinctorum a iudaeis incredulis; ex hac autem ideali ecclesia paulatim ortam esse realem ecclesiam, i. e. societatem politice constitutam secundum exemplar societatis civilis. Quomodo primitiva credentium multitudo se evolverit ad ecclesiam, permultis libris exponitur, incipiendo ab *A. Ritschl* (Die Entstehung der altkatholischen Kirche[2], Bonn 1857) usque ad *A. Harnack, A. Sabatier* et aliorum recentiorum opera. In libro «Die neueren Forschungen über die Anfänge des Episkopats von *Stan. v. Dunin-Borkowski*» (Freiburg 1900) circiter centum scriptores de hac re recensentur, et alios addidit *Batiffol* in «L'église naissante» 172 sqq. Longum et inutile est has omnes theorias discutere. Sicut fieri solet, quando a vero receditur, maxima est inter hos scriptores discordia, neque raro idem scriptor id, quod prius ut necessarium postulatum scientiae posuerat, postea ut falsum abicit. Quae theoria nunc plerumque circumferatur, satis patet ex decreto «Lamentabili» prop. 52 sqq et ex encyclica «Pascendi» (*Denz.* n. 2052 sqq 2091 sqq). Secundum modernistarum placita ecclesia orta est ex conscientiis fidelium collective sumptis, quatenus ad commune bonum tuendum et augendum fideles crearunt magistratus, quorum esset consociatos in communem finem dirigere et communem doctrinam et cultum tueri. Hac via circa initium saeculi III exstitisse primitivam ecclesiam catholicam, quae deinceps constantes mutationes subierit et subeat. Aliis, ut *R. Sohm*, videtur haec transformatio fuisse ruina primitivae religionis christianae; alii, ut *Harnack,* censent ex natura rei non potuisse fieri, ut ipsum evangelium servaretur, nisi prima forma societatis christianae periret, et ob eandem rationem necessariam esse continuam transformationem et adaptationem ad exigentias singulorum saeculorum.

Cum hae theoriae pugnent cum variis locis Novi Testamenti, hos locos aut vi quadam in alium sensum interpretantur, aut, si nequeunt,

interpolatos esse declarant. Nos hic non iterum in genuinitatem textuum inquirimus, sed suppositis iis, quae hucusque probavimus, singulas partes thesis explicamus.

211. **Prob. pars I.** *Christus veram societatem instituit.* Nam is instituit societatem, qui multos homines ad communem finem prosequendum sub communi auctoritate stabili modo coniungit. Atqui id Christus praestitit. Ergo.

Prob. min. Christus ab initio vitae suae publicae coepit annuntiare regnum Dei vel regnum caelorum (Mt 4, 17. Mc 1, 15. Lc 4, 43). Postulabat autem, ut homines admitterent suam doctrinam ut a Deo revelatam (supra n. 127 129 sq), et ut praecepta sua observarent (Mt 7, 21 sqq). Eos, qui recipiebant verba eius, vocavit discipulos suos (Lc 14, 26 sq. Io 8, 31) et se magistrum eorum (Mt 23, 8). Ad discipulatum suum omnes invitat: «Venite ad me omnes . . . et discite a me» (Mt 11, 28 sq). Attamen non omnes veniunt, sed quibus datum est a Patre (Io 6, 66). «Multi enim sunt vocati, pauci vero electi» (Mt 22, 14). Hos, quos ipse secundum voluntatem Patris elegit (Io 15, 16; 17, 6), Christus distinguit a mundo (Io 15, 19), i. e. ab incredulis sive gentilibus sive iudaeis (Mt 10, 16 sqq), et vocat eos gregem suum. «Nolite timere, pusillus grex» (Lc 12, 32). «Ego sum pastor bonus . . . et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili [iudaico], et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor» (Io 10, 11 16).

Fideles sub capite suo Christo constituunt regnum Dei, cuius indoles est spiritualis et supernaturalis. Propterea, cum iudaei exspectarent regnum quoddam mundanum, civili et militari potestate gloriosum, Christus monet regnum Dei non venire cum pompa: «ecce enim regnum Dei intra vos est» (Lc 17, 21), in medio vestrum iam adest in me et discipulis meis.

Regnum quidem Dei non uno sensu dicitur in evangeliis. Saepe idem est ac status et societas beatorum (Mt 25, 34; cf. 8, 11); immo hic status perfectus indirecte saltem respicitur, quoties sermo est de regno caelorum. Nihilominus saepe sermo est de regno Dei secundum statum imperfectum huius vitae. Comparatur enim regnum Dei cum familia regis, in qua sunt servi fideles et pigri (Mt 18, 23 sqq); cum operariis in vinea, qui vespere exspectant mercedem laboris (Mt 20, 1 sqq); cum sagena missa in mare, qua colliguntur pisces boni et mali (Mt 13, 47); cum agro, in quo crescunt triticum et zizania (Mt 13, 24 sqq); sed in fine mundi angeli colligent de hoc regno omnia scandala, i. e. «eos, qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis» (Mt 13, 41 sq). Itaque quia haec non possunt de regno beatorum intellegi, dicta sunt de regno Dei quale in hac terra exsistit. Hoc igitur regnum est coetus fidelium tum eorum, qui aliquando erunt in caelo, tum eorum, qui a caelo excludentur. Rex huius regni est

Christus, cui iudaei credentes acclamant: «Benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Israel» (Io 12, 13). Iesus vero a Pilato interrogatus: Rex es tu? respondet: «Rex sum ego» (Io 18, 37). De metaphoris civitatis, domus, templi deque parabolis, quibus Christus naturam regni sui illustravit, cf. *Passaglia*, De ecclesia 1, 3; *I. Schäfer*, Das Reich Gottes, Mainz 1897, 109 sqq.

Ergo quia Christus collegit coetum hominum stabilem (Mt 24, 14) ad doctrinam suam profitendam et praecepta sua sequenda, et quia instituit collegium apostolicum ad docendos et regendos fideles, dubium esse nequit, quin veram societatem instituerit. Attamen ante mortem Christi solummodo praeparabatur institutio huius societatis, sed perfecte constituta non est haec societas nisi post resurrectionem Christi, quia tum demum Christus apostolis potestatem antea promissam contulit. Immo voluit, ut apostoli munus suum publicum non aggrederentur nisi post adventum Spiritus Sancti. Idcirco dies Pentecostes vero quodam sensu vocari potest dies nativitatis ecclesiae, quam nihilominus Christus ipse vere instituit, quia institutio facta est ex eius voluntate et secundum normam et potestatem ab ipso acceptam.

212. **Prob. pars II.** *Societas a Christo instituta est societas religiosa.* Diversae societates inter se distinguuntur *fine,* qui est ideale vinculum omnis societatis. Sunt igitur societates litterariae, politicae, oeconomicae, prout eorum finis est litterarius, politicus, oeconomicus. Atqui finis societatis, quam Christus fundavit, est religiosus. Ergo haec societas est societas religiosa.

Societas autem, quia est unum quoddam corpus morale, etiam *socialem actionem* habeat necesse est. Neque enim eo societas iam exsistit, quod plures eundem finem appetunt, v. g. quod multi volunt fieri divites vel docti vel artifices, sed eo, quod voluntates et actiones suas coniungunt ad communem finem prosequendum. Ergo in societate religiosa, ut vere societas sit, bona religiosa sociali actione prosequenda sunt. Neque tamen requiritur, ut omnia societatis membra eodem modo agant, cum in omni societate quidam sint qui dirigant, quidam qui praecepta exsequantur, et generatim variae operationes requirantur, quae divisim tantum ab aliis et aliis fieri possunt.

Qui vero sit finis societatis christianae sociali modo prosequendus, ex iis, quae diximus, patet. Christus enim misit apostolos, ut doctrinam a se revelatam conservarent et propagarent, ut homines regerent et ad vitam beatam dirigerent, ut ritus praescriptos administrando Deum colerent et homines sanctificarent. Alii autem docendo, alii discendo doctrinam sacram conservant; alii dant praecepta salutaria, alii recipiunt, sua vero officia in suo quisque ordine implere debet; alii administrant ritus sacros, alii suscipiunt. Sic in tota ecclesia est vita quaedam socialis, cuius singula membra participia sunt. Totius ecclesiae est religionem christianam conservare; singulorum fidelium

est in ecclesia religionem christianam exercere eamque exercendo salutem animae consequi.

Christus hunc religiosum finem ecclesiae maxime effert in oratione sacerdotali, qua orat Patrem, ut apostolos et omnes, qui credituri sunt per eos, conservet in vera fide et sanctificet eos et firmet in caritate et tandem ducat illuc, ubi est Christus in gloria, ut sic Deus in omnibus clarificetur (Io c. 13).

Itaque Christus condidit societatem religiosam, i. e. coetum hominum moraliter et constanter unitorum unitate doctrinae, rituum, regiminis, qui sub apostolis eorumque primate Petro prosequuntur finem religiosum. Et quia tum finis tum media ad finem non sunt naturalia sed ordinis supernaturalis, haec societas est etiam *societas supernaturalis* (cf. *Wilmers,* De eccl. 1 sqq 28 sqq 53 sqq).

213. **Prob. pars III.** *Societas a Christo instituta est societas hierarchica.* Hierarchia est sacer principatus. Unde ecclesia est societas hierarchica, si ex institutione Christi in ea sunt alii praepositi, alii subditi. Atqui iam probavimus Christum contulisse collegio apostolico potestatem iurisdictionis et ordinis. Ergo societas christiana est societas hierarchica.

At non solum in evangeliis narratur institutio hierarchiae, sed *in omnibus scriptis Novi Testamenti videmus divisionem fidelium in praepositos et subditos.* S. Paulus comparat communitatem fidelium cum organismo corporis humani, cuius «omnia membra non eundem actum habent» (Rom 12, 4). Ita in ecclesia sunt, qui habent ministerium, qui docent, qui exhortantur, qui praesunt (Rom 12, 7 sq). Fideles vero monentur: «Mementote praepositorum vestrorum. . . . Oboedite praepositis vestris et subiacete iis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri» (Hebr 13, 7 17). Praepositis dicitur: «Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris sed forma facti gregis ex animo» (1 Petr 5, 2 sq).

Apostoli instituebant praepositos in singulis ecclesiis (Act 14, 22) per impositionem manuum cum oratione (1 Tim 4, 14. 2 Tim 1, 6). Qui ita instituti erant, non habebant, sicut apostoli, iurisdictionem in ecclesiam universalem sed in illam tantum ecclesiam particularem, cui praepositi erant (Act 20, 28. 1 Thess 5, 12. Tit 1, 5 sqq. Apc 2, 2 14 sq 20; 3, 2 sq 9).

Horum praepositorum tria nomina sunt; vocantur enim *episcopi, presbyteri, diaconi.* Diaconi, ut nomen indicat, sunt ministri seu adiutores aliorum praepositorum in gerendis negotiis temporalibus, in praedicando verbo divino, in administrandis sacramentis, ut patet ex iis, quae narrantur de Stephano et Philippo diaconis (Act 6, 1 sqq; 8, 5 sqq). Episcopus vi nominis idem est atque inspector. Presbyter vero idem est ac senior vel maior natu; et sic in Vulgata interdum vertitur, saepe

vero retinetur vocabulum presbyteri. In versione Septuaginta episcopi dicuntur ii, qui in gerendo munere publico aliis praepositi sunt (Nm 4, 16; 31, 14. Iud 9, 28. 4 Rg 11, 15 18). Presbyteri vero dicuntur seniores, qui vices populi gerunt (Ex 19, 7 sq; cf. 3, 16 18; 4, 29 sqq), membra collegii electi ad regendum populum (Nm 11, 16 sqq), membra synedrii iudaici (Dn 13, 28 61; graece ante c. 1. 1 Mach 12, 35). Ex usu igitur versionis Septuaginta utrumque nomen significat munus publicum, cui iurisdictio quaedam est annexa.

Si quaeritur, *quae in Novo Testamento sit differentia inter episcopos et presbyteros,* qui sunt praepositi ecclesiastici, certum responsum dari non potest, quia iidem, qui dicuntur episcopi, etiam vocantur presbyteri (Act 20, 17 28. Tit 1, 5 7. 1 Petr 5, 1). Qui usus loquendi etiam postea non statim disparuit. Ita *S. Irenaeus* ait: «Presbyteris obaudire oportet, qui cum episcopatus successione charisma veritatis acceperunt» (Contra haer. 4, 26, 2). Quidam posteriores scriptores censent etiam simplicibus presbyteris datum esse nomen episcoporum. Ita *S. Ioannes Chrysost.* In Phil. 1, 1, quo loco plures salutantur episcopi philippenses.

Hinc apud eruditos catholicos nostrae aetatis ortae sunt variae opiniones. *A. Michiels* contendit temporibus apostolorum eos, qui dicuntur episcopi, non fuisse nisi simplices sacerdotes; sacerdotes vero primi ordinis tunc non habuisse sedes fixas neque appellationem propriam, sed fuisse missionarios ad instar apostolorum (prophetas, evangelistas). Singulis urbibus praepositum fuisse collegium simplicium sacerdotum, apostolos vero et eorum socios missionarios sibi plenam iurisdictionem reservasse. Paulatim vero ecclesiis principalibus praefectum esse unum virum cum plena potestate iurisdictionis et ordinis, et ad hos viros exclusive transiisse nomen episcoporum (L'origine de l'épiscopat, Louvain 1900, 167 sqq 210 sqq). *P. Batiffol* proponit hoc systema: Ab initio nomen presbyteri erat nomen honoris tantum, quod iis tribuebatur, qui primi religionem christianam receperant. Ex his veteranis eligebantur, qui ordinarentur sacerdotes ad regendas ecclesias collegialiter. Apostolis autem paulatim morientibus loco illorum presbyterorum-episcoporum constituti sunt episcopi proprie dicti (Études d'histoire et de théologie positive I[5], Paris 1907, 225 sqq 258 sqq). Plerique exegetae recentes, ut *Felten, Belser, Knabenbauer,* negant simplices presbyteros umquam habuisse nomen episcoporum et dicunt Act 20, 17 sermonem esse de episcopis et presbyteris, Phil 1, 1 vero de episcopis ecclesiarum Macedoniae. Res est incerta. Unde e S. Scriptura possumus quidem probare constitutionem ecclesiae esse hierarchicam; sed qui sint singuli gradus hierarchiae, e traditione discendum est. De qua re postea.

214. **Prob. pars IV.** *Societas a Christo instituta est societas monarchica.* Sicut hierarchia opponitur democratiae seu regimini

totius multitudinis, ita monarchia opponitur aristocratiae seu regimini paucorum inter se aequalium. Vidimus quidem Christum collegio apostolorum dedisse potestatem iurisdictionis ad regendam ecclesiam (Prop. XXIII), sed vidimus etiam Christum in collegio apostolorum Petro primatum iurisdictionis dedisse (Prop. XXIV), ita ut omnia membra ecclesiae uni ut capiti visibili essent subiecta. Atqui haec est constitutio monarchica. Totum aedificium ecclesiasticum uni petrae innititur, totus grex Christi uni supremo pastori commissus est; hic pastor habet claves regni.

Nihilominus *non est societas a Christo instituta monarchia absoluta, sed admixtum habet elementum aristocraticum.* Nam Christus non reliquit arbitrio Petri, utrum vellet sibi adiutores eligere ad gubernandam ecclesiam necne, sed ipse instituit collegium apostolicum eique potestatem iurisdictionis dedit. Ergo ceteri apostoli non erant vicarii Petri, sed propria potestate sub Petro pollebant. Cumque Petrus non posset mutare formam a Christo institutam, non poterat abrogare ceterorum munera et sibi soli omnem iurisdictionem reservare. Unde secundum constitutionem suam ecclesia est monarchia temperata. Si quis vero mavult eam vocare monarchiam simplicem, non est de nomine disputandum, dummodo res ipsa concedatur.

215. **Prob. pars V.** *Christus societatem a se fundatam vocavit ecclesiam suam,* i. e. usus est aliquo nomine aramaico, quod apte hac voce graeca redditur. In Septuaginta vocabulum ecclesiae ponitur plerumque pro hebraea voce *kahal,* et significat populum israeliticum ut coetum Deo dicatum (Dt 23, 2 sq. Neh 13, 1. Mich 2, 5). Eodem modo, quo populus Veteris Testamenti vocabatur «ecclesia Dei», Christus populum fidelem Novi Testamenti vocat «ecclesiam meam». Haec vox erat theocratica ex usu Veteris Testamenti; ex altera parte erat apta ad distinguendos discipulos Christi a coetu religioso iudaeorum, qui ea aetate vocabatur synagoga (hebr. *edah*). Unde intellegitur, cur Christus eam elegerit ad designandam societatem fidelium.

Hoc quidem nomen bis tantum in evangeliis legitur: Mt 16, 18 et 18, 17. Quod autem haec vox non habetur apud Marcum et Lucam, nihil probat; nam neque in evangelio Ioannis est, quamvis certum sit tempore scriptionis huius evangelii eam iam diu fuisse in usu. Ab ipsis apostolis societas christiana hoc nomine ut proprio appellari solet (Act 5, 11; 8, 3; 9, 31; 12, 1; 20, 28. 1 Cor 6, 4; 10, 32; 14, 12; 15, 9. Gal 1, 13. Eph 1, 22; 3, 10 21; 5, 23 sqq. Phil 3, 6. Col 1, 18 24). Eadem vox cum addito vel in numero plurali significat particulares coetus christianorum (Act 25, 41. 1 Cor 4, 17; 14, 33. 1 Thess 1, 1; 2, 14 etc.). Interdum significat publicum fidelium conventum (1 Cor 11, 18), post tempora apostolorum etiam materiale aedificium, quo conveniunt christiani ad peragenda sacra mysteria. Itaque cum vox ecclesiae iam primis temporibus in uni-

versali usu fuerit, signum est a Christo ipso coetum fidelium sic fuisse appellatum.

216. **Coroll.** Ex dictis colligi potest *definitio ecclesiae*. Ecclesia est coetus hominum, qui eiusdem fidei professione et eorundem sacramentorum communione sub apostolicis pastoribus eorumque primate regnum Christi in terris constituunt (cf. *Bellarm.*, De eccl. 3, 1; *Suarez*, De relig. tr. 7, l. 1, c. 2, n. 2). Qua definitione continentur omnia elementa, quae prioribus propositionibus probavimus ex institutione Christi ad constitutionem ecclesiae pertinere.

217. **Obi. I.** Christus omnibus hominibus viam aperuit, ut sine ullis sequestris humanis ad Deum Patrem accedere possint (Hebr 4, 16), et ut omnes sint regale sacerdotium (1 Petr 2, 5 9), et dedit illis internam unctionem, qua doceantur, ut necesse non habeant, ut alius doceat et regat eos (1 Io 2, 27). Ergo tota ista quae fingitur constitutio hierarchica ecclesiae est contraria spiritui Christi.

Resp. *Dist. antec.:* Christus non externum tantum regimen instituit, sed etiam adduxit internum regnum gratiae cum cultu interno et interno regimine Spiritus Sancti, *conc. antec.;* internum regnum gratiae excludit cultum et regimem externum, *neg. antec.* Et *neg. conseq.*

S. Paulus, qui adeo praedicat adoptionem filiorum Dei et internum commercium fidelium cum Deo, nihilominus urget christianos omnes constituere organismum socialem, in quo alii praesint, alii oboediant. S. Petrus, qui laudat regale sacerdotium omnium christianorum, tamen docet in ecclesia pastores esse constitutos ad pascendum gregem Dei (supra n. 213). Et si S. Ioannes voluisset excludere omne externum magisterium, cur scripsit epistulam suam ad docendos et monendos «filiolos» suos? Ex scriptis Novi Testamenti manifestum est ecclesiam statim ab exordio fuisse societatem hierarchicam.

218. **Obi. II.** Ab initio ecclesia regebatur per homines charismaticos, qui a Deo accipiebant revelationes, scientiam, prophetiam, alia dona, quorum diversitate ecclesiae similis erat corpori, in quo singula membra suas functiones habent (1 Cor 12, 7 sqq). Magistratus vero tum demum instituebantur, cum defervescente primo enthusiasmo societati christianae alio modo providendum esset.

Resp. *Dist. assert.:* Primis temporibus frequenter dabantur charismata «in signum», i. e. ad probandam vel confirmandam veritatem doctrinae christianae, sive fidelibus sive infidelibus, ut S. Paulus ait (1 Cor 14, 22), quae charismata postea minus frequenter dabantur, numquam tamen plane in ecclesia cessarunt, *conc. assert.;* primis temporibus non erant magistratus ecclesiastici, qui homines baptismo in ecclesiam reciperent receptosque gubernarent, *neg. assert.* Neque enim defervescente primo enthusiasmo apostoli, episcopi, diaconi instituti sunt sed statim ab initio, ut legimus in Actibus apostolorum. S. Paulus, scribens ad eos, qui charismata habebant, cum auctoritate iis doctrinam proponit et praecepta dat, neque christianos monet, ut oboediant charismaticis, sed ut oboediant praepositis suis (cf. supra n. 205;

213). Erat autem consentaneum ex iis, qui donis scientiae vel prophetiae vel dexteritate gubernandi praediti erant, praepositos ecclesiae eligere; et sic poterant etiam inter praepositos ecclesiae esse prophetae vel generatim charismatici, qui nihilominus non gubernabant vel sacris muneribus fungebantur, quia charismatici erant, sed quia ad haec munera ab apostolis constituti erant.

Prop. XXVII. Christus voluit, ut ecclesia a se fundata usque ad finem mundi permaneret.

219. Haec propositio per se est maximi momenti; nam si Christus voluisset ea, quae instituit, morte apostolorum perire, nihil iam haec res ad nos pertineret, nisi quatenus ageretur de cognoscendo facto historico praeteritorum saeculorum. Nihilominus propositio non indiget novis argumentis; nam ex iis, quae hucusque vidimus, satis patet ecclesiam non fuisse ad breve tempus institutam, sed ut permaneat usque ad finem temporum. Solum igitur ut hoc manifestius fiat, quaedam recolligenda vel addenda sunt.

Potest perennitas ecclesiae dupliciter intellegi, aut ita, ut ecclesia solum dicatur quomodocumque *materialiter* permanere, etsi substantialiter mutetur, dummodo subsequens status e praecedenti statu sine interruptione evolvatur; aut ita, ut ecclesia usque ad finem mundi *formaliter* secundum substantiam eadem perseveret. Pure materialem indefectibilitatem ecclesiae praeter alios statuunt modernistae, quibus in ea nihil stabile est, sed continua mutatione praecedentia moriendo producunt subsequentia; nam, inquiunt, omne vivum variabile (cf. *Denz.* n. 2094 2104). Nos vero dicimus ea, quae a Christo circa ecclesiae constitutionem decreta sunt, indefectibilia esse et per virtutem divinam exempta a mutabilitate substantiali. Non negamus quidem, immo affirmamus ecclesiam vivere; cotidie enim docet, regit, sanctificat homines; etiam accommodat modum docendi et regendi singulis temporibus et condicionibus. Attamen docet conservando, proponendo, explicando, defendendo, applicando eandem doctrinam revelatam; regit secundum formam a Christo praescriptam; sanctificat per ritus a Christo institutos. Neque pro doctrina revelata umquam potest aliam doctrinam substituere, neque regimen a Christo constitutum in aliud transformare, neque ritus a Christo institutos abrogare. Sed potest ipsa proprias leges condere, mutare, abrogare; potest alios et alios accidentales ritus addere vel tollere; potest multis modis intellegentiam doctrinae revelatae excolere et promovere. Itaque substantialiter eadem manet ecclesia, si substantialiter idem manet magisterium, eadem doctrina, si substantialiter iidem manent cultus et ritus sacri, si substantialiter eadem manet forma regiminis.

220. *Arg. 1.* Ex perpetuitate munerum ecclesiasticorum.

Christus voluit, ut substantialiter eadem doctrina, idem cultus, idem regimen ecclesiasticum usque ad finem mundi permaneret.

Ergo voluit, ut ecclesia a se fundata usque ad finem mundi permaneret.

Prob. antec. Christus dixit: «Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi» (Mt 28, 19 sq). Ergo usque ad consummationem saeculi ex voluntate Christi permanebit apostolicum magisterium et sacrum ministerium ad homines docendos, sanctificandos, regendos; ergo etiam usque ad finem mundi permanebunt doctrina Christi, mandata Christi, ritus baptismi. Ideo Christus apostolis promisit Spiritum Sanctum, qui cum iis maneret «in aeternum» et eos firmos in veritate constitueret et ab erroribus defenderet (Io 14, 16 sq). Propterea S. Paulus ait: «Licet nos aut angelus de caelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit» (Gal 1, 8). Christus dixit suum evangelium, non aliud, praedicandum esse omnibus gentibus, antequam veniret consummatio (Mt 24, 14). Christus, instituens sacram eucharistiam, dixit apostolis: «Hoc facite in meam commemorationem» (Lc 22, 19). De qua re scribens S. Paulus ait: «Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat» (1 Cor 11, 26), i. e. usque ad finem mundi. Non ante finem mundi venient angeli et colligent de regno Christi omnia scandala (Mt 13, 41 sqq). His et aliis dictis Christi manifestum est eum voluisse, ut regnum a se fundatum colligeret omnes homines omnium saeculorum. Quare apostoli, qui non erant victuri usque ad finem mundi, instituerunt praelatos ecclesiasticos ad perpetuandum ministerium et regimen apostolicum, et iniunxerunt iis, ut alios post se instituerent (Act 14, 22. 1 Tim 1, 3 18; 4, 14; 5, 7 19 sq. Tit 1, 5; 2, 15).

In specie Christus voluit, ut primatus esset perpetuus in ecclesia; nam primatum ad hunc finem instituit, ut portae inferi adversus ecclesiam, supra firmam petram aedificatam, non praevalerent (Mt 16, 18). Cum aedificium sine fundamento nullam habeat soliditatem, Christus voluit, ut fundamentum, ex quo ecclesia soliditatem habet, permaneret quamdiu ipsa ecclesia permanet; neque enim Christus umquam significavit primum fundamentum removendum et aliud eius loco ponendum esse. Tradidit etiam Petro integrum gregem suum pascendum (Io 21, 15 sqq). Atqui ad hunc gregem pertinent omnes fideles omnium temporum. Ergo hi omnes a successoribus Petri pascendi sunt. Sine primatu perfecta unitas ecclesiae non subsisteret. Itaque primatus Petri fuit quidem praerogativa personalis Petri, quatenus ei praeter ceteros apostolos datus est, non vero quasi cum ipso Petro exstinguendus fuerit. Protestantes suo exemplo ostendunt, quam misere in sectas dilabatur societas supremo unitatis principio orbata. Tam miserum autem statum dissensionis et discordiae Christus certe noluit ecclesiae suae esse proprium (Mt 12, 25. Io 17, 20 sq).

221. *Arg. 2.* Ex vaticiniis de ecclesia.

Vaticiniis tum Veteris tum Novi Testamenti praedicta est perpetuitas regni messianici. Atqui haec vaticinia non possunt non impleri. Ergo ecclesia erit perpetua.

Prob. mai. De rege messianico in Vetere Testamento praedicitur: «Potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur» (Dn 7, 14). «Et erit, in novissimo dierum erit mons domus Domini praeparatus in vertice montium . . . et regnabit Dominus super eos in monte Sion ex hoc nunc et usque in aeternum» (Mich 4, 1 7). «Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles» (Is 55, 3; cf. supra n. 161). Propterea angelus de Christo annuntiat: «Regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis» (Lc 1, 32 sq). Praedixerat Deus: «Adhuc semel, et ego movebo non solum terram sed et caelum» (Agg 2, 7). Quae verba pertinent ad regnum messianicum, et a S. Paulo ita explicantur «Quod autem ‚adhuc semel' dicit, declarat mobilium [Veteris Testamenti] translationem tamquam factorum, ut maneant ea, quae sunt immobilia [regnum Christi]. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam» (Hebr 12, 27 sq). Idem apostolus ait: «Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula» (Hebr 13, 8). Atqui Iesus Christus non est physica tantum persona sed etiam moralis ut caput ecclesiae, quae est corpus eius (1 Cor 12, 12 sqq. Eph 1, 22 sq. Col 1, 18); et de hac morali relatione apostolus ad hebraeos loquitur. Neque enim relinquet Christus corpus suum, sed semper animabit, «donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi» (Eph 4, 13). Ecclesia est dilecta Christi sponsa, quam numquam repudiabit (Eph 5, 22 sqq; cf. Os 2, 19 sq). Ergo ecclesia permanere debet, quamdiu vivunt homines ad salutem ducendi; nam Deus «omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire» (1 Tim 2, 4). Ergo ecclesia in hac terra permanebit usque ad finem mundi, et tunc transibit in statum gloriosum in caelis.

Quare inde a primis saeculis christiani profitebantur: «Credo unam sanctam ecclesiam.» Cum hic sit articulus fidei, omnibus christianis admittendus, manifeste christianis omnibus persuasum est ecclesiam numquam perire, sed esse perpetuam. «Ecclesia tempora sua habet, persecutionis videlicet et pacis. Nam videtur sicut luna deficere, sed non deficit. Obumbrari potest, deficere non potest» (*S. Ambrosius,* In Hexaem. 4, 2, 7). «Non vincetur ecclesia, non eradicabitur, nec cedet quibuslibet tentationibus, donec veniat huius saeculi finis» (*S. Augustinus,* In Ps. 60, n. 6).

222. *Obi. I.* Quae a prophetis praedicta sunt de perfecta felicitate servorum Dei in regno messianico (e. g. Is 65, 17 sqq), de regno mille annorum (Apc 20, 1 sqq), de evangelio aeterno (Apc 14, 6), impleta non

sunt in praesenti statu ecclesiae. Ergo exspectandus est alius status ecclesiae essentialiter diversus.

Resp. *Conc. antec. Dist. conseq.:* Ergo exspectandus est status essentialiter diversus in caelo, *conc. conseq.;* in terra, *neg. conseq.*

Quae a prophetis praedicta sunt de regno Messiae, ex parte tantum referuntur ad terrenam huius regni formam; multa vero perfecte non implebuntur nisi in regno Messiae glorioso. Neque ea, quae a prophetis simul videntur et annuntiantur, necessario etiam simul implenda sunt, sed sufficit, ut successive impleantur. Praeterea quae metaphorice dicuntur, litteraliter intellegenda non sunt. Hoc valet de prophetiis Veteris et Novi Testamenti (e. g. Apc 21, 10 sqq). Quare exspectandum non est tempus, quando leones paleas comedant (Is 11, 7), vel alia materialiter fiant, quae apud prophetas sunt involucra sensus spiritualis. Mille anni apud Ioannem significant longum illud tempus, quo regnum Dei in terra florebit et crescet. Evangelium aeternum significat aeterna Dei consilia de sorte iustorum. Ceterum durante tempore huius vitae postulat Christus ab omnibus discipulis suis, ut cotidie tollant crucem suam et ipsum per multas tribulationes sequantur ad gloriam (Lc 9, 23; 14, 27; cf. Praelect. dogm. IX, 695 sqq).

223. *Obi. II.* Erit aliquando apostasia magna (2 Thess 2, 3. 1 Tim 4, 1), ut non iam fides neque caritas sit in terra (Mt 24, 12 24. Lc 18, 8), sed omnes serviant diabolo (Apc 13, 3 sqq). Ergo ecclesia non perseverabit usque ad finem mundi.

Resp. *Dist. antec.:* Ante finem mundi plurimi deficient ab ecclesia, *conc. antec.;* etiam «electi», *neg. antec.;* nam hi in illis textibus diserte excipiuntur. *Dist. conseq.:* Ergo ecclesia illis temporibus obnoxia erit magnis persecutionibus et externa gloria privabitur, *conc. conseq.;* plane evanescet, ut homines etiam bonae voluntatis eam invenire non iam possint, *neg. conseq.*

Conferri possunt, quae de variis ecclesiae statibus declaravit auctoritas ecclesiastica contra fraticellos (*Denz.* n. 485 490) et contra pistorienses (*Denz.* n. 1501). Ecclesiam «ex voluntate auctoris sui unicam in omnibus terris in perpetuitate temporum esse necesse est. . . . Est igitur ecclesia Christi unica atque perpetua. Quicumque seorsum eant, aberrant a voluntate et praescriptione Christi Domini, relictoque salutis itinere ad interitum digrediuntur» (*Leo XIII.,* Encycl. «Satis cognitum», 29. Iun. 1896; *Denz.* n. 1955).

CAPUT II.

DE PROPRIETATIBUS ECCLESIAE.

Cf. *P. Murray,* De ecclesia Christi I, Dublinii 1860; *C. Passaglia,* De ecclesia Christi, Ratisbonae 1857; *Fr. Suarez,* De fide disp. 9; — Defensio fidei catholicae adversus anglicanae sectae errores l. 1; *A.* et *P. de Walenburch,* De unitate ecclesiae.

Prop. XXVIII. Ecclesia est societas visibilis.

224. ***Stat. quaest.*** Considerata institutione et constitutione ecclesiae considerandae veniunt quaedam proprietates eius, quae sua sponte ex eius institutione et constitutione fluunt. Possunt quidem ea

quoque, quae ad constitutionem ecclesiae pertinent, enuntiari per modum proprietatum, et ecclesia dici esse societas religiosa, hierarchica, monarchica, indefectibilis, a Christo fundata. Solo vario modo loquendi non mutatur ipsa res. Nihilominus quivis intellegit prius esse concipiendam societatem determinato modo constitutam, quam de eius proprietatibus loquamur. Unde recte vocamus proprietates, quae logice posteriores sunt constitutione ecclesiae et sunt qualitates e constitutione societatis ecclesiasticae emanantes, quae possunt distingui quattuor. Nam ecclesia, quia est pro hominibus instituta, talis esse debet, quae ab hominibus inveniri possit, seu debet esse visibilis; quia ad supremum finem mediis convenientibus est instructa, est societas perfecta; quia omnes homines sub uno magisterio et regimine colligit, est unica; quia hominibus non ad libitum offertur, sed omnibus obligatio imponitur se ei adiungendi, est ad salutem necessaria. Has igitur proprietates ecclesiae ex ordine considerabimus, et imprimis eius visibilitatem.

Visibilitas est ea proprietas ecclesiae, qua ut haec societas ab omni alia societate dignosci potest. «Ut haec societas»; nam homines, qui ad ecclesiam pertinent, esse visibiles probandum non est; sed quaeritur, num ab hominibus cognosci possit, quinam pertineant ad societatem ecclesiasticam, seu num haec societas reduplicative sumpta humano modo cognosci possit. Visibile dicitur non solum illud, quod secundum se totum est visibile, sed etiam illud, quod habet quidem in se aliquid invisibile, verumtamen externa sua exsistendi et agendi ratione visibiliter se manifestat. Ita homo, etsi habet animam invisibilem, tamen per corpus et actiones externas se manifestat ut hominem. Similiter ecclesia in se quidem multa interna dona invisibilia habet, sed quaedam eius constitutiva et actiones eam reddunt visibilem ut hanc societatem.

Protestantes modo dixerunt ecclesiam esse societatem hominum fidelium soli Deo notorum ideoque invisibilem, modo dixerunt eam esse societatem visibilem, modo distinxerunt duas ecclesias, alteram visibilem extrinsecus profitentium fidem christianam, alteram invisibilem societatem sanctorum (cf. *I. A. Moehler,* Symbolik § 46 sqq; *Wilmers,* De eccl. 58 sqq).

225. *Arg. 1.* **Ex institutione et constitutione ecclesiae.**

Christus visibiliter in hoc mundo apparuit, visibili modo instituit magisterium, ministerium, regimen apostolicum, apostolis officium docendi, sanctificandi per ritus externos, regendi homines imposuit, hoc munus apostolicum perenne esse voluit. Atqui societas, quae subest magisterio, ministerio, regimini visibili, est societas visibilis; nam videri potest, quinam se subiciant huic visibili auctoritati. Ergo ecclesia ex constitutione a Christo accepta est societas visibilis. *Maior* probata est supra n. 186 sqq. *Minor* est evidens. Quia hoc ita est, Christus ec-

clesiam appellat nominibus, quae significant societatem visibilem, ut ovilis, vineae, familiae, arboris etc. Et monet: «Dic ecclesiae» (Mt 18, 17). Quomodo ecclesiae invisibili aliquid dici potest?

226. *Arg. 2.* Ex vaticiniis.

Prophetae Veteris Testamenti, quamquam saepe efferunt spiritualem indolem regni messianici, tamen non minus efferunt sub variis metaphoris visibilitatem huius regni. Atqui haec vaticinia non possunt esse falsa. Ergo ecclesia est visibilis.

Isaias ait: «Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles; et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini» (Is 2, 2 sq; cf. Mich 4, 1 sq). «In illa die radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur. . . . Et levabit signum in nationes» (Is 11, 10 12). Ergo ecclesia visibilis est omnibus hominibus, ut omnes ad eam venire possint; est sicut civitas supra montem posita, quae non potest abscondi (Mt 5, 14).

Sic haec vaticinia intellexit antiquitas christiana. *S. Basilius:* «Domus Dei in montium cacuminibus sita est ecclesia iuxta apostoli sententiam [1 Tim 3, 15. Eph 2, 20] . . . cuius fundamenta sunt in montibus sanctis; est enim aedificata supra fundamentum apostolorum et prophetarum» (In Is. n. 66). *S. Ioannes Chrysost.*: «Neque sol ita splendidus neque eius lux ita clara est, ut sunt ecclesiae res. Nam domus Dei supra verticem montium» (In Is. c. 2, n. 2). *S. Augustinus:* Ecclesia «nonne manifesta est? Nonne tenuit omnes gentes? . . . Ecce mons implens universam faciem terrae, ecce civitas, de qua dictum est: Non potest civitas abscondi super montem constituta. . . . Erit in novissimis diebus manifestus mons domus Domini» (In 1 Io. tr. 1, n. 13). Eodem modo alii Patres loquuntur; ergo non censuerunt ecclesiam esse invisibilem.

227. *Arg. 3.* Ex ratione congrua.

Homo est ens compositum ex anima et corpore, et est ens sociale. Atqui Deus cum creaturis agit secundum modum naturae earum convenientem. Ergo in re religiosa non diriget hominem modo prorsus invisibili neque eum tractabit ut ens solitarium, sed in societate visibili eum ad salutem perducet. Sicut tota educatio hominis fit in societate et modo sociali, ita semper et ubique videmus homines coeuntes in societates religiosas et religionem socialiter exercentes. Quare ecclesia invisibilis est aliquid plane alienum a natura et consuetudine hominum.

228. *Obi. 1.* Etsi cultores religionis christianae exsistere non possunt sine ulla externa communione, haec externa communio est solummodo «massa

ecclesiastica», veri autem christiani sunt soli iusti. Ergo verum regnum Christi est invisibile, thesaurus absconditus in agro (Mt 13, 44).

Resp. *Dist. mai.:* Veri christiani sunt iusti, qui se subiciunt regimini visibili a Christo instituto, *trans. antec.;* veri christiani et iusti esse possunt, qui nullo modo volunt se subicere regimini a Christo instituto, *neg. antec. Dist. conseq.:* Regnum Christi continet elementa invisibilia, *conc. conseq.;* non est societas visibilis, *neg. conseq.*

Dixi: *trans. antec.,* quia etiam peccatores possunt esse in ecclesia Christi, dummodo sint baptizati, profiteantur veram fidem, servent necessariam unitatem. Nihilominus iusti sunt praecipuo quodam sensu veri christiani, sicut de viro moraliter integro praedicare licet: Hic est verus homo; non quasi alii homines non habeant ea, quae ad essentiam hominis requiruntur, sed quatenus improbi deficiunt a perfecta dignitate hominis (cf. *Palmieri,* De rom. pont. 47 sqq). Thesaurus in agro est invisibilis ignorantibus, visibilis invenientibus. Ceterum in illa parabola non agitur de visibilitate vel invisibilitate sed de magno pretio regni messianici, pro quo omnia danda sunt. Si quae dicta Scripturae efferunt elementa invisibilia ecclesiae (e. g. Hebr 12, 18 22 sq; Eph 5, 27), alibi non minus clare indicantur elementa visibilia. Ergo non alterutra neganda sed omnia harmonice iungenda sunt.

229. *Obi. II.* Ecclesia credenda est. Atqui quae videntur, non creduntur. Ergo ecclesia non videtur.

Resp. *Dist. mai.:* Ecclesia credenda est, quia et quatenus est a Deo revelata, *conc. mai.;* quia et quatenus videtur, *neg. mai. Dist. min.:* Quae videntur non creduntur, quia et quatenus videntur, *conc. min.;* quia et quatenus a Deo revelata sunt, *neg. min.* Et *neg. conseq.*

Sicut Christus a multis visus et tamen creditus est, ita etiam ecclesia certis signis vel notis a nobis cognoscitur, et sic non creditur, sed cognita simul est motivum credibilitatis; in quantum vero a Deo revelata est, non videtur, sed creditur. Haec quaestio de visis et creditis magis exponenda est in Tractatu de Fide.

230. *Obi. III.* Ecclesia consistit ex iis, qui praeter alia requisita habent characterem baptismalem. Atqui character baptismalis videri non potest. Ergo ecclesia est invisibilis.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* Non potest videri character baptismalis in se, *conc. min.;* non potest videri ritus baptismalis, quo character imprimitur, *neg. min. Dist. conseq.:* Ecclesia est invisibilis quoad quaedam, *conc. conseq.;* simpliciter, *neg. conseq.*

Ceterum hic non quaeritur, num certo videri possit hic vel ille homo pertinere ad ecclesiam; sed num ecclesia, ut est societas, videri possit. Si ecclesia videtur, aliunde constat in ea non deesse elementa invisibilia, sine quibus ecclesia Christi esse non potest.

Schol. *I.* De membris ecclesiae.

231. Cum visibilitate ecclesiae cohaeret quaestio de membris ecclesiae; nam in societate visibili necesse est adsit norma, qua distinguantur membra eius ab iis, qui ad eam non pertinent. Sicut in civili societate

generatim constat, qui sint cives, etsi de quibusdam dubium est, ita etiam in ecclesia generatim scitur, qui sint membra eius, etsi quoad aliquos homines res est incerta.

1. *Membra ecclesiae sunt omnes baptizati, qui se non separant ab eiusdem fidei professione neque ab ecclesiastici regiminis unitate.* Baptismo homo recipitur in ecclesiam (Act 2, 41. 1 Cor 12, 13). Qui vero aliam fidem profitetur, non manet in ecclesia; nam «unus Dominus, una fides, unum baptisma» (Eph 4, 5). Similiter extra ecclesiam est, qui se separat ab unitate regiminis; nam ecclesia est «unum corpus et unus spiritus» (Eph 4, 4). Neque tamen quavis transgressione praecepti ecclesiastici recedit quis ab ecclesia sed sola rebellione contra ecclesiae regimen. Infantes omnes rite baptizati membra ecclesiae sunt, quamdiu non, usum rationis adepti, voluntarie se ab ea segregant.

Ut quis se separet ab ecclesia, non absolute requiritur actus peccaminosus, sed etiam aliquis bona fide ab ea separatus esse potest, quia accessus ad societatem visibilem vel recessus ab ea diiudicatur secundum facta externa, non secundum pure interna.

2. *Qui servat externam coniunctionem cum ecclesia, manet membrum eius, etsi intus ab ecclesia defecit.* Ita communissime docent theologi (e. g. *Bellarminus,* De eccl. militante 3, 10; *Palmieri,* De rom. pont. 43 sqq). Quidam negant (ut *Suarez,* De fide disp. 9, sect. 1, n. 23 sqq). Tenenda est communior sententia, quia de ratione visibilis societatis secundum visibilia facta iudicandum est, et reapse iudicatur, quia omnibus fatentibus episcopus occulte tantum haereticus manet episcopus et valide ponit actus iurisdictionis.

3. *Membra ecclesiae non sunt catechumeni,* i. e. ii, qui fidem ecclesiae profitentur et volunt baptismum suscipere, sed nondum susceperunt; ratio est, quia per solam actualem susceptionem baptismi fit ingressus in ecclesiam (cf. *Conc. flor.* decr. pro armen., et *Conc. trid.* sess. 14, de paenit. c. 2; *Denz.* n. 696 895). Ecclesia non habet iurisdictionem in catechumenos; potest tamen ab iis quaedam exigere ut condicionem, sine qua ad baptismum non admittuntur (vide sententias oppositas de hac re apud *Bellarmin.* l. c. c. 3 et *Suarez* l. c. n. 18). Possunt catechumeni esse iustificati per actus fidei et caritatis; nam sicut intra ecclesiam non omnes sunt iusti, ita extra ecclesiam non omnes sunt iniusti; qui inculpabiliter non sunt in ecclesia, possunt cum gratia divina ad iustificationem pervenire. Iusti, qui non sunt membra visibilis corporis ecclesiae, dicuntur pertinere ad *animam ecclesiae,* i. e. ad illud internum principium vitae supernaturalis, quod per se est in ecclesia, per accidens etiam extra ecclesiam.

4. *Non baptizati, infideles, apostatae, notorii haeretici et schismatici et iuste excommunicati non sunt membra ecclesiae.* Haeretici sunt, qui profitentur doctrinam oppositam doctrinae ecclesiae. Si quis omnem fidem denegat, est infidelis. Si quis prius credit, dein vero aut infidelis aut haereticus fit, est apostata. Schismatici sunt qui, etsi forte

in doctrina non errant, separati sunt ab unitate regiminis ecclesiastici, et vel simpliciter oboedire renuunt vel sectas constituunt. Excommunicati sunt, qui sententia auctoritatis ecclesiasticae ex ecclesia eiciuntur. Sola iusta, i. e. non certo iniusta excommunicatio est valida coram Deo. Perfecta excommunicatio tum tantum habetur, cum «vitandi» declarantur, i. e. ii, quibuscum fidelibus non liceat communionem habere, et qui priventur omnibus bonis ecclesiasticis, quorum participatio ab auctoritate ecclesiastica concedi aut auferri potest. Excommunicati tolerati, qui non omni communione fidelium neque omnibus bonis ecclesiasticis privantur, dicendi non sunt eiecti ex ecclesia, sed manent membra ecclesiae, utique gravissimae poenae obnoxia ad eorum contumaciam frangendam. Sunt quidem theologi, qui censent ne maiore quidem excommunicatione homines expelli ex ecclesia. Sed cum in ipsa excommunicationis formula exprimatur segregatio ab ecclesia, haec sententia non est admittenda (cf. *Denz.* n. 763 1546).

5. *Falsa est sententia dicentium solos praedestinatos vel solos iustos esse membra ecclesiae.* Hi errores saepe damnati sunt ab ecclesia contra husitas prop. 1 3 (*Denz.* n. 627 629), contra Quesnel prop. 72 sq (*Denz.* n. 1422 sq), contra pistorienses prop. 15 (*Denz.* n. 1515), quia pugnant cum doctrina Christi praedicentis peccatores in fine mundi e regno suo collectum et in ignem missum iri (Mt 13, 41 sq). Quo sensu iusti perfectiore modo sint membra ecclesiae quam peccatores, iam diximus (supra n. 228). In iustis praeter vinculum fidei et subiectionis est etiam vinculum caritatis. Tota haec quaestio de membris ecclesiae copiose exponitur a *Wilmers,* De eccl. 619 sqq; cf. *Franzelin,* De eccl. thes. 22 sq; *Murray,* De eccl. I 143 sqq.

Schol. 2. De nomine ecclesiae latius vel strictius accepto.

232. Si simpliciter de ecclesia loquimur, intellegimus homines baptizatos in unitate ecclesiae visibilis in hac terra viventes.

Nihilominus interdum nomen ecclesiae latius sumitur, ut complectatur omnes, qui ab initio mundi fidem Christi, saltem implicitam, professi sunt. «Sancti [fideles] ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt ecclesiae constituti» (*S. Gregor. M.* l. 5, ep. 18). Quatenus omnes, qui sub Christo capite sunt, eius regnum constituunt, etiam angeli caelestes ad ecclesiam pertinent (Col 1, 18 20. Hebr 12, 22 sq). Idem valet de animabus in purgatorio. Unde oritur distinctio *ecclesiae militantis* in hac terra, *ecclesiae purgantis* in purgatorio, *ecclesiae triumphantis* in caelo. Hae tres partes uniuntur vinculo gratiae, auxilii, precum sub Christo capite (Eph 1, 20), et sic constituunt *communionem sanctorum.* Sed quia vinculo externae societatis non uniuntur, non constituunt ecclesiam simpliciter vel stricte dictam.

Quamquam etiam in Vetere Testamento vero quodam sensu fuit ecclesia Christi, *synagoga ab ecclesia Christi stricte dicta multipliciter*

distinguitur. Synagoga non erat corpus Christi mysticum, quia Christus homo nondum erat; ecclesia est corpus Christi mysticum (Eph 1, 22 sq; 4, 15). Synagoga erat civilis quoque coetus, ecclesia non est. Synagoga erat typus (realis prophetia) ecclesiae, et ut typus gratiam internam non dabat, sed per caerimonias et sanctificationem legalem promittebat; ecclesia ut antitypus (impletio prophetiae) gratiam dat (Hebr 7, 18 sq; 9, 9 sqq; cf. *Eugen. IV.* decr. pro armen.; *Denz.* n. 695; *Conc. trid.* sess. 6, c. 1; *Denz.* n. 793). Synagoga erat ecclesia nationalis, ecclesia Christi est ecclesia universalis (cf. Praelect. dogm. V, n. 464 sqq).

Soli damnati ad ecclesiam nullo modo pertinent, homines autem viatores omnes aliquam relationem ad ecclesiam habent, quia voluntate Dei ad ecclesiam destinantur (1 Tim 2, 1 4). Qui characterem baptismalem habent, subiecti sunt iurisdictioni ecclesiasticae, etsi hoc invincibiliter ignorant. Excommunicati ideo ab ecclesia segregantur, ut hac poena territi ad meliorem frugem redeant.

Prop. XXIX. Ecclesia est societas perfecta.

233. **Stat. quaest.** *Societas perfecta dicitur, quae est suprema et independens in ordine suo ratione finis et mediorum;* imperfecta dicitur, quae ex natura sua destinata est, ut cum aliis in maiorem societatem coalescat. In ordine naturali societas perfecta est respublica seu societas civilis, cuius finis est integrum bonum communitatis civium, et quae habet media omnia necessaria ad hunc finem assequendum. Familiae vero, municipia, aliae societates inferiores, quae non possunt integrum bonum humanum procurare, sed iungendae sunt in rempublicam ad omnia vitae commoda paranda, sunt societates imperfectae.

Ecclesia est societas ordinis supernaturalis. Unde perfecta est, si finis eius est supremus finis supernaturalis, et si habet media ad hunc finem necessaria. Parochiae vero et dioeceses sunt societates imperfectae, quae sibi solae non sufficiunt.

Independentiae internae societatis perfectae respondet independentia externa, quia societas, quae ratione finis et mediorum sibi sufficit, ab alia societate non dependet in ordine suo.

234. ***Arg. I.*** Ex constitutione ecclesiae.

Ecclesia a Christo instituta est, ut homines per rectum Dei cultum perducat ad aeternam salutem, et ad hunc finem accepit media necessaria. Atqui societas ita constituta societas perfecta est. Ergo.

Maior probata est in praecedentibus; nam vidimus Christum instituisse magisterium, regimen, sacerdotium apostolicum ad omnes homines instruendos de revelatione divina, ad eos regendos, ad eos sanctificandos, ad vitam aeternam perducendos.

Prob. min.; nam ecclesia habet supremum finem spiritualem et amplissimam potestatem ad hunc finem necessariam. In quantum vero indiget rebus temporalibus, lex divina providit, ut membra ecclesiae pro beneficiis spiritualibus, quae recipiunt, sustentent eam rebus temporalibus (Mt 10, 10. Lc 10, 7. 1 Cor 9, 4 sqq. Gal 6, 6. 1 Tim 5, 18). Res igitur temporales iure suo ecclesia a subditis suis postulare potest, sed praefert modum contributionum voluntariarum (cf. Praelect. dogm. IX, n. 371 sqq).

Cum societates naturales nihil possint in ordine supernaturali, manifestum est ecclesiam nulli tali societati subici. Neque Christus eam alii societati subiecit, sed totam potestatem ipse apostolis et eorum successoribus dedit. Unde apostoli non adeunt auctoritatem civilem, ut ab illa potestatem suam recipiant (cf. Gal 1, 1; Eph 4, 11 sqq); immo sua potestate nixi, interventum potestatis civilis non admittunt (Act 4, 19; 5, 29 42), in hac re secuti doctrinam, quam a Christo acceperant (Mt 10, 17 sqq).

235. *Arg. II.* E christianorum persuasione.

Inde a temporibus apostolorum usque ad nostram aetatem christianis persuasum fuit non a principum saecularium beneplacito pendere ecclesiae munus et regimen, sed potius etiam principes fideles in rebus ad salutem aeternam pertinentibus subiectos esse magisterio et regimini ecclesiastico. Atqui non potuit ecclesia in hac re constanter errare. Ergo vere ecclesia est societas perfecta.

Prob. mai. De apostolis iam diximus. Post apostolorum tempora *Clemens Rom.* (1 Cor. 42 44) ait: «Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo, Iesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo et apostoli a Christo; et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis . . . cum certa Spiritus Sancti fiducia agressi sunt, annuntiantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes praedicantes . . . constituerunt episcopos et diaconos. . . . Constituerunt praedictos ac deinceps ordinationem dederunt, ut, cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent.» Temporibus persecutionum christiani constanter renuerunt in rebus religiosis oboedire principibus saecularibus. Post tempora persecutionum *S. Gregorius Naz.* alloquitur principes christianos: «Vos quoque imperio meo et throno lex Christi subicit. Imperium enim nos quoque gerimus, addo, etiam praestantius et perfectius» (Sermo 17, n. 8). *S. Athanasius:* «Si illud episcoporum decretum est, quid illud attinet ad imperatorem?... Quandonam ecclesiae decretum ab imperatore accepit auctoritatem aut pro decreto illud habitum est?... Numquam imperator ecclesiastica curiose perquisivit» (Hist. arian. n. 52). *Hosius Cordub.* ad Constantium imperatorem: «Ne te rebus misceas ecclesiasticis, neque nobis his de rebus praecepta mandes, sed a nobis potius haec ediscas; tibi Deus imperium tradidit, nobis

ecclesiastica concredidit» (apud *S. Athan.*, Hist. arian. n. 44). *S. Ambrosius:* «Tributum Caesaris est, non negatur; ecclesia Dei est. Caesari utique non debet addici, quia ius Caesaris esse non potest Dei templum. . . . Imperator intra ecclesiam, non supra ecclesiam est» (Epist. 21, n. 35). Alia vide apud *Denz.* n. 330 sqq 495 sqq, ex quibus constat temporibus medii aevi eandem fuisse persuasionem.

Nostra aetate *Pius IX* damnavit hanc propositionem 19 syllabi: «Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus, sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quae sint ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat» (*Denz.* n. 1719). *Leo XIII* in encyclica «Immortale Dei», 1 Nov. 1885 ait: Ecclesia «distinguitur ac differt a societate civili, et, quod plurimum interest, societas est genere et iure perfecta, cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat» (cf. infra n. 239).

Itaque patet ecclesiam secundum conscientiam, quam habet suiipsius ut societatis a Christo institutae, esse societatem perfectam et ab omni alia societate plane independentem. Esset autem absurdum censere ecclesiam in hac gravissima re semper adhaesisse et adhaerere pertinaciter errori.

236. **Obi. I.** *S. Optatus Milevitanus* ait: «Non est respublica in ecclesia, sed ecclesia in republica est» (De schism. donat. 3, 3). Atqui his verbis docetur ecclesiam subesse potestati civili. Ergo ecclesia non est societas perfecta.

Resp. *Conc. mai., neg. min.* et *conseq.* S. Optatus illis verbis non docet ecclesiam esse partem imperii romani, multo minus eam huic imperio esse subiectam, sed monet donatistas non esse rebellandum contra imperatorem sed pro eo orandum, cum in imperio romano ecclesia meliore condicione fruatur quam inter barbaras gentes. Hic est contextus sermonis eius: Donatus «meditabatur contra praecepta apostoli Pauli potestatibus et regibus iniuriam facere, pro quibus, si apostolum audiret, cotidie rogare debuerat. . . . Non enim respublica est in ecclesia, sed ecclesia in republica, i. e. in imperio romano . . ., ubi et sacerdotia sancta sunt et pudicitia et virginitas, quae in barbaris gentibus non sunt, et si essent, tuta esse non possent.» Ergo agitur de protectione ecclesiae, non de subiectione.

237. **Obi. II.** Ecclesia non habet territorium proprium, sed ingressa est in territorium a republica iam occupatum. Atqui in alterius territorium ingredi non licet sine permissione possessoris. Ergo ecclesia sub hoc saltem respectu pendet ab arbitrio reipublicae.

Resp. *Dist. mai.:* Ecclesia non habet territorium, in quo dominetur dominatione civili, *conc. mai.;* non habet territorium, in quo dominetur dominatione spirituali, *neg. mai.* Nam Christus ei assignavit totum mundum: «euntes in mundum universum»; neque hoc territorium occupatum est a republica dominatione spirituali sed civili, quam ecclesia non appetit. *Dist.*

min.: In territorium privatum ingredi non licet sine permissione possessoris aut superioris potestatis, *conc. min.;* in territorium, quatenus in eo est respublica civilis, *subdist. min.:* Non licet ibi aliud civile regimen erigere, *conc. min.;* non licet civibus reipublicae amplecti fidem christianam et dominationi spirituali ecclesiae se subicere secundum mandatum Christi, *neg. min.* Nam potestati reipublicae in suo territorio non omnia subiciuntur sed ea tantum, quae intra limites finis eius continentur. Ad haec autem non pertinet ordo religiosus et supernaturalis, a Christo pro omnibus hominibus institutus, quem ordinem respublica sibi arrogare vel impedire sine Dei iniuria non potest.

238. *Obi. III.* Ex coordinatione ecclesiae et reipublicae oriuntur infinitae disputationes et lites. Atqui Deus pacis certe noluit statum rerum, qui est perpetuus discordiarum fons. Ergo Deus censendus est velle, ut ecclesia reipublicae, utpote diutius exsistenti, subiciatur.

Resp. *Dist. mai.:* Oriuntur disputationes et lites, si et principes ecclesiastici et principes saeculares se continent intra limites suae potestatis et amico inter se animo agunt, *neg. mai.;* si ultra limites suos procedunt et inimica mente quaerunt discordias, *conc. mai. Dist. min.:* Deus vult pacem servari perturbando ordinem a se institutum, *neg. min.;* servando ordinem a se institutum, *conc. min.* Et *neg. conseq.* Ceterum in genere tantum fuit respublica ante ecclesiam; nam civitates in specie, quibuscum nunc vivit ecclesia, pleraeque post ipsam ortae sunt. At hinc nihil pendet. Nam Deus, qui est omnium civitatum supremus dominus, positiva revelatione ecclesiae iura determinavit.

239. Schol. De relatione ecclesiae ad rempublicam civilem.

Cum de habitudine ecclesiae ad societatem civilem agatur in iure canonico (cf. *I. Laurentius,* Instit. iur. eccl. n. 931 sqq), pauca hic ex encyclica *Leonis XIII* «Immortale Dei» excerpsisse sufficiat (cf. *Denz.* n. 1866 sqq).

1. *Ecclesia et respublica ex ordinatione Dei sunt duae societates perfectae et independentes;* nam «Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima [societas perfecta]; habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cuiusque natura causaque proxima definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur. . . . Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet . . . id est omne in potestate arbitrioque ecclesiae. Cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta.» Seu, ut in encyclica «Sapientiae christianae» d. 10 Ian. 1890 habetur: «Ecclesia et civitas suam habet utraque potestatem, neutra paret alteri.»

2. *Neque monarchica reipublicae forma neque aristocratica neque democratica neque mixta cum ecclesiae doctrina pugnat.* «Nulla per se reprehenditur ex variis reipublicae formis, ut quae nihil habent,

quod doctrinae catholicae repugnet, eaedemque possunt, si sapienter adhibeantur et iuste, in optimo statu tueri civitatem. Immo neque illud per se reprehenditur participem plus minus esse populum reipublicae, quod ipsum certis in temporibus certisque legibus potest non solum ad utilitatem sed etiam ad officium pertinere civium.»

3. *Non singuli tantum cives sed etiam respublica Deo divinaeque legi subiecta est.* Quare reicienda est doctrina a *Pio IX* iam in Syllabo n. 39 damnata: «Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.» Quare non potest civitas permittere omnimodam quaslibet opiniones propagandi licentiam contra bonos mores et divina praecepta (Syll. n. 79). «Intellegi necesse est ortum publicae potestatis a Deo ipso, non a multitudine, repeti oportere. . . . Officia religionis nullo loco numerare vel uno modo esse in disparibus generibus affectos nefas esse privatis hominibus, nefas civitatibus.» Nihilominus «si divini cultus varia genera eodem iure esse, quo veram religionem, ecclesia iudicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui magni alicuius adipiscendi boni aut prohibendi causa mali moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum. Atque illud quoque magnopere cavere ecclesia solet, ut ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur.»

4. *Ecclesia et respublica non sunt inter se separandae,* quia eosdem habent subditos et sibi mutuum auxilium ad bonum publicum promovendum ferre possunt et debent. De qua re *Gregorius XVI* in encyclica «Mirari vos» d. 15. Aug. 1832 ait: «Neque laetiora et religioni et principatui ominari possemus ex eorum votis, qui ecclesiam a regno separari mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe pertimesci ab impudentissimae libertatis amatoribus concordiam illam, quae semper rei et sacrae et civili fausta exstitit ac salutaris.» *Pius IX* vero damnavit hanc thesim Syll. n. 55: «Ecclesia a statu statusque ab ecclesia seiungendus est.» Solum propter iniquas rerum condiciones et ad cavendum maius malum separatio ecclesiae a republica practice tolerari potest, dummodo sincere servetur, neque praetextus sit statuendi ea, quae ecclesiae perniciosa sunt.

5. *Inter ecclesiam et rempublicam non bellum sed amicitiam intercedere oportet.* Cum ecclesia diserte agnoscat rempublicam esse independentem in negotiis civilibus, bellum seu discordia eo oritur, quod respublica, fisa potestate sua physica, conatur sibi subicere etiam res sacras, aut res mixtas, quae sub diversis respectibus et ad ecclesiam et ad rempublicam pertinent, ita dirigere, ut ecclesia ab earum administratione excludatur aut in ea impediatur. «Ecclesiam in suorum officiorum munere potestati civili velle esse subiectam magna quidem iniuria, magna temeritas est. Hoc facto perturbatur ordo, quia quae naturalia sunt, praeponuntur iis, quae sunt supra naturam, tollitur aut certe minuitur frequentia bonorum, quibus, si nulla re impediretur,

communem vitam ecclesia compleret; praetereaque via ad inimicitias munitur, et certamina, quae quantum utrique reipublicae perniciem afferant, nimis saepe eventus demonstravit.» Intellegi necesse est «neque debere, qui summam imperii teneant, committere, ut sibi servire aut subesse ecclesiam cogant, aut minus esse sinant ad suas res agendas liberam, aut quidquam de ceteris iuribus detrahant, quae in ipsam a Iesu Christo collata sunt. In negotiis autem mixti iuris maxime esse secundum naturam itemque secundum Dei consilia non secessionem alterius potestatis ab altera multoque minus contentionem sed plane concordiam, eamque cum causis proximis congruentem, quae causae utramque societatem genuerunt.» Sunt autem hae causae positivae institutiones Christi quoad ecclesiam, praecepta legis naturalis quoad rempublicam civilem.

Prop. XXX. Ecclesia Christi est unica.

240. *Stat. quaest.* Anglicani et alii protestantes volunt singulas societates ecclesiasticas, quae saltem essentialia elementa religionis christianae retineant, etsi ratione regiminis inter se prorsus separatae sint, constituere simul integram ecclesiam Christi, esse ramos unius arboris *(Branch-Churches)* vel ecclesias-sorores *(Schwesterkirchen).* Contra quos statuimus non posse esse nisi unicam ecclesiam Christi, alios vero coetus sibi immerito hanc appellationem attribuere.

241. *Arg. 1.* **Ex iis, quae Christus instituit.**

Christus instituit unicum regimen apostolicum sub uno primate. Atqui unicitas regiminis, supposita unitate finis, efficit unitatem societatis. Ergo ecclesia Christi est unica.

Maior probata est Prop. XXIII sqq. Christus unum ovile suum esse voluit (Io 10, 16), super unum fundamentum primatus integram ecclesiam suam aedificavit, et uni dedit claves regni caelorum (Mt 16, 18 sq), uni pastori omnes oves suas commisit (Io 21, 17). Numquam Christus loquitur de regnis suis, de ovilibus suis, de ecclesiis suis, sed semper de uno regno, de uno ovili, de una ecclesia. — *Minor* argumenti est de conceptu societatis.

242. *Arg. 2.* **Ex doctrina apostolorum.**

Apostoli, quamquam loquuntur de singulis ecclesiis, sicut et nos loquimur, non tamen agnoscunt nisi unam ecclesiam Christi. «Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.... Vos autem estis corpus Christi et membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores» (1 Cor 12, 12 sq 27 sq). «Unum corpus et unus

spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium» (Eph 4, 4 sqq). Ecclesia est sponsa Christi (Apc 21, 2). Propterea monentur viri: «Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam. . . . Sacramentum hoc [matrimonii] magnum est, ego autem dico in Christo et in ecclesia. Verumtamen et vos singuli unusquisque uxorem suam sicut se ipsum diligat» (Eph 5, 25 32 sq). Numquid Christus habet plures sponsas? Numquid habet plura corpora? et corpora tam inter se diversa, quam sunt diversi illi coetus, ex quibus protestantes volunt constitui ecclesiam Christi? Si omnes isti coetus cum suis oppositis doctrinis consituerent ecclesiam Christi, verum non esset quod ait apostolus: «Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis» (1 Tim 3, 15).

243. *Arg. 3.* **Ex doctrina veteris ecclesiae.**

In *Symbolis* professio fidei fit non in ecclesias sed in ecclesiam, vel in unam sanctam ecclesiam (*Denz.* n. 2 6 9 14 86). *Clemens Alex.* docet «unam esse veram ecclesiam, eam, quae vere est antiqua . . . quae est una, quam conantur haereses in multas discindere» (Strom. 7, 17). *S. Basilius:* «Ne mihi privatas aulas aut ecclesias excogitetis. Una est aula sancta Dei» (In Ps. 28, n. 3). *S. Cyprianus:* «Super unum [Petrum Christus] aedificat ecclesiam. . . . Ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem, ab uno incipientem, sua auctoritate disposuit. . . . Quam unitatem tenere firmiter et vindicare debemus, maxime episcopi, qui in ecclesia praesidemus» (De unit. eccl. 4 sq). *S. Optatus Milev.*: «Christus sponsus est unius ecclesiae» (De schism. donat. 1, 10). *S. Ambrosius:* «Non multae congregationes sunt, sed una est congregatio et una ecclesia» (In Hexaem. 3, 1, 3).

Haec constans fides apostolorum et Patrum ratio est, cur auctoritas ecclesiastica doctrinam de pluralitate ecclesiarum saepius reiecerit. Ita *Pius IX* in Syllabo n. 18: «Protestantismus non aliud est quam diversa verae eiusdem christianae religionis forma, in qua aeque ac in ecclesia catholica Deo placere datum est» (*Denz.* n. 1718). *S. Officium* ad episcopos Angliae d. 16. Sept. 1864: Anglicani docent «tres christianas communiones: romano-catholicam, graeco-schismaticam et anglicanam, quamvis invicem separatas ac divisas, aequo tamen iure catholicum nomen sibi vindicare . . . utpote quae, prout supponitur, ecclesiam catholicam omnes simul iam constituunt.» Haec doctrina «divinam ecclesiae constitutionem susque deque vertit. . . . Ecclesia igitur catholica una est. . . . Nec alia est ecclesia catholica, nisi quae super unum Petrum aedificata, in unum conexum corpus atque compactum unitate fidei et caritatis assurgit» (*Denz.* n. 1685 sq). *Leo XIII* in encyclica «Satis cognitum» d. 29. Iun. 1896: «Ecclesiam Iesus Christus non talem finxit formavitque, quae communitates plures complecteretur genere similes sed distinctas neque iis vinculis alligatas, quae eclesiam indi-

viduam atque unicam efficerent, eo plane modo, quo *Credo unam ecclesiam* in symbolo fidei profitemur. . . . Quaecumque praeter hanc cogitetur alia, cum non sit per Iesum Christum condita, ecclesia Christi vera esse non potest» (*Denz.* n. 1955).

244. **Obi. I.** Potest in aliqua societate unitas essentialis servari, etsi inter membra eius dissensiones oriuntur et ad tempus externa communio interrumpitur. Atqui ita res se habet inter varias communitates christianas. Ergo hae omnes societates constituunt unam ecclesiam Christi.

Resp. *Dist. mai.:* Servatur unitas societatis, quamdiu omnes agnoscunt unam supremam auctoritatem socialem et parati sunt se subicere decretis eius, *conc. mai.;* si non iam ullam auctoritatem agnoscunt et pertinaciter oboedientiam detractant, *neg. mai. Dist. min.:* Illae communitates manent intra ecclesiam, quae non obstantibus aliis differentiis agnoscunt unam supremam auctoritatem ecclesiasticam a Christo institutam, et paratae sunt oboedire eius definitivis decretis, *conc. min.;* quae theoretice vel practice se separant ab hac auctoritate, *neg. min.* Et *neg. conseq.*

245. **Obi. II.** In vetere ecclesia saepe erant dissensiones, ut de die Paschatis, de rebaptizandis haereticis, de aliis rebus. Atqui tunc communitates aliter sentientes non dicebantur recessisse ab unitate ecclesiae. Ergo ne nunc quidem communitates dissentientes dicendae sunt recessisse ab ecclesia.

Resp. *Dist. mai.:* In vetere ecclesia interdum quidam episcopi, quoad nonnulla dissentientes a communi doctrina vel praxi ecclesiae, agnoscebant necessariam unitatem supremi regiminis ecclesiastici, et solum censebant quaestiones, de quibus agebatur, nondum esse sufficienter elucidatas et definitas, *conc. mai.;* negabant ipsam unitatem regiminis, *subdist. mai.:* Si erant haeretici vel schismatici, *conc. mai.;* si non erant, *neg. mai. Dist. min.:* Non dicebantur recessisse ab ecclesia, qui necessitatem unitatis agnoscebant, *conc. min.;* qui eam negabant, *neg. min.* Et sub eadem distinctione, *neg. conseq.*

In vetere ecclesia exsurgebant haeretici et schismatici, et erant interdum etiam catholici non recte sentientes. Hi tamen circa *quaestionem iuris* non dubitabant, sed errabant circa *quaestionem facti;* haeretici vero vel schismatici circa quaestionem iuris falsa statuebant, sicut haeretici et schismatici nostrae aetatis.

246. **Obi. III.** In variis communitatibus christianis sunt homines, qui cum gratia Dei praecepta Christi servant et progressus spirituales faciunt. Atqui si essent extra ecclesiam Christi, Spiritus Sanctus eos non iuvaret gratia sua. Ergo sunt intra ecclesiam Christi.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.,* prout agitur de iis, qui aut mala aut bona fide sunt extra ecclesiam: Spiritus Sanctus eos, qui mala fide sunt extra ecclesiam Christi, gratia sua non iuvat nisi ea tantum intentione, ut deponant malam voluntatem, *conc. min.;* eos, qui sunt bona fide extra ecclesiam Christi, Spiritus Sanctus non iuvat gratia sua, ut non obstante inculpabili suo errore, progressus spirituales faciant, *neg. min.* Et *dist. conseq.:* Homines illi bonae fidei sunt intra ecclesiam intrinsecus, quantum ad statum gratiae, *conc. conseq.;* extrinsecus quod attinet coniunctionem cum visibili ecclesia, *neg. conseq.* De qua re in sequenti thesi. Cur Deus non omnes homines

bonae fidei ducat ad ecclesiam, pertinet ad inscrutabilia Dei iudicia, de quibus summum possumus facere aliquas probabiles coniecturas, e. g. quod Deus vult in illis communitatibus fortasse aliquod bonum fermentum conservare, ne tanta errantium massa prorsus corrumpatur.

Prop. XXXI. **Ecclesia Christi omnibus hominibus ad salutem consequendam necessaria est.**

247. ***Stat. quaest.*** Necessarium ad salutem est id, sine quo salus aeterna obtineri nequit. Haec autem *necessitas oritur aut ex natura rei aut ex positiva Dei institutione.* Ita ad Deum immediate videndum ex natura rei aliquod speciale auxilium Dei est necessarium. Ecclesia autem Christi non ex natura rei est necessaria ad salutem sed ex positiva institutione (cf. *Denz.* n. 1954), quia per se Deus alia quoque via homines ad salutem ducere potuit. *Potest iterum aliquid positive institui aut per modum praecepti observandi aut per modum medii adhibendi.* Ita in Vetere Testamento Deus praeceptum dederat, ut omnes viri ter in anno venirent ad templum (Dt 16, 16). Qui non poterat venire, excusabatur; nam observatio praecepti eatenus necessaria est, quatenus transgressio eius graviter culpabilis inducit statum peccati mortalis et sic impedit salutem. Necessitas autem medii in eo est, quod res aliqua ad finem obtinendum requiritur; unde etiamsi inculpabiliter omittitur, finis obtineri nequit. Tali modo infantibus (exceptis martyribus) baptismus est necessarius ad salutem; ergo infantes, quamquam transgressionis praecepti sunt incapaces, tamen, nisi baptizantur, ad visionem beatificam venire non possunt. Sic igitur distinguenda est *necessitas praecepti* et *necessitas medii.*

Necessitas medii duplex est: necessitas absoluta et necessitas hypothetica. *Necessitas absoluta* est, si res aliqua ita ad finem requiritur, ut numquam per aliud medium suppleri possit. Ita status gratiae tempore mortis est medium absolute necessarium ad consequendam salutem. *Necessitas hypothetica* est, si sub certis condicionibus medium per se necessarium ad salutem per aliud medium suppleri potest. Hac ratione sacramentum baptismi ita est medium necessarium ad salutem, ut, si eius susceptio impossibilis est, salus obtineri possit per actum caritatis cum desiderio sacramenti.

Iamvero ecclesia ita est a Christo instituta, ut sit medium ad salutem necessarium et ideo omnibus lege divina praeceptum. Nihilominus si quis in physica vel morali impotentia est ingrediendi ecclesiam, potest cum auxilio gratiae divinae per fidem vivam salutem consequi.

248. ***Arg. I.*** Ex Sacra Scriptura.

Ex voluntate Christi homines salutem consequi non possunt, nisi crediderint, baptizati fuerint, ecclesiam audierint (Mt 18, 17. Mc 16, 16.

Io 3, 5. Act 2, 38. Rom 10, 9 sqq. Hebr 11, 6). Atqui per fidem, baptismum, oboedientiam homo fit membrum eccleciae. Ergo ecclesia omnibus hominibus necessaria est ad salutem.

Haec necessitas est necessitas praecepti, ut patet. Sed est etiam necessitas medii. Nam media, quae Christus instituit ad salutem consequendam, non quibuslibet hominibus dedit sed apostolis et eorum successoribus (supra Prop. XXV sqq), ut sola ecclesia vi muneris a Christo accepti infallibiliter doceat veram doctrinam salutis, rite administret media sanctificationis, recte dirigat hominem ad finem beatitudinis. Ergo quia nulli extra ecclesiam commissum est hoc munus, ecclesia ad salutem necessaria est necessitate medii. Idcirco qui baptismum non recipit, aut qui aliena doctrina vel inoboedientia pertinaci se separat ab ecclesia, salvus fieri nequit. «Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui eiusmodi est, et delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus» (Tit 3, 10 sqq).

249. *Arg. II.* **Ex constanti doctrina ecclesiae.**

S. Ignatius M.: «Ne erretis, fratres mei, si quis schisma facientem sectatur, regni divini hereditatem non consequitur» (Philad. 3, 3). *S. Irenaeus:* «Qui sunt extra ecclesiam, sunt extra veritatem.... Qui schismata operantur, sunt inanes, non habentes Dei dilectionem» (Contra haer. 4, 33, 7). *S. Cyprianus:* «Habere non potest Deum patrem, qui ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere, quisquis extra arcam Noe fuit, et qui extra ecclesiam foris fuerit, evadit» (De unit. eccl. 6). *S. Augustinus:* «Quid prodest, si Deum confiteris. . . . Filium eius agnoscis . . . et blasphemas ecclesiam eius? . . . Tenete ergo, carissimi, tenete omnes unanimiter Deum Patrem et matrem ecclesiam» (In Ps. 88 sermo 2, n. 14). Similiter multi alii Patres. Eadem doctrina viget saeculis sequentibus. Saeculo VI *Pelagius II:* «Considerate, quia, quicumque in pace et unitate ecclesiae non fuerit, Dominum habere non poterit» (*Denz.* n. 246). Saeculo XIII *Bonifacius VIII*: «Extra quam [ecclesiam] nec salus est nec remissio peccatorum. . . . Una nempe fuit diluvii tempore arca Noe, unam ecclesiam praefigurans» (*Denz.* n. 468). Nostra aetate *Pius IX:* «Tenendum quippe ex fide est extra apostolicam romanam ecclesiam salvum fieri neminem posse, hanc esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus diluvio periturum» (*Denz.* n. 1647). *Leo XIII:* supra n. 223. His omnibus non solius praecepti necessitas sed etiam necessitas medii docetur, ut e. g. patet ex illa, quae saepissime a doctoribus ecclesiasticis adhibetur, comparatione cum arca Noe.

250. *Obi. I.* Qui docet non esse salutem extra ecclesiam, omnes, qui extra ecclesiam moriuntur, addicit aeternae damnationi. Atqui hominis non est iudicare de aeterna sorte mortuorum. Ergo illa doctrina statuenda non est.

Resp. *Dist. mai.:* Qui docet extra ecclesiam non esse salutem, docet damnari eos, qui sine sua culpa non pertinent ad visibilem ecclesiam, *neg. mai.;* qui sua culpa sunt extra ecclesiam, *subdist. mai.;* hos ipse addicit aeternae damnationi, *neg. mai.;* proponit doctrinam Christi docentis eos damnari, *conc. mai.* Non tamen ideo homo de singulis iudicat, utrum habeant bonam an malam fidem, sed hoc iudicium relinquit Deo. *Dist. min.:* Hominis non est iudicare de sorte aeterna singulorum hominum, in quantum agitur de singulorum fide bona aut mala, *conc. min.;* in quantum solummodo agitur de universali doctrina a Christo revelata, *neg. min.* Et *neg. conseq.*

Sensus doctrinae propositae hic est: Christus instituit ecclesiam ut medium ordinarium salutis, et ideo omnibus hominibus praecepit, ut ecclesiam ingrederentur. Ii, qui nondum sunt in ecclesia sed eam ut veram ecclesiam cognoverunt, debent habere voluntatem explicitam se adiungendi ecclesiae. Quae voluntas solet vocari *votum* (i. e. desiderium), quare tales homines dicuntur pertinere ad ecclesiam in voto. Qui vero invincibiliter ignorat ecclesiam, debet saltem habere voluntatem adhibendi media salutis a Deo praescripta. Cum inter haec media sit etiam ecclesia, talis homo habet *votum implicitum ecclesiae,* per quod salvari potest, in quantum hoc votum informatur caritate perfecta erga Deum. Quicumque hac via iustificantur sine actuali susceptione baptismi et coniunctione cum ecclesia visibili, dicuntur pertinere ad *animam ecclesiae,* etsi sunt extra *corpus ecclesiae.* Anima ecclesiae est gratia sanctificans. Ergo actu esse vel fieri membrum ecclesiae cuivis homini adulto est necessarium necessitate praecepti, voto saltem implicito esse membrum ecclesiae est necessarium necessitate medii absoluta, a qua necessitate nulla ignorantia excusat, quia quivis adultus debet habere voluntatem sequendi omnia praecepta et adhibendi omnia media a Deo ut ad salutem necessaria revelata.

Haec est expressa ecclesiae doctrina, quam *Pius IX* his verbis proponit: «Reprehendere oportet gravissimum errorem, in quo nonnulli catholici misere versantur, qui homines in erroribus viventes et a vera fide atque a catholica unitate alienos ad aeternam vitam pervenire posse opinantur. Quod quidem catholicae doctrinae vel maxime adversatur. Notum nobis vobisque est eos, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem eiusque praecepta, in omnium cordibus a Deo insculpta, sedulo servantes ac Deo oboedire parati honestam rectamque vitam agunt, posse, divinae lucis et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus, qui omnium mentes, animos, cogitationes habitusque plane intuetur, scrutatur et noscit, pro summa sua bonitate et clementia minime patiatur quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat» (*Denz.* n. 1677). Alia vide in Praelect. dogm. I, n. 395.

251. *Obi. II.* Si illud principium: «Extra ecclesiam nulla salus», esset verum, excluderetur tolerantia aliter sentientium. Atqui sic oriretur bellum omnium contra omnes. Ergo illud principium admitti nequit.

Resp. *Dist. mai.:* Excluderetur *tolerantia dogmatica* erroris, *conc. mai.;* excluderetur *tolerantia civilis et privata* errantium, *neg. mai. Dist. min.:* Ex intolerantia dogmatica erroris oritur bellum, *neg. min.,* nisi bellum dicatur defensio intellectualis veritatis contra aggredientes, quod bellum non nocet; ex

intolerantia civili et privata posset oriri bellum omnium contra omnes, *conc. min.* Et *neg. conseq.*

Tolerantia dogmatica est idem atque indifferentismus erga verum et falsum, quem ecclesia saepe damnavit (*Denz.* n. 1613 sq 1646 sq 1715 sqq). Tolerantia civilis est permissio ab auctoritate civili concessa exercendi varios cultus. De qua re *Leo XIII* ait: «Si divini cultus varia genera eodem iure esse, quo veram religionem, ecclesia iudicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui magni alicuius adipiscendi boni aut prohibendi causa mali moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum» (*Denz.* n. 1874). Tolerantia privata proprie non est mera tolerantia sed potius exercitium caritatis omnibus, etiam errantibus, exhibendae, ut ait *Pius IX:* «Absit, ut catholicae ecclesiae filii ullo umquam modo inimici sint iis, qui iisdem fidei caritatisque vinculis nobiscum minime sunt coniuncti. Quinimmo illos, sive pauperes sive aegrotantes sive aliis quibusque aerumnis afflictos, omnibus christianae caritatis officiis prosequi et adiuvare semper studeant, et imprimis ab errorum tenebris, in quibus misere iacent, eripere atque ad catholicam veritatem et ad amantissimam matrem ecclesiam reducere contendant» (*Denz.* n. 1678).

252. **Obi. III.** Historia testis est ex illo principio: «Extra ecclesiam nulla salus», processisse cruentas persecutiones haereticorum. Ergo ecclesia solum ideo, quia ipsi deest potestas aliter agendi, et quia timet, ne vis vi repellatur, invite admittit tolerantiam.

Resp. *Dist. antec.:* Olim interdum haeretici durius tractabantur quam nunc propter diversas temporum morumque condiciones, *conc. antec.;* ipsa principia doctrinalia, quae ecclesia nunc proponit de hac re, tunc non admittebantur, *neg. antec.* Et *dist. conseq.:* Ergo ecclesia non sincere proponit principia tolerantiae, *neg. conseq.;* si condiciones rerum essent aliae, etiam alia esset applicatio principiorum, *conc. conseq.*

Non una omnibus temporibus erat ratio agendi cum haereticis. Per multa saecula haeretici sine aliis poenis simpliciter excludebantur ab ecclesia. Quando intima ecclesiae cum republica civili coniunctio facta est, non raro aut ecclesia contra haereticorum violentias in auxilium vocavit brachium saeculare, aut principes saeculares haereticos consideraverunt et tractaverunt ut perturbatores boni publici. Saevitia autem poenarum non proveniebat ex ullo principio ecclesiastico sed ex illius aetatis moribus, quibus crimina gravibus et crudelibus poenis vindicare consonum erat. Primas leges civiles contra haereticos dedit *Constantinus M.*, postea *Theodosius M.* et alii (cf. *Kirch*, Enchir. 760 sqq). *S. Augustinus*, ut ipse narrat in epistula 93, n. 17 et De haer. 69, prius censuerat non esse vim adhibendam contra haereticos, sed postea sententiam mutavit, maxime commotus criminibus haereticorum, qui «circumcelliones» vocabantur (*Kirch* n. 669 704). Sed hanc invocationem brachii saecularis non esse sine periculo tum apparebat, cum ariani, imperatorum auxilio freti, catholicos persequi coeperant. Nihilominus temporibus medii aevi potestas civilis haereticos habere solebat pro inimicis reipublicae, et ut tales puniebat. Revera albigenses et alii sectarii non minus societati civili quam ecclesiasticae periculosi erant. Attamen non omnia et singula, quae umquam contra haereticos facta sunt, approbari vel defendi debent. Ceterum haeretici, quando potestas

civilis iis favebat, multo atrociora in catholicos vel alios haereticos perpetrarunt, quam catholici in haereticos. Exemplo sint dirae persecutiones factae in Anglia, Hollandia, Germania tempore reformationis, quae dicitur. Immo inter eos, qui nunc maxime contra intolerantiam ecclesiae declamant, multi sunt, qui a nulla atrocitate abhorrerent, si hac via possent ecclesiam in perniciem agere. Considera, quae fiunt in Gallia, Lusitania, aliis regionibus.

253. *Schol.* **De ecclesia corpore Christi mystico.**

Omnis societas est corpus quoddam morale, quia constat ex multis membris, quae sub communi auctoritate quasi capite in unum finem conspirant. Hoc sensu etiam ecclesia est corpus, cuius caput est Christus homo, a quo omnis auctoritas ecclesiastica orta est. Attamen Christus modo multo excellentiore est caput ecclesiae, quam in aliis societatibus sunt ii, qui supremam in iis auctoritatem habent. Nam hi extrinsecus tantum negotia societatum gerunt, *Christus autem est internum principium totius vitalitatis ecclesiae.* Quod ipse indicavit illis verbis: «Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere» (Io 15, 5).

Hanc vitalem Christi cum ecclesia coniunctionem S. Paulus proponit sub imagine corporis humani, cuius caput est Christus. «Sicut enim in uno corpore multa membra habemus . . . ita multi unum corpus sumus in Christo» (Rom 12, 4 sq). «Vos estis corpus Christi» (1 Cor 12, 27). Deus Christum «dedit caput supra omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur» (Eph 1, 22 sq), i. e., Christus, ut habeat completum corpus (morale), requirit multa membra, quae sunt fideles secundum varia ministeria, quae exercent in hoc organismo morali.

Ab humanitate Christi ut instrumento coniuncto divinitatis descendit omnis potestas iurisdictionis et ordinis. «Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi» (Eph 4, 11 sq). *Christus homo operatur in sacramentis,* ut in baptismo «mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata» (Eph 5, 26 sq). Ipse in sacrificio missae cotidie se offert pro ecclesia, in eucharistia manet perpetuo sacramentaliter cum ea, constanter vigilat super eam. «Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi» (Mt 28, 20). Simul vero in caelo est ad dexteram Patris, «semper vivens ad interpellandum pro nobis» (Hebr 7, 25). Itaque tam per externam gubernationem quam per internum influxum donorum supernaturalium Christus est fons omnis vitae spiritualis in ecclesia. «Et de plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia» (Io 1, 16), i. e. gratias sine

intermissione inter se succedentes. Gratia omnis, in quantum est in Christo ut in fonte, e quo descendit in ecclesiam, dicitur *gratia capitis;* ecclesia vero ut organismus cum Christo iuncta et influxu gratiarum vivificata, dicitur corpus Christi mysticum; et mysticum quidem, quia haec relatio ad Christum est aliquid spirituale et supernaturale, non oculis visibile sed sola fide perceptibile (cf. *Franzelin,* De eccl. 296 sqq; *Wilmers,* De eccl. 80 sqq).

CAPUT III.

DE NOTIS ECCLESIAE.

Cf. *Bellarminus,* De ecclesia militante l. 4; *Suarez,* De fide disp. 9, sect. 4 sqq; *Wilmers,* De ecclesia 492 sqq; *Manzoni,* De ecclesia n. 209 sqq; *I. Doellinger,* Kirche und Kirchen (gallice: L'église et les églises, Paris 1862); *Th. Specht,* Lehrbuch der Apologetik 291 sqq.

Prop. XXXII. Quattuor sunt notae verae ecclesiae Christi: apostolicitas, unitas, catholicitas, sanctitas.

254. ***Stat. quaest.*** Cum ecclesia Christi sit societas visibilis (supra n. 224 sqq), necessario etiam habet quasdam *visibiles proprietates,* quibus ab aliis coetibus distinguitur. Quae proprietates vocantur notae. Nam *nota est proprietas inhaerens et essentialis, qua hoc subiectum ab omnibus aliis subiectis dignoscitur.* Nota est proprietas *inhaerens;* signum enim mere externum, quo subiectum aliquod ab aliis distinguitur, non est eius nota, quemadmodum non est nota hominis, quod in hac vel illa domo habitat, etsi hoc sufficere potest, ut inveniatur; nota vero alicuius hominis est oris et vultus ingenium. Est praeterea nota proprietas *essentialis,* quia per proprietatem accidentalem, quae adesse vel abesse potest, non certo neque semper hoc subiectum ab omni alio distinguitur. Est igitur nota ecclesiae proprietas soli verae ecclesiae Christi inhaerens eamque ut ecclesiam Christi visibiliter manifestans.

Non quaeritur, qua via singuli homines ad ecclesiam perveniant, quia potest aliquis signo vel motivo prorsus accidentali ad ecclesiam adduci, ut miraculo, quod Deus in eius favorem patrat. Quaestio potius sola est, quidnam in ecclesia obiective rationem notae habeat. Auctor notarum est ipse auctor ecclesiae, qui eam quibusdam characteribus insignivit, quibus omnibus manifesta esset.

Nota, cum sit de genere signorum, magis manifesta sit necesse est quam id, quod hac nota demonstratur. Nam interroganti, quomodo inveniatur id, quod quaeritur, non potest nisi absurde responderi indicando aliquid, quod non magis, immo minus notum est. Ideo admitti nequit doctrina multorum protestantium notas ecclesiae esse puri verbi Dei praedicationem et rectam sacramentorum administrationem. Nam per veram ecclesiam cognoscimus veram doctrinam et rectum usum sacramentorum, non vice versa. Omnes sectae sibi at-

tribuunt veram doctrinam et vera sacramenta, quod ideo facile est, quia haec veritas in se est res abscondita, ad quam inveniendam alia magis nota servire oportet.

Bellarminus (De eccl. 4, 3 sqq) enumerat quindecim notas, addit autem: «Quas, si quis velit, poterit aliquo modo revocare ad illas quattuor», quas scilicet theologi communiter statuunt, sequentes articulum Symboli, quo profitemur «unam, sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam». Ceterum sicut ecclesia ipsa, ita notae eius sunt quidem aliquid visibile, sed possunt in se continere aliquid invisibile, sicut sanctitas est in se invisibilis, sed manifestatur per opera visibilia.

255. *Arg. I.* **Ex institutione et constitutione ecclesiae.**

Ratione originis ecclesia essentialiter est apostolica, ratione constitutionis ecclesia est una, ratione efficientiae extensivae et externae ecclesia est catholica, ratione efficientiae intensivae et internae ecclesia est sancta. Atqui hae quattuor proprietates essentiales sunt visibiles et soli verae ecclesiae propriae. Ergo sunt notae verae ecclesiae Christi.

Ad mai. a) Probavimus supra (n. 186 sqq 204 sqq) Christum dedisse apostolis supremam et universalem docendi, regendi, sanctificandi potestatem, et voluisse, ut haec potestas in legitimis successoribus apostolorum usque ad finem mundi permaneret (n. 219 sqq). Ergo ecclesia ratione institutionis est essentialiter *apostolica*. Quantumcumque enim ratione temporis distant ab apostolis ii, qui nunc ecclesiam regunt, tamen per legitimam missionem munus eorum ad ipsos apostolos ascendit, et ab iis derivatum est.

b) Porro ex apostolicitate immediate fluit ecclesiae *unitas*, qua ecclesia est ab omni alia societate distincta et in se indivisa. Nam qui subsunt uni eidemque auctoritati apostolicae, eo ipso constituunt unam societatem. Suprema auctoritas ecclesiastica immediate efficit unitatem socialem, ex qua fluunt unitas fidei et unitas cultus. Ad unitatem fidei non requiritur, ut omnes explicite cognoscant et credant omnes et singulos articulos fidei, sed ut agnoscant unum supremum magisterium et parati sint se eius decisionibus subicere. Neque ad unitatem cultus requiritur, ut omnibus omni tempore et in omni loco eaedem leges praescribantur, sed requiritur, ut omnes servent ea, quae Christus omnibus servanda praecepit, et ut subiciantur omnes eidem supremo regimini. Repugnat vero huic unitati tolerantia obstinatae inoboedientiae sive in rebus fidei sive in rebus morum et disciplinae.

c) Apostoli missi sunt ad omnes homines omnium temporum (Mt 28, 19. Mc 16, 15. Act 1, 8). Ergo ecclesia Christi non est ecclesia particularis huius vel illius populi sed ecclesia universalis seu *catholica*. Haec autem divina missio fructu non carebit (Io 15, 16), sed multi ex omnibus populis regno Dei aggregabuntur (Mt 8, 11. Mc 13, 27). Ergo ecclesia non destinatione tantum sed etiam actu erit catholica, non statim quidem ab initio sed paulatim, neque umquam tam per-

fecte, ut omnes omnino homines ad eam pertineant, cum Christus persecutiones ecclesiae usque ad finem mundi futuras praedixerit. Ergo tanta erit singulis temporibus catholicitas ecclesiae, quanta ex libera cooperatione hominum cum gratia divina esse potest. *Catholicitas absoluta* est ea qualitas ecclesiae, qua ubique terrarum visibiliter exsistit; *catholicitas relativa* est tanta multitudo membrorum ecclesiae, ut ecclesia hac ratione omnem coetum christianum, sive haereticum, sive schismaticum superet. Haec relativa catholicitas videtur inde recte deduci posse, quod gratia Dei soli ecclesiae assistat eiusque labores fructuosos reddat ultra id, quod vires humanae per se possunt. Patet in nota catholicitatis includi notam unitatis; nam si alius coetus esset hic, alius ibi, nullus ex iis esset universalis.

d) Christus ecclesiam instituit ut *sanctam,* i. e. ad homines sanctificandos (Io c. 17. Eph 5, 26 sqq. Tit 2, 14), et ad hunc finem dedit ei media sanctificationis interna et externa (supra n. 204 sqq), sanctam doctrinam, sancta praecepta, sanctum regimen, sancta sacramenta. Atqui «omnis arbor bona fructus bonos facit» (Mt 7, 17), praesertim si vegetatur virtute supernaturali et divina. Ergo semper erunt in ecclesia sancti homines, immo non quomodocumque tantum sancti sed etiam eximie sancti. Neque enim Christus frustra oravit, «ut sint ipsi sanctificati in veritate» (Io 17, 19). Neque umquam deerunt, qui sequuntur consilia evangelica (Mt 19, 12 21. 1 Cor 7, 25). Neque umquam in ecclesia plane deerunt signa illa charismatica sanctitatis, quae Christus promisit (Mc 16, 17. Io 17, 22. 1 Cor c. 12).

256. *Prob. min.* a) *Hae proprietates sunt visibiles.* Nam videri potest, num magistratus ecclesiastici legitime instituantur, et num eorum praedecessores legitime instituti sint, et sic via historica ascendi potest usque ad apostolos. Etsi non omnes homines examen historicum facere possunt, res tamen obiective est aliquid, quod humano modo cognosci potest in ecclesia non minus quam in aliis societatibus. Immo in ecclesia est facilior via hanc quaestionem solvendi quam in aliis societatibus, quia qui a primate totius ecclesiae mittitur, vel quem tota ecclesia agnoscit, eo ipso habet apostolicam successionem. Sed de hac re postea. Visibilis est unitas quoque, quia videri potest, qui regimini ecclesiastico oboediant. Visibilis est catholicitas, seu videri potest, num ecclesia sit universalis tum contentione tum actu. Tandem videri potest, num ecclesia sancte doceat et sancte agat, et num Deus eam iuvet donis charismaticis.

b) *Hae proprietates sunt soli verae ecclesiae Christi propriae.* Nam fieri non potest, ut in ulla societate praeter veram ecclesiam sit legitima successio apostolica, cum eo ipso, quod quis legitime mittitur, subsit etiam legitimae auctoritati ecclesiasticae. Potest quidem fieri, ut in aliqua particulari ecclesia aliquando fuerit successio formaliter apostolica, et ut materialiter, i. e. sine externa interruptione haec suc-

cessio permanserit, et ut nihilominus talis ecclesia non iam sit apostolica. Sed ea tantum ratione hoc fieri potest, ut certus quidam episcopus et eius successores per haeresim aut schisma se a corpore ecclesiae et consequenter a formali successione apostolica separaverint. Pure igitur materialis successio non sufficit ad apostolicitatem, sed requiritur legitima successio seu permanens coniunctio cum magisterio et regimine a Christo instituto. Talis autem coniunctio ex conceptu rei non potest esse extra veram ecclesiam Christi, quia unica est ecclesia (supra n. 240 sqq). Eo ipso efficitur unitatem ecclesiae extra ipsam non inveniri; nam qualicumque vinculo aliae societates uniuntur, certe non vinculo illius auctoritatis, quam Christus instituit. Haec autem unitas in conceptu catholicitatis includitur; unde ecclesia est catholica, si ita est per totum orbem diffusa, ut tamen maneat una. Hoc autem, considerata magna diversitate opinionum et inclinationum in diversis et dissitis nationibus, moraliter fieri non potest sine speciali adiutorio divino, quod Deus non dat haereticis vel schismaticis. Unde fit, ut, si secta aliqua per magnam partem orbis diffundatur, mox internam unitatem amittat et in novas sectas scindatur. Quod si ita est, numquam relativa catholicitas alicuius sectae esse potest. Neque umquam Deus falsas sectas eximia sanctitate et donis charismaticis exornabit.

Ergo illae quattuor proprietates sunt essentiales, visibiles, soli verae ecclesiae propriae, seu sunt verae notae.

257. *Arg. II.* Ex doctrina ecclesiae.

Ecclesiae semper persuasum fuit illas quattuor notas sibi soli ita convenire, ut per eas ab hominibus cognosci possit. Atqui haec persuasio non potest esse falsa. Ergo illae proprietates vere notae ecclesiae sunt.

Prob. mai. a) *Apostolicitas* quam maxime urgetur a SS. Patribus. *S. Irenaeus:* «Iis, qui in ecclesia sunt, presbyteris [episcopis] obaudire oportet, his, qui successionem habent ab apostolis, ... qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt; reliquos vero, qui absistunt a principali successione et quocumque loco colligunt, suspectos habere. . . . Ab omnibus talibus absistere oportet, adhaerere vero his, qui et apostolorum, sicut praediximus, doctrinam custodiunt» (Contra haer. 4, 26, 2 sq). Quia vero difficile est, in singulorum successiones inquirere, ideo, inquit, simplicissima via solvendi quaestionem est, inspicere, num servent unionem cum ecclesia romana (3, 3, 2), in qua est Petri cathedra; «ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam» (*Kirch,* Enchir. n. 112). Eandem viam indicat *S. Ambrosius:* «Ubi Petrus, ibi ecclesia» (In Ps. 40, n. 30). *Tertullianus* de haereticis ait: «Edant origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum

apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt, sicut smyrnaeorum ecclesia Polycarpum ab Ioanne collocatum refert, sicut romanorum Clementem a Petro ordinatum edit; proinde utique et ceterae exhibent, quos ab apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant» (De praescr. 32). *S. Hieronymus:* «In illa ecclesia permanendum est, quae ab apostolis fundata, usque ad hanc diem perdurat» (Adv. Lucif. 38). Similiter alii Patres saepe haereticos vel schismaticos refutant ostensa eorum origine non apostolica.

b) *Unitas* ut distinctivum omnino necessarium ecclesiae a Patribus praedicatur. Quaedam supra (n. 243) iam audivimus. *S. Irenaeus* ait: Apostolorum doctrinam «ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter haec praedicat et docet et tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est» (Contra haer. 1, 10, 2). *Tertullianus:* «Tot ac tantae ecclesiae; una est illa ab apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primae et apostolicae, dum una omnes probant unitatem . . . eiusdem sacramenti [doctrinae] una traditio. . . . Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulli doctrina diversa; hoc est testimonium veritatis» (De praescr. 20 sq). *S. Cyprianus:* «Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit?» (De unit. eccl. 4.)

c) *Catholicitas* est praedicatum, quod iam a Patribus apostolicis tribuitur verae ecclesiae, ut a *S. Ignatio* (Smyrn. 8, 2) et in martyrio *S. Polycarpi* (in inscriptione et 8, 1). *S. Cyrillus Hieros.* instruit catechumenos, ne in aliena urbe simpliciter quaerant, ubi sit ecclesia, «sed ubi sit catholica ecclesia; hoc enim proprium nomen est huius sanctae et matris omnium nostrum, quae quidem et sponsa est Domini nostri Iesu Christi» (Catech. 18, n. 26). Et *S. Augustinus* ait hoc nomine solam veram ecclesiam in toto orbe esse notam (De vera relig. n. 12). Unde illud *S. Paciani:* «Christianus mihi nomen est, catholicus vero cognomen. Illud me nuncupat, istud ostendit; hoc probor, inde significor» (Ep. 1 ad Sympron. n. 4). Aliis verbis: me esse verum christianum inde probatur, quod catholicus sum. Habet quidem hoc nomen varias significationes apud SS. Patres, qui ecclesiam dicunt catholicam, quia multos coetus in unum colligit, quia omnibus temporibus exsistit, quia integram doctrinam Christi tradit, quia omnes homines suscipit. Ita *S. Cyrillus Hieros.*, qui nihilominus primo loco ait: Ecclesia «vocatur catholica, quia in toto orbe est» (Catech. 18, n. 23). Hoc sensu SS. Patres plerumque catholicitatem explicant et ut notam ecclesiae efferunt. Ita *S. Augustinus* in serm. 46, n. 18, docet solam veram Christi ecclesiam esse per totum orbem diffusam, haereticos vero alios esse aliis locis, nullos ubique. «Non omnes haeretici per totam faciem terrae, sed tamen haeretici per totam faciem terrae. Alii hic,

alii ibi, nusquam tamen desunt.» Catholica ecclesia ubique est, ubi haeretici sunt. «Illa sic est tamquam vitis crescendo ubique diffusa; illi sic sunt tamquam sarmenta inutilia, agricolae falce praecisa merito sterilitatis suae. . . . Vitis autem crescens per omnia, et sarmenta sua novit, quae in illa manserunt, et iuxta se, quae de illa praecisa sunt.»

d) *Sanctitas* secundum *S. Cyrillum Hieros.* ideo quoque est praedicatum essentiale ecclesiae, quia ecclesia, ut catholica sit, debet omni modo esse sancta. «Catholica enim vocatur ... etiam eo, quod omne hominum genus recto cultui subiciat . . . ac denique quia generaliter omne peccatorum genus, quae per animam et corpus perpetrantur, curat et sanat; eadem vero omne possidet, quovis nomine significetur, virtutis genus, in factis et verbis et spiritualibus cuiusvis speciei donis» (Catech. 18, n. 23). Iam *S. Irenaeus* ait: «Ubi ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic et ecclesia et omnis gratia» (Contra haer. 3, 24, 1); et haereticis obicit apud eos non esse charismata, quae in vera ecclesia numquam deficiant (ibid. 2, 31, 2). Sanctitatem ecclesiae praedicat *S. Augustinus* in serm. 214, ubi n. 11 ait: «Sanctam ecclesiam, matrem vestram, tamquam supernam Ierusalem, sanctam civitatem Dei honorate, diligite, praedicate . . . quae malos, in fine separandos, a quibus interim discedit disparilitate morum, tolerat in communione sacramentorum.» Et monet putandum non esse umquam in ecclesia charismata plane cessare (Retract. 1, 13).

Haec pauca sufficiant, quia nimis multa sunt, quae SS. Patres in expositione symboli de his quattuor notis praedicant, quam quae hic proponi possint.

258. **Obi. I.** Christus ait: «Oves meae vocem meam audiunt (Io 10, 27). «Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit» (Mc 16, 16). «Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum» (Mt 18, 20). Atqui his et similibus significatur recta fides et rectus usus sacramentorum. Ergo haec duo sunt notae ecclesiae.

Resp. *Trans. mai. et min.* et *neg. conseq.,* quia deest consequentia. Nam nihil sequitur nisi rectam doctrinam et rectum usum sacramentorum esse proprietatem ecclesiae; non vero sequitur hanc proprietatem esse notam, quia non est res in se manifesta, et ideo omnes sectae gloriantur sibi convenire hanc proprietatem.

259. **Obi. II.** SS. Patres saepe dicunt ex Scriptura discendum esse, ubi sit vera ecclesia, e. g. *S. Augustinus,* De unit. eccl. 2, 3. Ergo secundum hanc doctrinam ibi est vera ecclesia, ubi Scriptura admittitur ut suprema norma fidei.

Resp. *Dist. antec.:* SS. Patres dicunt iis, qui admittant S. Scripturam, ex Scriptura ostendi posse, ubi sit vera ecclesia, *conc. antec.;* dicunt ibi esse veram ecclesiam, ubi recipiatur S. Scriptura, *neg. antec.* Nam donatistae, de quibus ibi loquitur Augustinus, non minus admittebant Scripturam quam catholici. Quare Augustinus dicit eos, si sinceri esse velint, e Scriptura discere posse veritatem ecclesiae catholicae. Et sub data distinctione, *neg. conseq.*

260. *Obi. III.* Ii recte dicuntur constituere veram ecclesiam Christi, qui fundamentalia dogmata servant. Atqui fundamentalia dogmata sunt articuli de vero Deo uno et trino, de Christo redemptore, de iustificatione. Ergo professio horum dogmatum est nota verae ecclesiae.

Resp. *Dist. mai.:* Qui admittunt theoretice et practice ea, quae ex institutione Christi ad salutem necessaria sunt necessitate medii vel praecepti, constituunt veram ecclesiam Christi, *conc. mai.;* qui secundum suos conceptus quaedam eligunt, quae fundamentalia vocant et alia ut indifferentia neglegunt, *neg. mai.* *Dist. min.:* Illa tria sunt quaedam praecipua dogmata eo sensu tenenda, quo Christus revelavit, *conc. min.;* nihil aliud Christus revelavit ut necessarium ad salutem, et illa tria recto sensu conservari possunt, si alia negleguntur, *neg. min.* Et *neg. conseq.* Qui magisterium et regimen a Christo institutum reiecerunt, de consensu circa articulos fundamentales gloriari non possunt, tum quia non convenit inter eos, quaenam sint fundamentalia, tum quia ab auctoritate legitima avulsi, sensum dogmatum, etiam maxime fundamentalium, pervertunt.

261. *Obi. IV.* Ut quis inveniat ecclesiam, cognoscere oportet ea, quae sunt ecclesiae essentialia. Atqui vera doctrina est ecclesiae maxime essentialis. Ergo ut quis inveniat ecclesiam, oportet eum antea cognoscere veritatem doctrinae eius.

Resp. *Dist. mai.:* Ut quis inveniat ecclesiam, oportet cognoscere aliquid, quod soli ecclesiae est essentiale et proprium, *conc. mai.;* omnia essentialia, *neg. mai.;* nam inventa ecclesia potest per ipsam alia essentialia discere. *Dist. min.:* Veritas doctrinae est aliquid essentiale ecclesiae, *conc. min.;* est unicum essentiale, et est per se visibile, *neg. min.* Et *neg. conseq.* Si ex aliqua certa nota vel certo argumento constat hanc esse veram ecclesiam Christi, eo ipso constat hanc ecclesiam infallibiliter docere veram doctrinam a Christo revelatam. Ergo nequaquam opus est prius examinare integram doctrinam, ut diiudicetur, num ecclesia sit vera, sed potius inversa via incedendum et prius ostendendum est, quae sit vera ecclesia, ut sciatur, ubi sit vera doctrina Christi.

Prop. XXXIII. Quattuor notae verae ecclesiae soli ecclesiae romanae conveniunt.

262. ***Stat. quaest.*** Sufficit per se considerare solam ecclesiam romanam, i. e. illam, cuius supremum caput visibile est episcopus romanus. Nam si ostenderimus hanc esse veram ecclesiam Christi, certum quoque est, nullum alium coetum esse veram ecclesiam, cum haec non sit nisi unica. Nihilominus utile erit quaedam de aliis coetibus addere. Qui commode possunt in tres partes dividi. Sunt a) ecclesiae schismaticae orientales (circiter 127000000), quae a. 1054 ab ecclesia romana se separarunt proxime non propter doctrinas differentes, sed quia nolebant oboedire romano pontifici; postea vero etiam varia falsa dogmata receperunt. Solent tamen computari inter schismaticos potius quam inter haereticos. b) Sectae orientales, i. e. nestoriani (in Kurdistan,

summum 500 000, probabiliter multo pauciores), et monophysitae (iacobitae in Syria, armeni gregoriani, copti, aethiopes, inter se independentes, sed omnes simul circiter 9 000 000). c) Protestantes, omnes simul circiter 186 000 000.

Tum schismatici orientales tum protestantes dividuntur in plurimos coetus, inter se dissidentes. Schismatici sunt: Russi sub «sancta synodo», eius caput est imperator, cuius nomine praesidet dux aliquis militum; graeci sub synodo atheniensi; patriarchatus constantinopolitanus, hierosolymitanus, alexandrinus, antiochenus; accedunt novem alii coetus independentes, ut in Serbia, Rumenia, Bulgaria. Protestantes sunt: lutherani, calvinistae, evangelici uniti (in Borussia), methodistae, presbyteriani, baptistae. Sed omnes hi dividuntur in multas alias minores sectas, quae in sola Anglia circiter trecentae numerantur. Ceterum simile quid valet de russis schismaticis.

Numerus catholicorum est circiter 293 000 000. (Hi numeri sumpti ex dissertatione «Religionsstatistik» ab *H. Krose* conscripta, in «Staatslexikon» IV [1911], 575 sqq.) Iam si iudicandum est inter ecclesiam romanam et alios coetus christianos, a priori in quaestionem venire non possunt plurimae parvae sectae, quibus nomen ecclesiae Christi nemo serio applicuerit. Quaestio ad hoc fere reducitur: utrum veram ecclesiam Christi constituant catholici romani, an maiores coetus schismatici orientales, an anglicani simul cum aliis protestantibus?

Anglicani autem, videntes quattuor illas notas verae ecclesiae sibi certe non omnes convenire, excogitaverunt interdum theoriam, secundum quam sufficit unam ex illis notis habere, etsi aliae desint. Dixerunt igitur sic: Ecclesia anglicana, si non est catholica, est tamen apostolica; et si forte de apostolicitate dubitatur, est tamen sancta; hoc autem sufficit ad ostendendum eam esse partem verae ecclesiae Christi. Ita de se ipso narrat *H. Newman* (Apologia pro vita sua. New edition, London 1874, 106 sqq 114 sqq 148 sqq), qui tamen paulatim intellexit hanc opinionem non posse sustineri, et catholicus factus est. Alii autem videntur in simili theoria perstitisse. Quare Congregatio *S. Officii* in litteris ad episcopos Angliae datis die 16 Sept. 1864 monet: «Vera Iesu Christi ecclesia quadruplici nota, quam in Symbolo credendam asserimus, auctoritate divina constituitur et dignoscitur; et quaelibet ex hisce notis ita cum aliis cohaeret, ut ab iis nequeat seiungi. Hinc fit, ut quae vere est et dicitur catholica, unitatis simul, sanctitatis et apostolicae successionis praerogativa debeat effulgere» (*Denz.* n. 1686).

263. **Prob. pars I.** *Quattuor illae notae conveniunt ecclesiae romanae.*

a) *Ecclesia romana est apostolica.* Nam ecclesia urbis Romae apostolicis temporibus fundata et ab apostolis ut ecclesia apostolica agnita est, ut constat ex epistula S. Pauli ad romanos et ex multis aliis documentis. Episcopi vero huius ecclesiae serie non interrupta usque ad nostram aetatem perseveraverunt. Omnes vero alii episcopi

catholici totius mundi cum episcopo romano communionem habent et ab eo iurisdictionem accipiunt. Ergo eorum quoque successio est apostolica. Iam *S. Irenaeus* ait: «Quoniam valde longum est . . . omnium ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae, et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae, eam quam habet ab apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui . . . praeterquam oportet, colligunt» (Contra haer. 3, 3, 2). Omnes aliae ecclesiae ab apostolis fundatae iniuria temporum interierunt, etsi quaedam ex illis postea resuscitatae sunt. Sola romana ecclesia inter omnes casus temporum perseveravit. Itaque si haec non est apostolica, nulla est apostolica, quod est impossibile. Omnes alii coetus sero exorti sunt, quam qui possint esse apostolici.

Praeterea antequam essent recentes haeretici, antequam essent schismatici orientales, episcopus romanus ab omnibus christianis agnoscebatur successor Petri et primas universalis ecclesiae, ut postea ostendemus. Atqui ecclesia universalis non potuit errore decipi. Ergo quia in ecclesia romana permansit successio legitima, etiam Pius X est successor S. Petri et primas ecclesiae.

b) *Ecclesia romana est una.* Subest enim collegio episcoporum sub eorum primate romano pontifice. Omnes profitentur eandem doctrinam et oboedientiam erga regimen ecclesiasticum. Permittitur libertas quoad ea, quae ecclesia non definite constituit, sed omnes parati sunt ad amplectendas definitiones et constitutiones, si quae fiunt. De unitate catholica *S. Irenaeus* ait: «Neque hae, quae in Germania sunt fundatae ecclesiae, aliter credunt aut aliter tradunt, neque hae, quae in Hiberiis sunt, neque hae, quae in Celtis, neque hae, quae in Oriente, neque hae, quae in Aegypto, neque hae, quae in Libya, neque hae, quae in medio mundi constitutae; sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est, sic et lumen, praedicatio veritatis, ubique lucet et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire» (Contra haer. 1, 10, 2).

c) *Catholicitas ecclesiae romanae* probatione non indiget. In Europa sunt ultra 188 000 000 catholicorum, in America meridionali et centrali ultra 65 000 000, in America septentrionali et Canada non multo infra 18 000 000, in Africa circiter 3 000 000, in Australia et Polynesia ultra 1 200 000, in Asia ultra 12 000 000 (cf. Staatslexikon[3] sub verbo «Religionsstatistik»). Ergo ecclesia romana ubique terrarum visibiliter exsistit, nuspiam ut ecclesia nationalis sed ubique ut ecclesia universalis. Neque umquam obliviscitur destinationis catholicae, sed semper memor est verbi Domini: «Praedicate evangelium omni creaturae.» Etiam relative ecclesia unumquemque alium coetum superat. Nam latissimus coetus schismaticorum orientalium numerat 110 000 000; neque est una ecclesia, sed in multas sectas scinditur.

d) *Ecclesia romana est sancta* illa conspicua sanctitate, quae est nota verae ecclesiae Christi. Sancta enim est eius doctrina, qua vitia corripiuntur, virtutes inculcantur, homines ad perfectionis studium excitantur, nec sola praecepta Christi sed etiam consilia evangelica commendantur. Hanc sanctam doctrinam ecclesia magno animo et magna libertate defendit, neque umquam alicuius temporalis lucri vel damni ratione veritatem venalem habuit, sed potius per immobilem suam constantiam in vera doctrina tenenda odium mundi in se excitare non timet. Testis est nostra aetate praeter multa alia fortis contra modernistarum et rationalistarum errores pugna. Numquam ecclesia prodidit Christum, numquam prodidit eius doctrinam vel praecepta, numquam prodidit Sacram Scripturam vel apostolicam traditionem, sed pro eorum defensione gravissimum errantium et iniquorum odium et pessimas persecutiones viriliter et intrepide sustinuit et sustinet. Sancta sunt ecclesiae sacramenta, sanctus eius cultus, sanctae eius leges, sancta eius instituta, quibus vitam spiritualem promovere solet.

Haec sancta arbor semper protulit uberrimos *sanctitatis fructus*. Sunt quidem in ecclesia, quemadmodum Christus futurum praedixit, iusti et peccatores, sed iusti secundum eius leges viventes, peccatores autem praeceptis ecclesiae inoboedientes neque umquam per ecclesiam veniam in vitiis insordescendi adepti sed perpetuo ad correctionem excitati. In ecclesia post apostolos numquam defuerunt viri et mulieres sanctitatis studiosi, martyres, confessores, virgines, eremitae, monachi, insignes caritatis erga proximos cultores. Hoc etiam de nostris temporibus valet. Nam vix quidquam saepius et efficacius movet homines ad admirationem ecclesiae, quam quod vident ex eius membris tot viros et feminas, etiam nobiles et divites, renuntiantes commodis saecularibus, ut totos se servitio Christi et proximorum impendant. Fructus et documenta sanctitatis sunt etiam tot magnifica templa, nosocomia, orphanotrophia, singularis cura egenis et infirmis impensa. Multorum christianorum, qui sanctitatis fama florebant, vitam ecclesia strictissimo examini subiecit et eos vere insigniter sanctos fuisse declaravit. Eo ipso saeculo XVI, quo novatores de maxima ecclesiae corruptione querebantur, prodierunt multi heroes sanctitatis, ut Pius V, Carolus Borromaeus, Philippus Neri, Ignatius, Franciscus Xaverius, Franciscus Borgia, Stanislaus Kostka, Aloysius, Theresia, Ioannes a Cruce, alii non pauci. Saeculo XIX declarati sunt beati 310, sancti 78. Ergo neque nostris temporibus eximiorum sanctorum genus exstinctum est. Tandem in ecclesia numquam defuerunt charismata, quae ecclesiae suae Christus promisit. Etsi haec primis temporibus frequentius accidebant, quia magis necessaria erant, non tamen ullo tempore defuerunt. Omnium eorum, qui ab ecclesia beatificantur vel canonizantur, miracula plura post accuratam inquisitionem approbata sunt. Prope *Lourdes* facta esse miracula non videntur negare posse nisi ii, qui a priori admittere miracula nolunt. Idem valet de vita Ioannis B. Vianney et de aliis factis nostrae aetatis.

Manet igitur verum, quod *S. Augustinus* ait: «Multa sunt, quae in eius [ecclesiae catholicae] gremio me iustissime teneant. Tenet consensio populorum atque gentium [unitas]; tenet auctoritas, miraculis incohata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata [sanctitas]; tenet ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum [apostolicitas]; tenet postremo ipsum catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista ecclesia sola obtinuit, ut, cum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen alicui peregrino, ubi ad catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot et tanta nominis christiani carissima vincula recte hominem tenent credentem in catholica ecclesia» (Contra ep. Manich. c. 4).

264. **Prob. pars II.** *Quattuor illae notae non conveniunt ulli coetui haeretico vel schismatico.*

a) *Apostolicitas* non invenitur in protestantismo; nam ante saeculum XVI non erant protestantes, sed hi orti sunt per apostasiam ab ecclesia catholica, quam antea ut veram ecclesiam agnoverant. Plurimae communitates protestantes fundatae sunt a principibus civilibus, in quibus certe non permansit successio apostolica. Idem valet de ecclesia russiaca, quae formam suam accepit ab imperatore Petro Magno (1689—1725). Hic instituit «sanctam synodum», cui subiectae sunt res omnes dogmaticae et ecclesiasticae, ipsa vero subiecta est Caesari. Ecclesia regni graeci a. 1833 ab ecclesia constantinopolitana se independentem declaravit. Unica pars schismaticorum orientalium, quae speciem quandam externam successionis servavit, est patriarchatus constantinopolitanus. At gubernium turcicum olim solebat dignitatem patriarchalem vendere ei, qui maximam pecuniam offerebat, qui non est modus legalis apostolicae successionis. Praeterea ante Photium graeci agnoscebant primatum romani pontificis, et in concilio constantinopolitano IV (oecum. VIII, 869—870) Photium damnarunt (*Denz.* n. 341). Ergo aut temporibus huius concilii et prioribus ecclesia graeca habebat apostolicitatem, et tunc posteriores, schisma facientes, eam perdiderunt; aut non habebat, et consequenter neque posteriores habent. Etiam in conciliis lugdunensi et florentino graeci agnoverunt primatum romani pontificis, et postea rursus defecerunt. Ergo apud eos non est constans et perpetua traditio.

b) *Unitas* et *catholicitas* plane deficiunt in protestantismo. Nam si omnes sectae simul sumuntur, nulla est inter eas unitas; si singulae sumuntur, nulla catholicitas. Uniti «evangelici» non sunt extra Borussiam, anglicani in Europa paucissimi inveniuntur extra Britanniam, et sic de aliis. Plurimi e coetibus protestanticis volunt esse ecclesiae nationales. Et quam diversa elementa vel una talis ecclesia nationalis in se continet, incipiendo ab «orthodoxis», qui servant fidem Trinitatis,

Incarnationis aliaque dogmata christiana, usque ad numerosos illos «liberales», qui non credunt in Deum personalem et omnia illa dogmata reiciunt. Vix in meliore condicione sunt schismatici orientales, qui neque inveniuntur in toto orbe neque inter se uniuntur, neque alia fere ratione aliquam speciem unitatis obtinent nisi ope brachii saecularis. In clerum graecum et russiacum magis magisque irrepit rationalismus protestanticus. Praeterea in Russia magnus numerus sectariorum est.

c) *Sanctitas* ab initio non fuit nota protestantismi. Sane ea non eminebant neque Lutherus neque Calvinus neque Henricus VIII neque alii fundatores protestantismi. Necessitatem bonorum operum ad salutem et libertatem voluntatis humanae negarunt, plurimos fidei articulos paulatim protestantes abiecerunt, libertinismo vias straverunt. Qui fructus secuti sint, historia docet. Homines sanctitate insignes hucusque in protestantismo non apparuerunt. Charismata tantum abest, ut protestantes habeant, ut ea omnino fieri posse plurimi eorum negent. Vix meliora dici possunt de schismaticis orientalibus. Quales fuerint Photius, Michael Caerularius, imperator Petrus Magnus, notum est. Ecclesia russiaca est institutum politicum ad fines politicos, cuius clerus saecularis fruitur valde mediocri aestimatione. Ecclesia graeca, olim fertilis mater Sanctorum, post schisma nullum virum sanctitate eximium protulit. Negandum non est inter haereticos et schismaticos esse homines, qui pro sua bona fide et pietate rectam vitam agant. At Deus, si quem vult ad magnam sanctitatem adducere, non relinquet hominem in tenebris ignorantiae, etsi inculpabilis, sed ducet eum ad veram ecclesiam, ut exemplo multorum hominum insignium ad ecclesiam conversorum ostenditur.

Itaque quattuor notae verae ecclesiae Christi in sola ecclesia romano-catholica inveniuntur; ergo haec est sola vera ecclesia Christi.

265. *Obi. I.* In ecclesia romana tempore magni schismatis occidentalis (1378—1417) tres erant aemuli pontificatus romani, et ecclesia romana scissa erat in plures «oboedientias». Ergo illa aetate interiit unitas et apostolicitas ecclesiae romanae.

Resp. Dist. antec.: Tempore schismatis dubitabatur de quaestione iuris, num unus deberet esse summus pontifex in ecclesia, *neg. antec.;* dubitabatur de quaestione facti, quis esset pontifex legitime electus, *conc. antec. Dist. conseq.:* Interierat unitas quoad quaestionem facti, *conc. conseq.;* quoad quaestionem iuris, *neg. conseq.;* interiit apostolicitas ecclesiae, *neg. conseq.,* quia etiam quaestio facti per legitimam auctoritatem legitimo modo soluta est electo Martino V, quem tota ecclesia agnovit. Ceterum historice Urbanus VI erat legitimus pontifex et consequenter eius legitimi successores Bonifatius IX, Innocentius VII, Gregorius XII. Eorum adversarii erant antipapae, illegitime electi.

266. *Obi. II.* Aliquando maxima pars christianorum erant ariani, cum *S. Hieronymus* testetur: «Ingemuit totus orbis, et arianum se esse miratus

est» (Adv. Lucif. n. 19). Ergo illa aetate ecclesia romana non erat catholica.

Resp. *Dist. antec.:* Hieronymus dicit ea aetate totum orbem fuisse arianum, *neg. antec.;* totum miratum esse se esse arianum, *conc. antec.* Et *neg. conseq.* Videlicet Constantius imperator synodum episcoporum occidentalium Ariminum convocaverat (a. 359). Multo maior pars episcoporum catholice sentiebat, et fidem nicaenam profitebatur. Quare ariani ambiguam formulam proponebant, cui etiam catholici subscripserunt, partim dolo circumventi, partim vi adacti. Sed paulo post quidam ex iis diserte declararunt se nequaquam sensum haereticum formulae admittere voluisse. De hac re valet illud dictum Hieronymi. Ergo illa aetate orbis non erat vere arianus, sed vi et dolo videbatur esse arianus. *S. Athanasius* obicit arianis nullum prudentem et cordatum virum ex eorum parte stare (De decr. nicaenae syn. n. 27), id quod certe non dixisset, si omnes fere episcopi fuissent ariani (cf. *Kirch,* Enchir. n. 374 sqq).

267. **Obi. III.** In ecclesia romana saepe pessimi homines fuerunt, non laici tantum sed etiam sacerdotes et episcopi, immo summi pontifices; e contra apud protestantes multi sunt homines, qui vitam vere bonam agunt Ergo ecclesia romana non insignitur nota sanctitatis prae protestantismo.

Resp. *Dist. antec.:* In ecclesia romana fuerunt multi mali et in protestantismo multi boni, qui tales fuerunt vi communionis ecclesiasticae, ad quam pertinebant, *neg. antec.;* qui tales fuerunt propter singulorum individuam indolem, *conc. antec.* Et *dist. conseq.:* Non singulis catholicis convenit nota sanctitatis prae singulis protestantibus, *conc. conseq.;* ecclesiae catholicae non convenit nota sanctitatis prae protestantismo, ut hic est societas ecclesiastica, *neg. conseq.* Haec in thesi exposita sunt. Ipsi quoque romani pontifices, etsi quidam inter eos mali fuerunt, non tamen novas ecclesias fundarunt, sicut fundatores sectarum; ergo si quidam eorum mali fuerunt, solum vitam privatam non instituerunt ad normam doctrinae et praeceptorum, quae publice profitebantur. Ceterum inter pontifices romanos tot sunt viri eximii et sancti, ut sub hoc respectu nulla principum series cum iis comparari possit. Protestantismus vero ut systema vel societas de malo in peius constanter labitur, neque in eo ulla adest auctoritas, quae possit malorum cursum efficaciter impedire.

268. **Conclusio.** Ergo ecclesia romano-catholica ita comparata est, ut non docti tantum sed etiam minus eruditi eam satis facile ut veram ecclesiam Christi cognoscere possint. Nam eam esse antiquiorem omnibus aliis coetibus christianis, eam solam esse vere catholicam, eam insigniri unitate, quae extra eam nusquam invenitur, haec etiam sine magno studio ab omnibus ratione utentibus perspiciuntur. Neque difficile est intellegere omnes coetus, quotquot extra ecclesiam catholicam sunt, non protulisse viros vel mulieres, qui cum tot et tantis sanctis catholicis comparari possint. Et si in genere confertur vita sacerdotum, missionariorum, religiosorum catholicorum cum vita ministrorum protestantium, non tam obtusae mentis sunt homines, ut magnam differentiam non videant; et interdum scriptores ipsi protestantes testimonium huius rei dare non timuerunt.

Quod non obstante manifesta ecclesiae catholicae prae sectis eminentia relative pauci sectarii ad matrem suam redeunt, varias causas habet: 1. Multo facilius est naturali homini protestantice vivere quam catholice, praesertim si quis tenet illud principium opera bona ad salutem non requiri sed sufficere solam fidem, vel si cum Luthero tenet voluntatem humanam non esse liberam, vel si affirmat cum recentibus non esse in re religiosa ullam auctoritatem audiendam sed solam subiectivam persuasionem sequendam. Confessio peccatorum, oboedientia erga auctoritatem ecclesiasticam, observatio praeceptorum ecclesiae aliaque similia non paucos homines terrent. — 2. Plurimi veram ecclesiam non norunt sed imaginem tantum eius distortam, quae ipsis a pueritia ante oculos posita est eo fine, ut horrorem eius conciperent et a re quavis catholica tamquam a peste fugerent. Pauci quidem proprio studio in verum inquirentes, fraude detecta eo magis ad ecclesiam attrahuntur; at plurimi prorsus inepti sunt ad se expediendos a praeiudiciis tam alte menti impressis. — 3. Malum exemplum multorum catholicorum est maximum impedimentum conversionis protestantium vel aliorum, cum hi se excusent dicentes: Cur fiam catholicus, cum catholici non sint meliores quam nos? — 4. Gratia conversionis, sicut aliae gratiae, pendet non mediocriter ab orationibus et bonis operibus, quae ad eam impetrandam Deo offeruntur. Ergo quo minor est zelus et diligentia in hac parte, eo pauciores erunt conversiones. — 5. Tandem multi homines cuperent quidem esse catholici, si ita nati et educati essent; sed animum non habent ad relinquenda multa sibi carissima, quae relinquenda sunt, si catholici fieri volunt. Quam minutae et inanes saepe sint considerationes, quibus homines impediri se sinunt a regressu ad ecclesiam, exponit cardinalis *Newman* in libro «Difficulties of Anglicans». Nihilominus gratia divina singulis annis multa milia haereticorum vel schismaticorum ad ecclesiam adducit.

Schol. De praescriptione theologica.

269. Cum ad apostolicitatem ecclesiae etiam pertineat apostolicitas doctrinae eius, theologo ostendendum est hanc vel illam doctrinam, quam ecclesia tenendam proponit, aut contineri in deposito apostolico aut ex doctrina apostolica per legitimam conclusionem derivari. Sed fieri potest, ut demonstratio directa apostolicitatis aut sit nimis longa aut etiam impossibilis, quia non adsunt documenta, quae usque ad ipsos apostolos ascendunt. Quod si accidit, indirecte apostolicitas demonstratur argumento praescriptionis, quod nititur principio: Melior est condicio possidentis. Hoc principium recte ad theologiam applicatur, quia in ea non agitur de nova doctrina invenienda sed de doctrina Christi recte proponenda et explicanda. Consequenter a) ex duabus doctrinis oppositis recentior non est vera, quia non est apostolica, etsi non immediate colligitur antiquiorem esse apostolicam; b) doctrina, quae ab ecclesia moraliter tota aliquamdiu recepta fuit, est apostolica,

cum propter infallibilitatem ecclesiae fieri non possit, ut doctrina ab apostolis nullo modo tradita a tota ecclesia proponatur ut pertinens ad depositum apostolicum. Vis huius argumenti manet, etiamsi pure historice consideratur, quia conspiratio in universalem errorem est impossibilis. Ergo si adversarii non possunt ostendere, quando, a quo, quomodo aliqua doctrina, quae universaliter admittitur, primum introducta sit, oportet concedere talem doctrinam habere apostolicam originem. Hoc modo indirecte exceptio contra doctrinam ut apostolicam facta, praescriptionis argumento removetur.

Iam S. Irenaeus contra haereticos utitur praescriptionis argumento. Tertullianus de eo speciale opus conscripsit. Plura, quae ad hanc rem pertinent, collecta sunt in primo tomo Cursus theologiae a Migne editi.

CAPUT IV.

DE SUBIECTO POTESTATIS ECCLESIASTICAE.

ARTICULUS I.

DE EPISCOPIS.

Cf. *Petavius,* De ecclesiastica hierarchia, ed. Barri-Ducensis (tomus 8); *Stanis. v. Dunin-Borkowski,* Die neueren Forschungen über die Anfänge des Episkopats, Freiburg 1900; *P. Batiffol,* Études d'histoire et de théologie positive I[5], Paris 1907, 225 sqq; *H. Bruders,* Die Verfassung der Kirche, Mainz 1904; e canonistis e. g. *Fr. X. Wernz,* Ius decretalium II, n. 729 sqq.

Prop. XXXIV. Successores collegii apostolorum in magisterio et ministerio ecclesiastico sunt episcopi.

270. **Stat. quaest.** Cum viderimus, quae sit vera ecclesia, cui Christus tradidit doctrinam suam et potestatem sanctificandi et regendi homines, quaeritur, quinam in hac societate sint illi, qui nomine Christi et ex eius institutione sacro magisterio et ministerio funguntur. Ab initio quidem omnis potestas ecclesiastica apostolis data erat. Sed quia ipsi mortui sunt, ecclesia autem usque ad finem mundi maneat necesse est (supra n. 219 sqq), investigandum est, qui sint successores apostolorum. Respondemus esse collegium episcoporum.

Episcopus vocatur is, qui suprema ordinis potestate instructus aliquam ecclesiam particularem seu dioecesim vi muneris ordinarii regit. Si unum ex his deest, non est episcopus sensu perfecto, ut si quis iam habet supremam iurisdictionem, sed nondum habet ordinationem episcopalem; vel vice versa si habet ordinationem, sed non habet actu iurisdictionem in ullam dioecesim; vel si administrat dioecesim, non quia est eius episcopus, sed ex delegatione summi pontificis.

Apostolorum erat duplex munus, alterum, ut essent apostoli, i. e. legati immediate a Deo (Christo) missi, revelationibus novis edocti, ad doctrinam revelatam ubique terrarum infallibiliter praedicandam et

miraculis confirmandam; alterum, ut essent pastores et rectores ecclesiarum a se fundatarum. Iam munus apostolatus ipsum erat temporarium, morte apostolorum finiendum; nam post ipsos alii homines non immediate a Deo vocati sunt ad novas revelationes accipiendas et proponendas, neque singuli erant infallibiles, neque singulorum iurisdictio erat illimitata ratione loci et subiectorum. Alterum autem munus, i. e. *munus pastorale, perpetuandum erat in ecclesia,* quia numquam debebant deesse in ecclesia qui docerent, sanctificarent, regerent. Hoc solo sensu episcopi dicuntur successores apostolorum.

Praeterea episcopi dicuntur successores apostolorum, quatenus *collegium episcopale successit collegio apostolico.* Neque enim quivis episcopus formaliter est successor determinati apostoli, v. g. Ioannis, Bartholomaei vel Matthaei; sed solum illud munus pastorale, quod olim in apostolis erat ut in subiecto, nunc est in episcopis ut in subiecto. Unde etsi alicuius ecclesiae episcopi a certo apostolo successione numquam interrupta usque ad nostra tempora pervenissent, non tamen illius apostoli potestas potius quam aliorum apostolorum in eos transiisset, sed in ratione potestatis episcopalis haec successio pure accidentaliter et materialiter se haberet. Hoc sensu recte dixit *S. Cyprianus:* «Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur» (De unit. eccl. 5). Excipitur solus romanus pontifex, qui est successor S. Petri ut capitis collegii apostolici (cf. *Suarez,* De fide disp. 10, sect. 1, n. 4 25).

Supra (n. 213) ostendimus ecclesiam a Christo institutam esse societatem hierarchicam, sed simul diximus non posse e sola S. Scriptura cum certitudine erui, quae sit differentia inter episcopos et presbyteros. Unde nunc traditionem adimus, ut ex ea hanc differentiam discamus. Supponimus probatum (supra n. 220 sqq) constitutionem ecclesiae esse substantialiter immutabilem.

Episcopos esse successores apostolorum admittunt schismatici orientales, item anglicani et alii quidam protestantes; plurimi tamen protestantes id negant. *Modernistarum error* his verbis enuntiatur (Prop. 50): «Seniores, qui in christianorum coetibus invigilandi munere fungebantur, instituti sunt ab apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem apostolicam» (*Denz.* n. 2050). Doctrina catholica habetur in *Tridentino* sess. 23, c. 4, ubi inter alia haec dicuntur: «Sacrosancta synodus declarat praeter ceteros ecclesiasticos gradus episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere» (*Denz.* n. 960; cf. n. 966 sqq).

271. *Arg. I.* Ex factis historicis.

Inde a temporibus apostolorum singulis ecclesiis particularibus praefuerunt episcopi singuli et hoc sensu «monarchici». Atqui hoc factum ostendit ab apostolis potestatem episcopalem «monarchicam»

traditam esse praepositis ecclesiarum. Ergo ratione huius potestatis ab apostolis acceptae recte dicuntur episcopi successores apostolorum in munere pastorali.

Prob. mai. Circa medium saeculum II Romae fuit *Hegesippus,* vir ex Oriente (Syria vel Palaestina) catholicus, qui inquirendae purae traditionis apostolicae causa multas ecclesias peragravit. Hic «scribit se, cum Romam proficisceretur, plurimos episcopos adiisse et ab omnibus unam eandemque audivisse doctrinam. . . . Et corinthiorum quidem ecclesia in recta fide permansit usque ad Primum, eiusdem loci episcopum, quocum familiariter collocutus sum. . . . Romam vero cum venissem, catalogum feci usque ad Anicetum [† 166], cuius tum diaconus erat Eleutherus. Post obitum deinde Aniceti successit Soter [† 175], quem excepit Eleutherus [† 189]. In singulis autem episcoporum successionibus et per singulas urbes eadem manent, quae per legem ac prophetas et a Domino ipso praedicata sunt» (*Euseb.* H. E. 4, 22; *Kirch,* Enchir. n. 58). Ergo medio saeculo II iam persuasio erat in ecclesia per continuam episcoporum successionem veram apostolorum doctrinam usque ad illa tempora descendisse.

Circa annum 195 *Polycrates,* episcopus ephesinus, tum 65 annos natus, scripsit epistulam ad Victorem papam († 199), in qua ait: «Polycarpus, qui apud Smyrnam episcopus et martyr fuit, itemque Thraseas, Eumeniae episcopus et martyr, qui Smyrnae requiescit. Quid Sagarim episcopum eundemque martyrem attinet dicere, qui Laodiceae est mortuus? . . . Ego quoque omnium vestrum minimus Polycrates ex traditione cognatorum meorum, quorum etiam nonnullos assectatus sum; fuerunt enim septem omnino ex cognatis meis episcopi, quibus ego octavus accessi» (*Euseb.* H. E. 5, 24; *Kirch,* Enchir. n. 79 sq). Etiam hoc testimonium, quo probat Polycrates se et suos collegas in Asia minore servare traditionem apostolicam, ostendit initio saeculi II, immo aetate apostolorum, fuisse episcopos «monarchicos» in ecclesia.

Idem testatur *S. Irenaeus:* «Habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi, et successores eorum usque ad nos. . . . Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes. . . . Fundantes igitur et instruentes beati apostoli [Petrus et Paulus romanam] ecclesiam, Lino episcopatum administrandae ecclesiae tradiderunt. . . . Succedit autem ei Anacletus; post eum tertio loco ab apostolis episcopatum sortitur Clemens, qui et vidit ipsos apostolos. . . . Huic autem Clementi succedit Evaristus et Evaristo Alexander. . . . Nunc duodecimo loco episcopatum ab apostolis habet Eleutherius. . . . Et Polycarpus autem non solum ab apostolis edoctus et conversatus cum multis ex iis, qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab apostolis in Asia in ea, quae est Smyrnis, ecclesia constitutus episcopus, quem et nos vidimus in prima nostra aetate» (Contra haer. 3, 3; cf. *Kirch,* Enchir. n. 83 111 sqq).

Ex aliis vetustissimis documentis ab *Eusebio* excerpti sunt catalogi episcoporum variarum ecclesiarum: a) *episcopi alexandrini:* post Marcum evangelistam Annianus, Abilius, Cerdo, Primus . . . (H. E. 2, 24; 3, 14 21; 4, 1 4 sq 11 19; 5, 22); b) *episcopi antiocheni:* Evodius, a Petro apostolo institutus, Ignatius, Hero, Cornelius . . . (H. E. 3, 23 36; 4, 20 24; 5, 19); c) *episcopi hierosolymitani:* «Primus fuit Iacobus, is qui Domini frater vocabatur, secundus Simeon, tertius Iustus . . .» (H. E. 4, 5).

Itaque temporibus apostolorum aut brevi post episcopos fuisse Romae, Ierosolymis, Smyrnae, Antiochiae, Alexandriae, Corinthi, aliis locis, historicis documentis constat. His licet addere aliarum ecclesiarum Asiae minoris episcopos, de quibus sermo est in Apocalypsi (c. 2 3) sub nomine «angelorum». Nam angeli, quibus ibi dicitur commissa esse cura ecclesiarum, non possunt esse beati spiritus, qui peccatorum et neglegentiarum sunt incapaces, neque minis in implendo officio coercendi sunt. Ergo sunt episcopi, quod fragmentum quoque *Muratorianum* dicit, loquens de apostolo Ioanne et «episcopis suis» (*Kirch,* Enchir. n. 135).

Ergo episcopi mox ab initio ecclesiae instituti sunt successores apostolorum in munere docendi et regendi ecclesias particulares.

272. ***Arg. II.*** Ex doctrina SS. Patrum.

Apud vetustissimos quidem scriptores nomina presbyteri et episcopi etiamtum promiscue dicuntur, sed institutio episcoporum diserte ad apostolos refertur. *S. Clemens Rom.* (1 Cor. 42 44): Apostoli «per regiones et urbes verbum praedicantes, primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum, qui credituri erant.... Constituerunt praedictos, ac deinceps ordinationem dederunt, ut, cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent». Comparat hierarchiam ecclesiasticam cum hierarchia Veteris Testamenti: «Cuncta ordine debemus facere, quae nos Dominus statutis temporibus peragere iussit. . . . Summo quippe sacerdoti sua munera tributa sunt, sacerdotibus locus proprius assignatus est, et levitis sua ministeria incumbunt. Homo laicus praeceptis laicis constringitur» (l. c. 40). Haec comparatio frequens est apud SS. Patres (cf. *Constit. apost.* 8, 46; *S. Hieronymi* ep. 52, n. 7; *S. Leonis M.* serm. 59, c. 7). Apud *S. Iustinum M.* vocatur «praepositus» *(προεστώς)* is, qui regit conventus ecclesiasticos, qui eucharistiam conficit, cuius est sermones habere ad populum, qui eleemosynas oblatas custodit et indigentibus distribuit (Apol. I, 65 67).

Ex epistulis *S. Ignatii Martyris* non solum discimus ipsum fuisse episcopum antiochenum (Smyrn. 11, 1), sed etiam aliorum episcoporum nomina indicantur: *Onesimus,* episcopus ephesinus (Eph. 1, 3), *Damas,* episcopus magnesius (Magn. 2), *Polybius,* episcopus trallianus (Trall. 1, 1), *Polycarpus,* episcopus smyrnaeus (Magn. 15). Episcopus phila-

delphensis valde laudatur, sed nomen non indicatur (Philad. 1). Immo «per tractus terrae», i. e. per totum orbem, episcopi constituti sunt (Eph. 3, 2), idque «in sententia», i. e. ex voluntate Iesu Christi, ut ibidem dicitur. Cum Ignatius martyrium passus sit sub Traiano (98—117), initio saeculi II episcopatus «monarchicus» non erat recens institutum, sed eius initia ad apostolorum tempora pertinent. Quid autem est episcopus secundum S. Ignatium? Est in sua ecclesia supremus in hierarchia ecclesiastica. In unaquaque ecclesia «unus episcopus cum prebyterio et diaconis» (Philad. 4). «Sine his ecclesia non vocatur» (Trall. 3, 1). Diaconus laude dignus est, si, ut debet, subditus est episcopo et presbyterio (Magn. 2). Presbyterium vero debet esse «ita coaptatum episcopo, ut chordae citharae» (Eph. 4, 1). «Omnes episcopo obtemperate, ut Iesus Christus Patri. . . . Separatim ab episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad ecclesiam spectant. Valida eucharistia habeatur illa, quae sub episcopo peragitur, vel sub eo, cui ipse concesserit. Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit, quemadmodum, ubi fuerit Christus Iesus, ibi catholica est ecclesia. Non licet sine episcopo neque baptizare neque agapen celebrare; sed quodcumque ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum, ut firmum et validum sit omne, quod peragitur» (Smyrn. 8). «Manifestum igitur est, quod episcopum respicere oporteat ut ipsum Dominum» (Eph. 6, 1).

Alia testimonia iam supra (n. 257) audivimus. *Tertullianus* ait: «Dandi quidem [baptismum] habet ius summus sacerdos, qui est episcopus; dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate» (De bapt. 17). Secundum *Origenem* episcopus «totius ecclesiae arcem obtinet» (In Ier. hom. 11, n. 3). Secundum *S. Cyprianum* episcopi ab ipso Christo instituti sunt, quia apostoli erant episcopi ab eo instituti (Ep. 3, 3 [ed. *Hartel*]). In episcopo est tota potestas et unitas ecclesiae. Quid est ecclesia? «Plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens. Unde scire debes episcopum in ecclesia esse et ecclesiam in episcopo, et si qui cum episcopo non sit, in ecclesia non esse» (Ep. 66, n. 8).

Ex dictis patet secundum traditionem usque ad apostolorum tempora pertingentem episcopos habere supremam potestatem magisterialem et ministerialem, et ideo vocari successores apostolorum. *S. Cyprianus:* Episcopi «apostolis vicaria ordinatione succedunt» (Ep. 66, 4). *S. Hieronymus:* «Apud nos apostolorum locum episcopi tenent» (Ep. 41, 3). *S. Gregorius M.:* «Horum [apostolorum] profecto nunc in ecclesia locum episcopi tenent» (In evang. hom. 26, 5). Ergo *concilium tridentinum* veterem traditionem sequitur, cum de episcopis ait: «Qui in apostolorum locum successerunt» (sess. 23, c. 4; *Denz.* n. 960). Idem docet *concilium vaticanum* (sess. 4; *Denz.* n. 1821).

273. *Obi. I.* *S. Hieronymus* haec scribit: «Idem est ergo presbyter qui et episcopus; et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent et di-

ceretur in populis: ‚Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae' [1 Cor 1, 12], communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis ecclesiae cura pertineret, et schismatum semina tollerentur. . . . Sicut ergo presbyteri sciunt se ex ecclesiae consuetudine ei, qui sibi praepositus fuerit, esse subiectos, ita episcopi noverint se magis consuetudine quam dispositionis dominicae veritate presbyteris esse maiores et in commune debere ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solum praeesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum iudicaret» (In Tit. 1, 5). Et alibi: «Apostolus perspicue docet eosdem esse presbyteros quos episcopos», et narrat Alexandriae presbyteros elegisse unum de gremio suo et nominasse episcopum (Ep. 146). Ergo episcopatus sola consuetudine ecclesiastica introductus, non ab apostolis ex praecepto Christi institutus est.

Resp. *Conc. antec. Nego consequens et consequentiam.*

De illis verbis S. Hieronymi permultum disputatum est (cf. Historisches Jahrbuch, München 1900, 221 sqq). Quidam, ut *Vazquez* (Disp. 140, c. 1, n. 15) censent Hieronymum errasse. Quod absolute fieri potuit; et si factum esset, nihil probaret contra doctrinam certo stabilitam. Aliis autem videntur verba Hieronymi recte explicari posse, dummodo detrahatur quaedam exaggeratio rhetorica, qua non raro Hieronymus utitur, praesertim si iratior scribit, ut in hac re accidit.

a) Hieronymus docet potestate ordinis episcopos esse maiores presbyteris, ut in illa epistula 146 ad Evangelum: «Quid facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat?» (Cf. Adv. Ioann. Hieros. n. 37.) b) Quod ait: «Idem est presbyter qui et episcopus», ipse ibidem proxime explicat de appellatione: «eosdem episcopos illo tempore, quos et presbyteros appellabant». Quod quo sensu verum sit, dissentiunt eruditi (supra n. 213). c) Ab initio «communi presbyterorum consilio ecclesias gubernatas esse», ut probabilis hypothesis admitti potest, dummodo haec verba ne ita explicentur, quasi temporibus apostolorum nondum exstiterit episcopatus monarchicus, de quo episcopatu Hieronymus ait: «Certe in una civitate plures, ut nuncupantur, episcopi esse non poterant» (In Tit. 1, 5). Secundum eum temporibus apostolorum episcopi monarchici fuerunt Iacobus, «frater Domini», Ierosolymis, Linus Romae, Polycarpus Smyrnae, Papias Hierapoli, alii aliis locis (De vir. ill. 2, 15 17 sq). Immo generaliter ait apostolos «per singulas provincias presbyteros et episcopos ordinasse» (In Matth. 25, 26). d) Quod ait occasione factionum corinthiarum in toto orbe decretum esse, ut unus fieret episcopus, est fictio, ut recte iudicat *L. Sanders* (Études sur St. Jérôme, Bruxelles 1903, 327 sq). Ceterum Hieronymus ipse in Tit. 3, 13 ait ante illas factiones Apollo fuisse Corinthi episcopum, occasione factionum urbem reliquisse, postea vero a Creta illuc rediisse. e) Quod narrat de ecclesia alexandrina, potest sic intellegi: in illa ecclesia soli presbyteri excluso populo episcopum eligebant unum de gremio suo (cf. *Epiph.*, Haer. 49, 11). Sed haec res est obscura.

Saeculo IV medio orta est haeresis *Aërii* de aequalitate episcoporum et presbyterorum, quam doctrinam ut stoliditatis plenissimam *S. Epiphanius* impugnat (Haer. 75, 1 sqq; cf. *S. Aug.*, De haer. 53).

274. *Obi. II.* Initio religionis christianae erant multae ecclesiae, quae non habebant episcopum. Atqui si ecclesiae possunt esse sine episcopo, episcopatus non est institutio divina sed humana. Ergo episcopi aut consuetudine aut lege humana introducti sunt.

Resp. *Dist. mai.:* Erant initia quaedam communitatum christianarum, quae non habebant episcopum, *conc. mai.;* erant ecclesiae iam perfecte constitutae, quae non habebant episcopum, *neg. mai. Dist. min.:* Si ecclesiae possunt esse perfecte constitutae sine episcopo, episcopatus non est divinitus institutus, *conc. min.;* si possunt solum esse initia communitatum christianarum sine episcopo, *neg. min.* Et *neg. conseq.*

Certe apostoli non statim, quotiescumque aliquo loco quosdam ad fidem converterant, integram hierarchiam ibidem instituebant, sed exspectabant rerum progressum et sufficientem hominum educationem, usquedum illis novis communitatibus ultimam formam imponerent. Eodem modo nunc in missionibus exteris sunt communitates christianae, quibus praeest catechista tantum, aliae habent saltem sacerdotem; in integris regnis vel regionibus non est episcopus, sed «praefectus apostolicus»; postea fiunt «vicarii apostolici», qui habent ordinem episcopalem et titulum alicuius ecclesiae exstinctae, sed in missionibus habent iurisdictionem delegatam tantum a romano pontifice; tandem rebus omnibus maturatis instituitur hierarchia integra et ordinaria. Similiter aetate apostolorum erant «ecclesiae domesticae» sine ullo sacerdote, vel ecclesiae urbanae et regionales cum solis sacerdotibus, quarum supremum regimen apostoli sibi reservaverant. Sed quando singulae ecclesiae se ad debitum statum evolverant, iis episcopos praeponebant. Haec igitur non est mutatio essentialis constitutionis ecclesiae sed progressus a statu imperfecto ad statum perfectum ab initio intentum. Prisci illi testes, Ignatius, Hegesippus, Polycrates, Irenaeus nihil sciunt de mutatione introducta, sed episcopatum habent institutum ad conservandam rectam doctrinam et ad ecclesiam regendam inde ab apostolorum temporibus necessarium.

275. *Obi. III.* Olim episcopi a populo eligebantur. Atqui qui eligitur, totam potestatem suam accipit ab eligente. Ergo potestas episcopalis olim conferebatur a populo.

Resp. *Dist. mai.:* Aliquibus locis in vetere ecclesia populi iudicium exquirebatur de dignitate eligendorum, *conc. mai.;* umquam populus sua electione contulit potestatem vel ordinis vel iurisdictionis, *neg. mai. Dist. min.:* Qui electione ipsa fit episcopus, accipit potestatem ab eligente, *trans. min.;* qui electione declaratur gratus et dignus munere, *neg. min.* Et *neg. conseq.*

In S. Scriptura ministri sacri dicuntur institui ab apostolis vel ab apostolorum adiutoribus (Act 14, 22. Tit 1, 5). Semel rogatur iudicium populi de bona fama instituendorum (Act 6, 7). Secundum *Clementem Rom.* (1 Cor. 44) primi episcopi constituti sunt ab apostolis, «vel deinceps ab aliis viris eximiis consentiente universa ecclesia». Secundum *S. Cyprianum* «diligenter de traditione divina et apostolica observatione servandum est et tenendum, quod apud nos quoque et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, episcopi eiusdem provinciae proximi quique conveniant, et episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit et uniuscuiusque actum de eius conversatione perspexit» (Ep. 67, 5 [ed. *Hartel*]). *Concilium nicae-*

num I, can. 4, statuit episcopum ab omnibus eiusdem provinciae episcopis aut saltem a tribus ordinandum esse consentientibus ceteris (*Kirch,* Enchir. n. 364). *Concilium constantinopolitanum IV* post act. 10 can. 22 statuit promotiones et consecrationes episcoporum fieri electione et decreto episcoporum collegii sine laicorum intercessione. Saeculo XII ius eligendi episcopum datum est capitulo ecclesiae cathedralis (Decr. Greg. IX, l. 1, tit. 6, c. 14; Conc. later. II, can. 28). Secundum ius commune nostra aetate designatio personae fit libera collatione romani pontificis, sed hoc ius in variis regionibus varias modificationes patitur.

Schol 1. Varii errores, ab ecclesia damnati, de collatione potestatis ecclesiasticae.

276. Saeculo XIV *Marsilius Patavinus* in «Defensore pacis» docet omnem potestatem ecclesiasticam residere in populo christiano et ab eo seu ab imperatore ut repraesentante populi conferri praepositis ecclesiasticis, ita ut imperator possit etiam summum pontificem instituere et deponere, cum tota hierarchia voluntate humana tantum instituta sit. Quae doctrina ut haeretica damnata est a *Ioanne XXII* (*Denz.* n. 495 sqq; cf. 1719).

Eundem errorem renovaverunt haeresiarchae saeculi XVI, ut *Lutherus* in libro «De missa privata» et *Calvinus* (Instit. 4, 3 sq). Hi dixerunt omnes christianos esse aequaliter sacerdotes, sed cum non omnes possint ministerio verbi vacare, a populo vel a magistratu vocari quosdam ad hoc munus, quorum auctoritas unice ex hac vocatione derivetur. Hunc errorem damnavit *concilium tridentinum*, sess. 23, c. 4 et can. 1 7 (*Denz.* n. 960 sq 967).

Saeculo XVII *Edmundus Richer* in libello «De ecclesiastica et politica potestate» docuit plenitudinem ecclesiasticae potestatis esse prius in tota ecclesia, dein in episcopis et presbyteris omnibus simul sumptis, singulos vero accipere certum ambitum potestatis ex deputatione, ipsum summum pontificem esse solum caput ministeriale ecclesiae, subiectum collegio episcoporum. Postea *van Espen, Febronius, pistorienses,* alii similia docuerunt (cf. *Wilmers,* De eccl. 239 sqq). Haec doctrina, quae maxime placuit gallicanis, iansenistis, iosephinistis, saepius damnata est (cf. *Denz.* n. 1502 sq cum nota). Nihilominus modernistae hunc errorem innovaverunt (*Denz.* n. 2091 sqq).

Schol. 2. De gradibus hierarchicis ab ecclesia institutis.

277. In *hierarchia ordinis* praeter tres gradus a Christo institutos episcopatus, presbyteratus, diaconatus sunt alii ordines, quos theologi nunc communius censent esse ab ecclesia institutos: subdiaconatus, acolythatus, exorcistatus, lectoratus, ostiariatus, de quibus agitur in tractatu de sacramento ordinis.

In *hierarchia iurisdictionis* duo tantum sunt gradus a Christo instituti: primatus et episcopatus. Itaque quicumque praeter summum pontificem et praeter episcopos habent iurisdictionem in ecclesia, sive

ordinariam sive delegatam, eam habent non vi institutionis divinae sed vi legis vel consuetudinis ecclesiasticae. Infra episcopos iurisdictionem in foro interno ordinariam seu vi muneris habent parochi. Sed primis tribus saeculis parochi nulli erant in ecclesia; inde fere a saeculo V ecclesiae quaedam rurales factae sunt veri nominis parochiae, et inde a saeculo XI etiam in civitatibus episcopalibus parochiae erigi coeptae sunt (cf. *I. Laurentius,* Instit. iur. eccl., n. 203 sq). At ne nunc quidem repugnat esse dioeceses, in quibus episcopus est unicus verus parochus, alii vero sacerdotes eius adiutores, ab eo delegati, quia totum institutum parochorum est iuris ecclesiastici. Sententia gallicanorum et iansenistarum, secundum quam parochi non minus quam episcopi iure proprio sunt iudices fidei et rectores ecclesiarum, reiecta est a *Pio VI* (*Denz.* n. 1509 sqq).

Supra episcopos sunt archiepiscopi, patriarchae, alii, quorum dignitas vel potestas partim naturali quodam progressu, partim legislatione ecclesiastica orta est et a summo pontifice ob iustas causas abrogari vel mutari potest. De his omnibus agitur in iure canonico.

Prop. XXXV. Episcopi iure divino in suis dioecesibus habent iurisdictionem fori interni et externi, et sunt magistri authentici; nihilominus singuli non sunt magistri infallibiles, sed infallibilis est solum tota ecclesia docens, i. e. collegium episcoporum sub suo capite romano pontifice.

278. **Stat. quaest.** Diximus episcopos esse successores apostolorum in munere pastorali. Iam paulo accuratius hoc munus pastorale episcoporum determinandum est, quia de hac re variae quaestiones oriri possunt et ortae sunt. Imprimis videndum est, quid in munere episcopali sit iuris divini, et quid iuris ecclesiastici. Non agitur de potestate ordinis; hanc enim potestatem episcopi accipiunt consecratione, i. e. sacramento ordinis a Christo instituto, cuius supremus gradus est episcopatus. Consequenter haec potestas immediate confertur a Deo neque ullo modo limitari potest, sed ex opere operato adest, ut exponitur in tractatu de sacramentis. Aliter res se habet quoad potestatem iurisdictionis, et de hac unice quaeritur. Possumus eam distinguere in potestatem regendi et potestatem docendi. Sic thesis habet varias partes.

279. **Prob. pars I.** a) *Episcopi in sua quisque dioecesi habent iurisdictionem.* Apostoli indeterminate ad omnes homines missi erant, et ubique poterant praedicare et iurisdictionem exercere. Non sic episcopi. Supra quidem (n. 213) diximus obscuritatem quandam esse in modo, quo loquatur Scriptura de episcopis et presbyteris. Ex altera parte Scriptura non ambigue testatur iam ab apostolis assignatos esse singulis ecclesiis praepositos, qui suam quisque ecclesiam regerent. «Cum

constituissent per singulas ecclesias presbyteros . . .» (Act 14, 22). «Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam Dei» (Act 20, 28). «Rogavi te, ut remaneres Ephesi» (1 Tim 1, 3). «Reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi. Si quis sine crimine est . . . oportet enim episcopum sine crimine esse» (Tit 1, 5 sqq). «Pascite, qui in vobis est, gregem Dei» (1 Petr 5, 2). Unde S. Ioannes loquitur de angelo Ephesi ecclesiae, de angelo Smyrnae ecclesiae etc. (Apc c. 2)

Similiter SS. Patres, quorum testimonia quaedam audivimus in praecedenti thesi, constanter docent episcopi esse suam ecclesiam regere, «cum singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque et gubernet» (*S. Cyprian.*, Ep. 58, n. 14 [ed. *Hartel*]). Quare *S. Augustinus* ait ad se non pertinere «curam propriam nisi hipponensis ecclesiae. . . . In aliis autem civitatibus tantum agimus, quod ad ecclesiam pertinet, quantum vel nos permittunt vel nobis imponunt earundem civitatum episcopi» (Ep. 34, n. 5). *Concilium vaticanum* sess. 4, c. 3 de episcopali iurisdictione ait: «qua episcopi . . . tamquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt» (*Denz.* n. 1828). Ideo episcopis officium incumbit residendi in dioecesibus suis (quae olim parochiae vocabantur). Hoc officium inculcatur multis canonibus ecclesiasticis, quos canones renovavit *concilium tridentinum* simul cum sanctionibus in neglegentes statutis (sess. 6, c. 1 de reform.).

b) *Episcopi iure divino constituti sunt.* Itaque non, sicut parochi, iure humano sunt in ecclesia sed voluntate Christi, ut romanus pontifex non possit regere ecclesiam per se et suos delegatos sine episcopis ordinariis. Quae fuerit voluntas Christi, inde discimus, quod ex una parte Christus est auctor ecclesiae et constitutionis eius, et ex altera parte ecclesia numquam fuit sine episcopis. Nisi Christus voluisset, ut ecclesia ab episcopis regeretur, intellegi non posset, cur ecclesia iam inde a primo saeculo ubique constitutionem episcopalem habuisset, et cur hanc constitutionem divinitus datam considerasset. «Vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei» (Act 20, 28). Christus «ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores» (Eph 4, 11). Sicut igitur Christus elegerat apostolos et eorum adiutores (prophetas et evangelistas) ad fundandas ecclesias, ita ad regendas ecclesias iam fundatas posuit pastores et doctores, quod duplex munus primo et principaliter convenit episcopis. In Apocalypsi Ioannis in visione apparet Christus, habens «in dextera sua stellas septem», et ait: «Sacramentum septem stellarum. . . . Septem stellae angeli [episcopi] sunt septem ecclesiarum» (Apc 1, 16 20). Etiam his verbis et sequentibus indicatur Christum velle, ut in ecclesia sint episcopi, qui regimen et curam singularum ecclesiarum habeant. Propterea SS. Patres docent

episcopos ex Dei mandato ab apostolis constitutos esse. *S. Clemens Rom.* (1 Cor. 43): «Et quid mirum eos [apostolos], quibus in Christo a Deo hoc munus commissum fuit, praedictos [episcopos] constituisse.» *S. Ignatius M.* (Eph. 6, 1) ait: «Quemcumque paterfamilias [Christus] mittit ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus ut illum ipsum, qui mittit. Manifestum igitur est, quod episcopum respicere oporteat ut ipsum Dominum.» *S. Cyprianus* inculcat: «Episcopos et praepositos Dominus elegit.» Nihil «audere contra Deum possumus, qui episcopos facit» (Ep. 3, 3 [ed. *Hartel*]). Similiter alii Patres. De hac re consentiunt theologi. *Concilium vaticanum* docet: «Tantum abest, ut haec summi pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua episcopi, qui, positi a Spiritu Sancto, in apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur» (sess. 4, c. 3; *Denz.* n. 1828).

c) *Episcopis iurisdictio probabilius confertur a summo pontifice.* De hac re est duplex theologorum sententia. Alii volunt non solum episcopatum institutum esse a Christo, sed cuivis etiam episcopo in ordinatione immediate a Christo conferri iurisdictionem episcopalem in actu primo, exercitium vero huius iurisdictionis in actu secundo pendere a summo pontifice. In concilio tridentino maxime hispani hanc sententiam defendebant, contra quos disputavit *Lainez* (cf. *Grisar,* Iacobi Lainez disputationes tridentinae I, 31* 190 sqq). Etsi Lainez vi argumentorum suorum multos theologos attraxit ad suam sententiam, quidam tamen etiam postea defenderunt iurisdictionem episcoporum immediate a Deo conferri, idque in ipsa consecratione (*Wirceburg.,* De leg. n. 103 sqq). Sed haec sententia est improbabilis, quia per consecrationem ipsam episcopus non accipit determinatos subditos vel determinatam dioecesim. Nam consecratio episcopi est valida, etsi episcopus est nullius dioecesis et nullam accipit iurisdictionem. Christus quidem omnibus apostolis immediate dedit iurisdictionem. At non omnia privilegia apostolorum ad episcopos transierunt. Immo cum in ecclesia adsit summus pontifex, cuius potestas sufficit ad iurisdictionem episcopis conferendam, immerito recurritur ad Deum ipsum, qui non solet sine concursu causarum secundarum producere effectus, ad quos producendos causae secundae aptae sunt. Si romanus pontifex confert iurisdictionem, facile intellegitur, quomodo eam possit amplificare, restringere, auferre, quod eum posse nemo negat. Haec est doctrina *S. Thomae* (In Matth. 16, 2), *Bellarmini* (De rom. pont. 4, 24), *Suaresii* (De leg. 4, 4), multorum aliorum theologorum. Quare *Benedictus XIV* ait: Haec sententia «et rationi et auctoritati conformior videtur» (De syn. l. 4, n. 2). *Pius VI* in constitutione «Super soliditate» d. 28. Nov. 1786 eandem doctrinam proponit (*Denz.* n. 1500). Accedunt multae conciliorum provincialium declarationes (cf. *Wernz,* Ius

decret. II, n. 737). Itaque haec doctrina nunc communiter recepta, non tamen contraria damnata est. Plura apud *Wilmers,* De eccl. 355 sqq.

Actus, quo summus pontifex episcopis potestatem confert, vocatur *iniunctio;* est enim iniunctio actus voluntatis, quo superior alicui imponit curam regendi alios. Duo hoc actu efficit pontifex: episcopo imponit munus regendi cum annexis iuribus et oneribus, eumque facit principem ecclesiasticum; fideles vero alicuius territorii facit subditos eius, iisque praecipit oboedientiam erga episcopum. Itaque in iniunctione effectus producitur immediate voluntate humana, in consecratione vero episcopi effectus (character et gratia) producitur immediate voluntate divina; in consecratione minister adstringitur ritibus sacramentalibus a Christo institutis, in iniunctione vero nullus determinatus ritus necessarius est, sed quivis modus conveniens eligi potest.

d) *Episcopus habet iurisdictionem in foro interno et externo.* Ad forum internum maxime pertinet sacramentum paenitentiae. Itaque episcopus potest omnes suos subditos absolvere et aliis sacerdotibus dare facultatem eos absolvendi sacramentaliter. Praeterea ad forum internum pertinent causae omnes spirituales singulorum fidelium, quae non sacramentaliter expediuntur, ut e. g. ea, quae pertinent ad vota privata. Itaque intra et extra sacramentum episcopus habet iurisdictionem fori interni in suos subditos intra eos limites, quos vel ius commune vel specialis ordinatio summi pontificis statuit.

Iurisdictio fori externi proxime respicit bonum publicum. Providetur autem bono publico per leges, per iudicia, per sanctiones, per visitationes, per administrationem bonorum, per alia, quae exponuntur in iure canonico, quare hic ea indicasse sufficiat.

280. **Prob. pars II.** a) *Episcopi in suis dioecesibus sunt magistri authentici.* Magister seu doctor authenticus is est, qui vi muneris constitutus est ad proponendam cum auctoritate doctrinam ecclesiae. Itaque non ratione singularis eruditionis, non propter efficacia argumenta, quae affert, episcopus, proponens doctrinam christianam, audiendus est, sed quia cum auctoritate docet, ad hoc missus immediate a summo pontifice et mediate a Christo ipso. SS. Patres, ut vidimus (n. 271), hoc maxime efferunt per episcopos servandam esse in ecclesia traditionem apostolicam. Iam in S. Scriptura monentur episcopi, ut diligenter servent sanam doctrinam (Tit 1, 9), et vituperantur, qui neglegentes sunt in hoc officio (Apc 2, 14 sqq 20). *Concilium tridentinum* monet: Quia praedicatio evangelii «est praecipuum episcoporum munus, statuit et decrevit eadem sancta synodus omnes episcopos . . . teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad praedicandum sanctum Iesu Christi evangelium» (sess. 5, c. 2 de reform.; cf. sess. 24, c. 4 de reform.). Episcoporum quoque est cavere, ne falsae doctrinae irrepant; et ideo in dioecesibus suis et vi muneris ordinarii et ut delegati sedis aposto-

licae interdicere possunt vel etiam debent libros, quos fidei vel bonis moribus nocivos iudicant; et censura librorum edendorum de materia fidei et morum ad eos pertinet. Hoc officium gravissimis verbis inculcat *Pius X* in fine encyclicae «Pascendi». Itaque patet, quo sensu episcopi sint doctores authentici.

b) *Singuli episcopi non sunt magistri infallibiles.* S. Paulus, alloquens episcopos, quos Miletum vocaverat, ait: «Ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se» (Act 20, 30). Idem scribit ad Timotheum: «Ineptas et aniles fabulas devita.... Stultas autem et sine disciplina quaestiones devita» (1 Tim 4, 7 [cf. 6, 20]. 2 Tim 2, 23). Similiter ad Titum (1, 5 sqq; 2, 7; 3, 9). Atqui nemo sic alloquitur homines in docendo infallibiles. Praeterea historia testis est episcopos quosdam factos esse doctores haereticos, ut Paulum Samosatenum, Nestorium, tot episcopos arianos. Etiam inter catholicos nonnulli episcopi errores docuerunt, ut e. g. S. Cyprianus et alii episcopi africani de rebaptizandis haereticis. Ceterum in ecclesia semper admissum est singulos episcopos, etiam in rebus fidei et morum, errare posse. Cf. prop. 6 et 85 synodi pistoriensis (*Denz.* 1506 1593), quae synodus cum multis suis erroribus est confirmatio doctrinae de fallibilitate singulorum episcoporum.

c) *Collegium episcoporum sub romano pontifice, seu ecclesia docens, est infallibilis.* Probavimus enim Christum instituisse magisterium infallibile (n. 186 sqq) et voluisse, ut hoc magisterium usque ad finem mundi permaneret (219 sqq). Ergo cum singuli episcopi non sint infallibiles, saltem integrum collegium debet esse infallibile, ut sit «ecclesia Dei vivi columna et firmamentum veritatis» (1 Tim 3, 15). Nam si totum collegium episcoporum falsam doctrinam in rebus fidei et morum proponeret, aut tota ecclesia erraret, si episcopos sequeretur, aut ecclesiae unitas destrueretur, si grex contra pastores rebellaret. Neque sic impleretur, quod Christus promisit: «Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi» (Mt 28, 20), neque Spiritus veritatis maneret cum ecclesia, neque eam induceret in omnem veritatem (Io 14, 16 sqq; 16, 12 sq); et portae inferi contra ecclesiam praevaluissent. Quod cum fieri non possit, ecclesia docens est infallibilis in proponenda et explicanda doctrina revelata et in reiciendis oppositis erroribus. De qua re a. 476 scribit *S. Simplicius* pontifex: «Perstat in successoribus suis haec et eadem apostolicae norma doctrinae, cui Dominus curam totius ovilis iniunxit, cui se usque in finem saeculi minime defuturum, cui portas inferi numquam praevalituras esse promisit, cuius sententia quae ligarentur in terris, solvi testatus est non posse nec in caelo. . . . Quod apostolicis manibus cum ecclesiae universalis assensu acie meruit evangelicae falcis abscidi, vigorem sumere non potest renascendi; nec in dominicae vitis fructivam valet redire propaginem, quod igni deputatum constat aeterno» (*Denz.* n. 160). Quomodo vero ecclesia infallibili magisterio fungatur, postea videbimus (n. 304 sqq).

281. *Obi. I.* Primis temporibus illi, qui dicuntur episcopi fuisse, ut Timotheus, Titus aliique, non erant alligati ad unum locum, sed variis locis munera apostolica obibant, ut narratur e. g. in Act 18, 5; 19, 23; 20, 4; 2 Tim 4, 8 10. Ergo episcopi certas sedes habentes non pertinent ad primitivam ecclesiae constitutionen.

Resp. *Trans. antec.; neg. conseq.* Poterant enim Timotheus, Titus aliique prius esse simplices adiutores apostolorum in laboribus apostolicis et postea demum fieri episcopi. Poterant etiam illi, qui iam erant episcopi, ab apostolis ad missiones extraordinarias mitti. In his igitur non potestate ordinaria utebantur sed delegata, quemadmodum nostra aetate vicarii apostolici. Fuisse autem inde a temporibus apostolorum episcopos pastores animarum, quibus cura determinati gregis commissa erat, argumentis certis probavimus.

282. *Obi. II.* Quae divinitus instituta sunt, immutabilia sunt. Atqui iurisdictio episcoporum est mutabilis. Ergo divinitus instituta non est.

Resp. *Dist. mai.:* Divinitus instituta sunt immutabilia praecise eo ambitu, quo divinitus instituta sunt, *conc. mai.;* ulterius, *neg. mai.* *Dist. min.:* Iurisdictio episcoporum est mutabilis, quatenus possunt esse aut non esse in ecclesia, qui vi muneris ordinarii singulas partes dominici gregis pascunt tum suprema ordinis potestate tum potestate iurisdictionis in foro interno et externo, *neg. min.;* potest episcoporum iurisdictio manente substantia multis modis mutari, *conc. min.* Et *dist. conseq.:* Potestas episcopalis quoad substantiam non est divinitus instituta, *neg. conseq.;* quoad alia, *conc. conseq.* Quae vero essentialiter pertineant ad iurisdictionem episcopalem, et quae sint mutabilia, docetur in iure canonico. Essentiale est episcopo, ut habeat gregem proprium seu dioecesim propriam. Utrum vero grex sit maior an minor; utrum plures an pauciores dioeceses sint in mundo, non est de essentia episcopatus. Similiter essentiale est episcopo, ut possit absolvere subditos a peccatis; potest nihilominus romanus pontifex quosdam casus speciales sibi reservare. Idem dicendum est de causis, quae pertinent ad forum externum.

283. *Obi. III.* Episcopi sunt successores apostolorum. Atqui apostoli immediate a Christo acceperant iurisdictionem. Ergo eodem modo episcopi accipiunt, et ideo dicuntur positi a Spiritu Sancto.

Resp. *Dist. mai.:* Episcopi sunt successores apostolorum in munere ordinario regendi ecclesiam, *conc. mai.;* in omnibus omnino praerogativis, *neg. mai.* *Conc. min.* *Dist. conseq.:* Episcopi accipiunt iurisdictionem a Christo et sunt positi a Spiritu Sancto, quatenus episcopatus est divinitus institutus, et vi huius institutionis valide confertur a romano pontifice, *conc. conseq.;* quatenus Christus singulis immediate confert iurisdictionem, non per romanum pontificem, *neg. conseq.* In consecratione quidem episcopi Deus ut causa principalis immediate imprimit characterem et confert gratiam. At hoc solo nondum est quis perfectus episcopus, sed assignandus est grex et conferenda potestas in gregem, id quod fit actu voluntatis romani pontificis. Solummodo in eo casu, in quo iurisdictio papae est dubia et simul adest titulus coloratus et error communis, censendus est Deus supplere in necessariis iurisdictionem obiective invalidam, ut in similibus casibus canonistae et moralistae docent de iurisdictione dubia parochi vel confessarii supplenda per

ecclesiam. Sed hic est casus extraordinarius, secundum quem diiudicanda non sunt ea, quae regulariter fiunt in ecclesia (cf. *Wilmers,* De eccl. 257 365 sq).

284. *Obi. IV.* Ecclesia veteris Testamenti seu synagoga conservabat et tradebat doctrinam revelatam. Atqui synagoga non habebat magisterium infallibile; nam summus sacerdos et ceteri magistri reicerunt verum Messiam, et totum populum in errorem induxerunt. Ergo ad revelationem conservandam et tradendam non requiritur magisterium infallibile.

Resp. *Nego suppositum totius argumenti.* Neque enim ex eo argumentati sumus, quod Deus non possit multis modis providere revelationis conservationi et traditioni, sed ex eo, quod Christus reapse instituit magisterium, cui omnes se subicere debent. Synagoga erat inferior ecclesia, maxime ratione magisterii. In vetere Testamento communi populo pauca erant fide divina credenda, ut Deus unus, creator et gubernator omnium, et futurus Messias. Ad haec pauca docenda sufficiebat magisterium aaroniticum fallibile. Si ordinarii pastores officio suo deerant, mittebat Deus prophetas, qui sacerdotes et populum in rectam viam reducerent. Sic per pastores ordinarios et extraordinarios sufficienter provisum erat ecclesiae illi praeparatoriae, usquedum veniret Messias, qui omnia ad perfectionem adduceret, et ipse perenniter in ecclesia permanens, magisterium perpetuum infallibilitatis praerogativa donaret.

285. *Obi. V.* Cum homines per se non sint infallibiles, episcopis, ut fierent permanenter infallibiles, esset aliquis supernaturalis habitus infundendus. Atqui hoc inauditum est, neque intellegitur, quid sit. Ergo admittendum non est.

Resp. *Neg. mai.* Infallibilitas non est qualitas ecclesiae docenti inhaerens sed externa assistentia Spiritus Sancti, ecclesiam dirigentis et caventis, ne per eam umquam falsum pro vero proponatur. Iuvat igitur Spiritus Sanctus variis auxiliis, ut ecclesia docens verum percipiat et proponat, et impedit, ne errorem admittat et doceat. Utrumque potest efficere et efficit sine habitu infuso infallibilitatis. Hic influxus neque revelatio est neque inspiratio proprie dicta neque quidquam, quo episcopi fiant pura instrumenta Spiritus Sancti, sed ecclesia in exercitio magisterii est causa principalis actuum suorum.

ARTICULUS II.

DE ROMANO PONTIFICE.

Cf. *Bellarminus,* De romano pontifice; *Suarez,* De fide disp. 10; *P. Ballerini,* De vi ac ratione primatus romanorum pontificum; *D. Palmieri,* De romano pontifice [3], Romae 1902; *T. W. Allies,* The See of S. Peter, London 1866; *I. Ottiger,* De ecclesia Christi 526 sqq.

Prop. XXXVI. Romanus pontifex est successor Sancti Petri in primatu.

286. ***Stat. quaest.*** Sicut collegium episcoporum succedit collegio apostolorum in munere regendi singulas ecclesias, ita romanus pontifex succedit S. Petro in munere primatiali, quod refertur ad totam ecclesiam. Iesus Christus constituit S. Petrum caput apostolorum eique contulit munus regendi omnes oves Christi (supra n. 193 sqq). Simul

voluit, ut hic Petri primatus in perpetuum maneret in ecclesia (supra n. 220); de modo autem, quo transferendus sit, nihil dicitur in S. Scriptura. Historice vero constat primatum semper annexum fuisse sedi romanae, ita ut qui episcopus romanus fieret, eo ipso esset summus pontifex seu primas et successor S. Petri.

Iam supra (n. 201) annotavimus dogma primatus, sicut alia dogmata ecclesiae, tum quoad perfectam cognitionem et doctrinalem expositionem tum quoad usum practicum habere suam historiam et progressum. Unde non omnes quaestiones incidentes primis saeculis theoretice et practice iam perfecte solutae erant. Sufficit, ut ecclesia semper agnoverit principium dogmaticum, quo nititur primatus romanus.

Quod argumenta attinet, alia sunt dogmatica, alia historica. Cum ecclesia sit infallibilis in rebus fidei et morum (supra n. 280 *c*), romanus pontifex est primas, si id ecclesia docuit. Argumentis vero historicis simul ostenditur, quomodo primatus a S. Petro transierit ad romanos pontifices. Etsi haec altera quaestio cum certitudine solvi non posset, inconcussa maneret demonstratio ipsius facti ex consensu ecclesiae. Unde haec res non pendet ex quaestione, num Petrus Romae fuerit et ut episcopus huius ecclesiae mortuus sit; nam absolute fieri potuit, ut S. Petrus nullam sedem sibi eligeret, sed solum significaret, quomodo post mortem suam primatus ad successores transferendus esset.

Primatum romanum aut negant aut solum honoris primatum concedunt, quicumque non sunt catholici; nam omnis christianus, qui primatum theoretice et practice agnoscit, eo ipso est catholicus; qui negat, eo ipso non est catholicus.

287. ***Arg. I.*** **Ex voluntate Christi.**

Voluntas Christi primatum instituentis et perpetuum esse volentis non potuit effectu carere. Atqui nisi romanus pontifex esset successor S. Petri in primatu, voluntas Christi effectu careret. Ergo romanus pontifex est successor S. Petri in primatu.

Prob. min. Nullus praeter romanum pontificem umquam in ecclesia agnitus est successor S. Petri in primatu; immo nullus umquam alius episcopus hanc dignitatem sibi attribuere ausus est. Ergo aut nullus est successor S. Petri in primatu, aut est romanus pontifex; illud est falsum, ergo hoc est verum. Fuerunt qui dicerent se esse romanos pontifices, cum non essent (antipapae). Haec res non tangit quaestionem iuris de necessitate perpetuitatis primatus, sed respicit quaestionem facti, quis illis temporibus fuerit verus primas. Multi negant a Christo institutum esse primatum, sed haec quaestio supponitur hic soluta. Neque negare possunt per multa saecula a tota ecclesia agnitum esse primatum a Christo institutum. Ergo quia tota ecclesia in re dogmatica errare nequit, primatus est a Christo institutus; et consequenter romanus pontifex est successor S. Petri in primatu.

288. ***Arg. II.*** **Ex consensu ecclesiae.**

Romani pontifices sibi semper attribuerunt successionem in primatu S. Petri, et ecclesia hanc doctrinam agnovit. Atqui non potest tota ecclesia errore esse decepta in hac doctrina. Ergo verum est romanum pontificem esse successorem S. Petri in primatu.

Prob. mai. pars I. Romani pontifices sibi attribuerunt primatum. Primo saeculo circa a. 96, *S. Clemens Rom.* (teste Eusebio, H. E. 3, 16 38) cum magna auctoritatis significatione monuit corinthios, ut perturbationes in ipsorum ecclesia ortas componerent. «Ut vos officii vestri admoneamus, scribimus» (1 Cor. 7, 1). «Turpia, fratres, turpia valde auditu sunt et christiana vivendi ratione indigna, quae comperimus; firmissimam et antiquam corinthiorum ecclesiam propter unum aut alterum hominem seditionem movere contra presbyteros» (ibid. 47, 6). «Sin quidam non obtemperaverint iis, quae ille [Christus] per nos dixit, cognoscant offensioni et periculo non parvo sese implicaturos esse, nos autem innocentes erimus ab hoc peccato» (ibid. 59, 1 sq). «Gaudium et laetitiam nobis praestabitis, si oboedientes facti iis, quae scripsimus per Spiritum Sanctum, resecetis illegitimum zeli vestri studium secundum exhortationem, quam de pace ac concordia fecimus in hac epistula» (ibid. 63, 2; cf. *Denz.* n. 41). Ita non loquitur, nisi qui auctoritatem sibi in eos adscribit, ad quos loquitur. Unde ecclesia romana auctoritatem in corinthios sibi attribuit, et eam quidem, qua habeat ius et officium docendi et dirigendi corinthios et postulandi ab iis oboedientiam sub poena peccati. Talem auctoritatem ecclesia romana habere non poterat, nisi eam a Deo acceperat. Unde et quomodo acceperit, in epistula non indicatur.

Saeculo secundo *S. Victor I* (189—199) contra usum «quartodecimanorum» (i. e. celebrantium Pascha a die 14 mensis Nisan) scripsit (teste Eusebio, H. E. 5, 24) epistulam ad Polycratem, episcopum ephesinum, eumque monuit convocare episcopos Asiae minoris iisque iniungere, ut se usui romano accommodarent, minatus se excommunicaturum inoboedientes, a qua quidem excommunicatione destitit, rogatus a S. Irenaeo et aliis (cf. *Kirch,* Enchir. n. 84 sqq). Ergo S. Victor sibi auctoritatem attribuit in illas ecclesias.

Saeculo tertio *S. Callistus* (217—222) statuit etiam moechiae et fornicationis peccata paenitentibus esse remittenda. Quare *Tertullianus* verbis ironicis eum prosequens, ait: «Audio etiam edictum esse propositum et quidem peremptorium. Pontifex scilicet maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit: Ego et moechiae et fornicationis delicta paenitentia functis demitto» (De pud. 1). «Bonus pastor et benedictus papa contionaris» (ibid. 13). «Exhibe igitur et nunc mihi, apostolice, prophetica exempla. . . . De tua nunc sententia quaero, unde hoc ius ecclesiae usurpes. Si, quia dixerit Petro Dominus: ‚Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, tibi dedi claves regni caelestis‘; vel ‚Quaecumque alligaveris vel solveris in terra, erunt alligata vel

soluta in caelis' [Mt 16, 18 sq], idcirco praesumis et ad te derivasse solvendi et alligandi potestatem, i. e. ad omnem ecclesiam Petri propinquam, qualis es, evertens atque commutans manifestam Domini intentionem, personaliter hoc Petro conferentem? . . . Quid nunc et ad ecclesiam, et quidem tuam, psychice?» (ibid. 21). Itaque «psychicorum», i. e. catholicorum, doctrina erat Christum aedificasse ecclesiam suam supra Petrum, et a Petro potestatem ligandi et solvendi descendisse ad eius successores romanos pontifices et ad «omnem ecclesiam Petri propinquam». — Eodem saeculo *S. Stephanus* papa († 257) reiecit Cypriani et multorum aliorum episcoporum africanorum et asiaticorum doctrinam de rebaptizandis haereticis, et ecclesia non Cyprianum aliosque episcopos sed Stephanum secuta est.

Saeculo quarto *S. Siricius* anno 385 ad Himerium, episcopum tarraconensem scribit: «Consultationi tuae responsum competens non negamus, quia officii nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis christianae religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium, qui gravantur; quin immo haec portat in nobis beatus apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suae protegit et tuetur heredes» (*Denz.* n. 87).

Saeculo quinto *S. Innocentius I* ad concilium carthaginiense (a. 417) scribit: «Ad nostrum referendum esse approbastis iudicium, scientes, quid apostolicae sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus apostolum [Petrum], debeatur, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis huius emersit. . . . [Patres] non humana sed divina decrevere scientia, ut quidquid, quamvis de disiunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad huius sedis notitiam perveniret, ut tota huius auctoritate, iusta quae fuerit, pronuntiatio firmaretur» (*Denz.* n. 100). Anno 418 iterum ad episcopos africanos *S. Zosimus* scribit: «Quamvis patrum traditio apostolicae sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de eius iudicio disceptare nullus auderet, idque per canones semper regulasque servaverit, et currens adhuc suis legibus ecclesiastica disciplina Petri nomini, a quo ipsa quoque descendit, reverentiam, quam debet, exsolvat: . . . cum ergo tantae auctoritatis Petrus caput sit, . . . tamen cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia, nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris ultro litteris referremus» (*Denz.* n. 109).

Multi alii pontifices eadem docuerunt, ut *S. Leo I* (*Kirch,* Enchir. n. 810 sqq), *S. Gelasius I* (*Denz.* n. 163), *Pelagius I* (*Denz.* n. 230), *Adrianus I* (*Denz.* n. 298), *S. Nicolaus I* (*Denz.* n. 332 sq). Sed haec omittimus, cum nemo negare possit primatum romanum illis temporibus ubique agnitum esse.

289. *Prob. mai. pars II. Ecclesia agnovit primatum romani pontificis.* Hoc iam aliquo modo indicat *S. Ignatius M.,* qui in inscriptione

epistulae ad romanos ait: «Ecclesiae, ... quae praesidet in loco regionis romanorum, digna Deo ... et universo caritatis coetui praesidens.» Hic igitur ecclesia romana dicitur *προκαθημένη τῆς ἀγάπης*. *Προκαθῆσθαί τινος* est praesidere alicui loco vel societati. Cui praesidet ecclesia romana? «Caritati.» *Ἀγάπη* addito nomine *Σμυρναίων*, *Ἐφεσίων* vel alio significat ecclesiam aliquam particularem (cf. Trall. 13, 1). Ergo sine addito potest significare universum coetum fidelium seu ecclesiam universalem. Immo aliud hic significare non potest; nam quod quidam volunt: «ecclesia, quae excellit caritate», admitti nequit, quia *προκαθῆσθαι* cum genetivo non habet hunc sensum, et quia ponitur articulus *τῆς ἀγάπης*.

S. Irenaeus de ecclesia romana ait: «Ad hanc ecclesiam propter potentiorem [potiorem] principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab apostolis traditio» (Contra haer. 3, 3, 2; *Kirch*, Enchir. n. 112). In contextu sermo est de modo cognoscendi veram traditionem apostolicam. Dicit Irenaeus eam cognosci ex serie non interrupta episcoporum, praecipue ex ecclesia romana, ad quam propter eius potentiorem principalitatem omnes fideles convenire, i. e. quacum in fide consentire debeant, ita ut fides romana sit fides totius ecclesiae. Ergo romanae ecclesiae adscribitur singularis auctoritas in universam ecclesiam. Auctoritas autem ecclesiae secundum Irenaeum residet in episcopo. Ergo illa singularis auctoritas est auctoritas pontificis romani.

Eodem saeculo secundo saepius viri illustres Romam venerunt, ut romanum pontificem de rebus fidei et morum consulerent. Ita *Polycarpus* ad Anicetum de quaestione Paschatis (*Euseb.* H. E. 4, 14; cf. *Kirch*, Enchir. n. 87). Ad eundem pontificem venit *Hegesippus*, ut rectam doctrinam investigaret (supra n. 271). *Irenaeus* ad Eleutherum papam profectus est (*Euseb.* 5, 4; *Kirch*, n. 53). *Albercius*, episcopus hieropolitanus, de se ait: «Sanctus pastor [i. e. Christus, me] Romam misit, tum regiam arcem conspicere, tum reginam videre deaurato vestitu, auro calceatam; populum quoque vidi ibi, splendidum signum praeferentem» (*Kirch*, n. 133). Cur hi et alii viri Romam venerunt ob quaestiones fidei et disciplinae, romanus vero pontifex numquam alias ecclesias adiit, ut ab iis edoceretur? Alia ratio non est nisi primatus romanae sedis. Ipsi quoque haeretici studebant ab hac sede agnosci, quia secus suos conatus irritos esse cognoscebant (cf. e. g. *Tertull.*, Adv. Prax. 1). Romae haereses profligatae sunt, romanae disciplinae et doctrinae omnes ecclesiae, quantumvis forte ab initio repugnantes, se conformabant, ut patet ex historia gnosticismi et montanismi, ex quaestionibus de Paschate, de rebaptizandis haereticis etc.

S. Cyprianus rogat Cornelium papam, ne se circumveniri patiatur mendaciis quorundam, qui in Africa damnati, ad romanam sedem

confugerant. «Navigare audent et ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, ab schismaticis et profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse romanos, quorum fides apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum» (Ep. 59, n. 14 [ed. *Hartel*]). Cum de Cornelii pontificis electione falsi rumores in Africa sparsi essent, Cyprianus rei veritate comperta ait: «Factus est autem Cornelius episcopus de Dei et Christi eius iudicio . . . cum Fabiani locus, i. e. cum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret» (Ep. 55, n. 8). Ad Cornelium vero scribit se curasse ad omnes Africae episcopos litteras fieri, «ut te universi collegae nostri et communicationem tuam, i. e. catholicae ecclesiae unitatem, pariter et caritatem probarent firmiter ac tenerent» (Ep. 48, n. 3). Stephanum papam rogat, ut Marcianum, episcopum arelatensem, qui se Novatiano adiunxerat, deponat et excommunicet et curet, ut alius eius loco substituatur (Ep. 68). Concedendum quidem est Cyprianum nusquam clare evolvere vim ac rationem primatus romani, et fortasse neque claram huius rei notitiam habuisse, sed negari nequit secundum eum ecclesiae romanae principalitatem inesse, quae nulli alii ecclesiae conveniat (cf. *Kirch,* Enchir. n. 242 sqq 260).

S. Hieronymus ad Damasum: «Beatitudini tuae, i. e. cathedrae Petri, communione consocior. Super illam petram aedificatam ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est» (Ep. 15). *S. Augustinus* de sede romana ait: «In qua semper apostolicae cathedrae viguit primatus» (Ep. 43, n. 7). *S. Optatus Milevitanus:* «Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus, . . . ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret» (De schism. donat. l. 2, n. 2). Similiter multi alii Patres.

Sed quod etiam maioris momenti est, non singuli tantum doctores, sed etiam concilia universalia eundem primatum agnoverunt. In *concilio ephesino* (act. 3) Philippus, apostolicae sedis legatus, consentientibus patribus dixit: «Nulli dubium, immo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, apostolorum princeps et caput fideique columna et ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo, salvatore humani generis ac redemptore, claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est; qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet» (*Denz.* n. 112). Haec verba a concilio vaticano (sess. 4, c. 2) in definitionem suam recepta sunt (*Denz.* n. 1824). *Concilium chalcedonense* ad Leonem papam scripsit: «Quibus [episcopis concilii] tamquam caput membris praepositus eras» (*Denz.* n. 149). Patres *concilii constantinopolitani III* de Agathone papa dicunt: «Summus nobiscum concertabat apostolorum princeps; illius enim imitatorem et sedis successorem habuimus fautorem et divini sacramenti illustrantem per

litteras . . . et per Agathonem Petrus loquebatur» (*Denz.* n. 288, nota 2). In *concilio nicaeno II* lectae sunt litterae Adriani papae, in quibus ait: «Cuius [Petri] sedes in omnem terrarum orbem primatum tenens refulget, et caput omnium ecclesiarum Dei consistit.» Litteris lectis legati pontificii interrogarunt: «Dicat nobis sancta synodus, si admittit litteras sanctissimi papae senioris Romae, annon.» Synodus respondit: «Sequimur et suscipimus et admittimus» (*Hardouin*, Conc. collect. IV, 102 sq; cf. *Denz.* n. 298). Ut multa alia omittamus, in *concilio lugdunensi II* approbata est professio Michaelis Palaeologi, in qua haec leguntur: «Ipsa sancta romana ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam ecclesiam catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro, apostolorum principe sive vertice, cuius romanus pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit» (*Denz.* n. 466). *Concilium florentinum* in decreto unionis statuit: «Diffinimus sanctam apostolicam sedem et romanum pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum pontificem romanum successorem esse beati Petri, principis apostolorum, et verum Christi vicarium totiusque ecclesiae caput et omnium christianorum patrem ac doctorem exsistere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur» (*Denz.* n. 694).

290. **Conclusiones.** Tandem *concilium vaticanum* doctrinam praecedentium conciliorum repetit et in varias conclusiones colligit:

Prima conclusio: «Quicumque in hac [romana] cathedra Petro succedit, *is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam ecclesiam obtinet.* . . . Si quis ergo dixerit non esse ex ipsius Christi institutione seu iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam ecclesiam habeat perpetuos successores, aut romanum pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem, A. S.» (sess. 4, c. 2; *Denz.* n. 1824 sq). — Itaque eo ipso, quod aliquis legitime eligitur episcopus romanus et consentit, a Christo vi primae institutionis primatum in universam ecclesiam obtinet. Ab hominibus designatur persona eo legitimo modo, qui variis temporibus alius et alius fuit, nunc vero consistit in electione facta per cardinales in conclavi consistentes. Personae designatae a Christo ipso confertur iurisdictio, quia cum nullus homo sit, qui supremam iurisdictionem habeat, neque ullus est, qui eam in alium transferre possit; neque Christus ullum hominem designavit, qui successoribus Petri hanc potestatem conferret. Ut haeretica damnata est a *Pio VI* doctrina, «quae statuit romanum pontificem esse caput ministeriale, sic explicata, ut romanus pontifex non a Christo in persona beati Petri sed ab ecclesia potestatem ministerii accipiat,

qua velut Petri successor, verus Christi vicarius ac totius ecclesiae caput pollet in universa ecclesia» (*Denz.* n. 1503).

Secunda conclusio: «Docemus proinde et declaramus ecclesiam romanam disponente Domino, super omnes alias *ordinariae potestatis* obtinere primatum, et hanc romani pontificis iurisdictionis potestatem, quae vere *episcopalis* est, *immediatam* esse, erga quam cuiuscumque ritus ac dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes officio hierarchicae subordinationis veraeque oboedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen ecclesiae, per totum orbem diffusae, pertinent; ita ut, custodita cum romano pontifice tam communionis quam eiusdem fidei professionis unitate, ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest» (sess. 4, c. 3; *Denz.* n. 1827). — Itaque potestas romani pontificis in universam ecclesiam est *ordinaria* potestas, non delegata; est *episcopalis,* non nudum officium inspectionis et directionis; est *immediata* in omnes episcopos et in omnes eorum subditos. Haec ideo ita se habent, quia Christus Petro commisit munus pascendi omnes oves suas. Atqui hanc esse potestatem ordinariam, per modum muneris collatam, regendi omnes et singulas oves Christi, tum ex verbis ipsis, tum e conciliorum definitionibus, quas citavimus, constat. Differentiam inter iurisdictionem mediatam et immediatam *S. Thomas* ita illustrat: «Constat, quod archiepiscopus non habeat immediatam iurisdictionem in illos, qui sunt de dioecesi episcopi, nisi causa ad eum deferatur. Sed episcopus habet immediatam iurisdictionem in parochianos sacerdotis. . . . Cuius ratio est, quia potestas sacerdotis naturaliter et ex iure divino subditur potestati episcopi, cum sit imperfecta respectu illius; sed episcopus subditur archiepiscopo solum ex ordinatione ecclesiae. . . . Papa habet immediatam iurisdictionem in omnes ecclesias, quia romana ecclesia nullis synodicis constitutis ceteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit» (Contra impugn. relig. 4).

Tertia conclusio: Romanus pontifex utitur «*suprema* potestate gubernandi universam ecclesiam», non singulas tantum separatim sumptas sed omnes simul (cf. *Denz.* n. 1961). «Et quoniam divino apostolici primatus iure romanus pontifex universae ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus eum esse *iudicem* supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse iudicium recurri; sedis vero apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant licere ab iudiciis romanorum pontificum ad oecumenicum concilium tamquam ad auctoritatem romano pontifice superiorem appellare» (sess. 4, c. 3: *Denz.* n. 1829 sq). — Nam Petrus solus est fundamentum

totius ecclesiae, ipse solus accepit munus pascendi omnes oves Christi. Numquam autem aedificium portat fundamentum, numquam oves pascunt pastorem. Ergo non ecclesia habet iurisdictionem in Petri successorem, sed Petri successor habet supremam iurisdictionem in ecclesiam, neque ipse ullis subicitur legibus ecclesiasticis (cf. *Denz.* n. 1324).

Tandem concilium his verbis finit definitionem: «Si quis itaque dixerit romanum pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam, sive in omnes ac singulas ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles, A. S.» (*Denz.* n. 1831).

Hic habemus claris et definitis verbis expressum, quod ecclesia per tot saecula docuerat et crediderat. Atqui non potuit ecclesia in hac re fundamentali constanter errare. Ergo haec doctrina vera et a Deo revelata est.

291. *Obi. I.* Inter christianos orientales longe maxima pars, inter occidentales anglicani et generatim omnes protestantes negant primatum romani pontificis, ut haec doctrina ab aeque fere multis negetur atque admittatur. Atqui hoc signum est eam non esse a Deo revelatam. Ergo.

Resp. *Dist. mai.:* Coeperunt hanc doctrinam negare per apostasiam a doctrina prius communiter admissa, *conc. mai.;* permanentes in priore traditione et fide, *neg. mai.* *Dist. min.:* Dissensus, si ab initio et per omnia subsequentia saecula adfuisset, ostenderet doctrinam non esse revelatam, *conc. min.;* dissensus etiam plurimorum, qui factus est per apostasiam a priore consensu, *neg. min.*

Schisma graecorum per Photium saeculo IX incohatum et per Michaelem Caerularium saeculo XI perfectum est. Usque ad illa tempora non singuli tantum doctores sed etiam concilia in Oriente celebrata primatum summi pontificis agnoverunt, et a *concilio constantinopolitano IV* Photius damnatus est (*Denz.* n. 341). Ergo posteriores graeci non solum a latinis sed etiam ab ipsa priore ecclesia graeca eiusque doctrina defecerunt. Apud occidentales vero rebelliones quidem interdum factae sunt contra apostolicam sedem, ut a waldensibus et aliis sectariis; attamen tales haereses vel schismata numquam effecerunt, ut in Occidente primatus romani pontificis ab insigni ecclesiae parte negaretur vel in dubium vocaretur. Prima magna defectio facta est in Occidente saeculo XVI; sed omnes communitates ab ecclesiae unitate deficientes, eo etiam criminis poenam luerunt, quod mox in plures et plures sectas, inter se oppugnantes, scissae et pessimis erroribus infectae et a plurimis doctrinis revelatis et fundamentalibus abalienatae sunt et magis magisque in infidelitatem ruunt. Quare haec ipsa res non mediocre

argumentum est, quam sapienter Christus ecclesiae unitati et doctrinae puritati providerit instituendo primatum.

292. *Obi. II.* Primi christiani nihil sciebant de primatu romani pontificis, sed naturali et historica evolutione factum est, ut episcopalis sedes urbis Romae, quae caput orbis erat, quandam indefinitam excellentiae praerogativam acquireret, qua utentes romani pontifices, potestatem suam datis occasionibus auxerunt, usquedum superatis multorum reclamationibus plenam primatus potestatem paulatim adepti sunt. Ergo primatus non est res divinae institutionis sed historicae evolutionis.

Resp. *Neg. antec.:* Haec enim theoria non hausta est e fontibus historicis, sed a priori statuta a rationalistis, qui negant omnia supernaturalia, et ideo necesse habent construere origines et progressus naturales religionis et ecclesiae christianae. Considerationes vero criticae et historicae secundo tantum loco veniunt ad illas constructiones ornamentis scientiae decorandas.

Principia et fundamenta primatus in S. Scriptura ponuntur; primatus romanus iam a primis scriptoribus ecclesiasticis, ut Clemente, Ignatio, Irenaeo, Tertulliano indicatur, cognitio vero et usus primatus per subsequentia saecula suos progressus habet. Quae omnia bene intelleguntur et explicantur supposita veritate huius dogmatis. At explicatio pure naturalis eo magis est improbabilis, quod non solum rationalistae alii rem aliter explicant, sed etiam suam quisque theoriam saepe mutant et novas indies constructiones tentant.

293. *Obi. III.* *S. Gregorius M.* titulum «episcopi oecumenici» non tantum valde vituperavit in Ioanne Ieiunatore, episcopo constantinopolitano, sed etiam a se repudiavit, scribens: «Certe pro beati Petri, apostolorum principis, honore per venerandam chalcedonensem synodum romano pontifici oblatum est [illud nomen]. Sed nullus eorum umquam hoc singularitatis nomine uti consensit, ne, dum privatum aliquid daretur uni, honore debito sacerdotes [episcopi] privarentur universi» (Epist. l. 5, ep. 20). Ergo S. Gregorius non agnovit se esse omnium ecclesiarum episcopum.

Resp. *Conc. antec.* *Dist. conseq.:* *S. Gregorius* noluit esse «episcopus oecumenicus» eo sensu, quasi alii non essent veri et ordinarii episcopi sed vicarii tantum romani pontificis, et nomen illud repudiavit, quatenus hunc falsum conceptum ingerere poterat, *conc. conseq.;* S. Gregorius negavit se habere iurisdictionem in ceteras ecclesias, *neg. conseq.* Immo de ipsa sede constantinopolitana scribit: «Quis eam dubitet sedi apostolicae esse subiectam? Quod et piissimus domnus imperator et frater noster eiusdem civitatis episcopus assidue profitentur» (Epist. l. 9, ep. 12).

Neque timendum est, ne ex potestate romani pontificis in omnes ecclesias oriatur confusio, cum sic quaevis ecclesia a duobus episcopis regatur. Nam suprema potestas data non est pontifici, ut in cotidiana dioecesium negotia se ingerat, sed ut tum solum intercedat, cum speciales causae et rationes id postulant (cf. *Denz.* n. 1828). Historia docet nullam in singulis ecclesiis fieri perturbationem ex usu potestatis romani pontificis, sed saepe gravissima mala ab iis averti, etsi non absolute repugnat homines interdum abuti hac potestate, sicut omni potestate abuti possunt.

294. *Obi. IV.* Magna illa potestas, quae medio aevo attribuebatur romano pontifici, est fructus falsificationum *Pseudo-Isidori.* Ergo non est referenda ad institutionem Christi.

Resp. *Neg. antec.* Decretales Isidori sunt collectio canonum, orta saeculo IX in Gallia, quando ibi res civiles et ecclesiasticae gravissime perturbabantur. Cui malo ut mederetur, ignotus quidam (fortasse *Benedictus Levita*) collectis in unum corpus legibus ecclesiasticis disciplinam ecclesiae hominibus in mentem revocare studuit. Non novam disciplinam excogitavit, sed eam, quae tunc vigebat, falsis decretalibus confirmavit, quas vel ipse vel alius, e quo hauserat, pontificibus vel conciliis priorum saeculorum adscripsit; totum vero opus Isidoro (Hispalensi) attribuit. Hae falsae decretales in opera posteriorum scriptorum transierunt; sed respectu primatus nihil continent, quod non multo ante in ecclesia agnitum erat, ut ostendit e. g. *Palmieri* (De rom. pont. 530 sqq). Cf. *Paul Fournier,* De l'origine des fausses décrétales (Congrès scient. internat., Paris 1889), 403 sqq.

295. **Obi. V.** *Concilium constantiense* in sess. 5 declaravit, quod haec synodus «potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscumque status vel dignitatis, etiamsi papalis exsistat, oboedire tenetur in his, quae pertinent ad fidem et exstirpationem dicti schismatis». Ergo papa saltem subiectus est concilio universali.

Resp. *Dist. antec.:* Haec verba inveniuntur in actis concilii, *conc. antec.;* sunt definitio conciliaris, *neg. antec.* Nam Martinus V duobus bullis «Inter cunctas» et «In eminentis» non approbavit nisi quae decreta erant contra Wiclif, Hus, Hieronymum de Praga, dein de communione sub una specie, et salvum conductum haereticorum.

Ceterum illa verba possunt varium sensum habere, et iam tempore concilii ab aliis aliter intellegebantur. Nam possunt referri ad papam dubium, de qua re tunc agebatur; papa autem dubius est papa nullus (*Bellarminus,* De conc. 2, 19, ad 3 arg. Gerson.), si electio ab initio fuit dubia (indubie legitimus non potest postea fieri dubius). Si verba sic intelleguntur, nihil dicunt de natura primatus. Quidam autem ea universaliter interpretati sunt, et voluerunt verum papam concilio subicere. Hoc sensu verba non solum approbata non sunt, sed etiam damnata (cf. *Denz.* n. 657 nota 740 1323).

Itaque papa certe legitimus non potest per concilium iurisdictione privari, sed eam non amittit nisi a) morte, b) voluntaria resignatione, c) amentia certa et perpetua, quia amens non potest iurisdictionem exercere, d) haeresi aperta, qua separatur ab ecclesia, in quam tamen etiam privatim tantum incidere posse summum pontificem multi theologi aut negant aut in dubium vocant. Plura de hac re apud canonistas (e. g. *Wernz,* Ius decret. II, n. 612 sqq). In nullo ex his casibus deponitur romanus pontifex ab ecclesia, sed ad summum profertur sententia declaratoria de iurisdictione iam amissa.

296. **Obi. VI.** Secundum *S. Leonem I* (ep. 106, n. 5) «aliud sunt sedes, aliud praesidentes». Ergo ex eo, quod sedi romanae quaedam iura vel privilegia conveniunt, non singulis pontificibus romanis eadem iura vel privilegia attribuenda sunt.

Resp. *Dist. antec.:* Secundum mentem S. Leonis iura et privilegia sedium eadem sunt, etsi merita singulorum praesidentium diversa sunt, *conc. antec.;* sunt quaedam iura et privilegia sedium, quae non habent praesidentes, *neg. antec.* Etsi S. Leo ibi non loquitur de romano pontifice (sed de

patriarcha alexandrino), tamen illo sensu distinctio etiam in summum pontificem quadrat. Gallicani abutebantur illa distinctione contra privilegia romani pontificis, quasi ea resideant in ecclesia romana vel in tota serie pontificum, non in singulis pontificibus. Quilibet pontifex morte amittit omnem suam potestatem; unde ne S. Petrus quidem ullam iurisdictionem in ecclesiam habet; sed tota iurisdictio in eo tantum est, qui actu est romanus pontifex. Ante electionem novi pontificis haec iurisdictio in nullo homine est sed in voluntate Christi, qui eam confert legitime succedenti. «Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam ecclesiam obtinet» (*Conc. Vatic.* sess. 4, c. 2; *Denz.* n. 1824).

Schol 1. Quibus argumentis probetur Petrum Romae fuisse ibique mortuum esse.

297. S. Petrus in prima sua epistula (5, 13) scribit: «Salutat vos ecclesia, quae est in Babylone collecta, et Marcus, filius meus.» Haec Babylon neque est Babylon ad Euphratem, quae eo tempore erat regio fere deserta, neque alia urbs, sed urbs Roma, quae etiam in Apocalypsi (c. 14 sqq) et ab aliis veteribus scriptoribus vocatur Babylon. De urbe Roma loqui Petrum testantur Papias et Clemens Alex. apud *Eusebium* (H. E. 2, 15; *Kirch,* Enchir. n. 386 sq). Veteres etiam referunt Marcum scripsisse evangelium, quod Petrus Romae praedicaverit (*Euseb.* 6, 14; *Kirch* n. 394). Marcum Romae fuisse colligitur ex S. Scriptura (Col 4, 10. Phil 24).

Clemens Rom. inter «proximos athletas τῆς γενεᾶς ἡμῶν», qui «inter nos, ἐν ἡμῖν» martyrium passi sunt, enumerat apostolos Petrum et Paulum (1 Cor. 5, 6; *Kirch* n. 8 sq). *S. Ignatius M.* ad romanos scribit: «Non ut Petrus et Paulus vobis praecipio» (Rom. 4, 3; *Kirch* n. 20). *Dionysius Corinthius* romanis in mentem revocat Petrum et Paulum Romae praedicasse et martyrium passos esse (*Euseb.* 2, 25). *Caius* presbyter: «Ego vero apostolorum tropaea possum ostendere. Nam sive in Vaticanum sive ad ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropaea eorum, qui ecclesiam illam fundaverunt» (*Euseb.* l. c.; *Kirch* n. 117). *Irenaeus* quoque testatur ecclesiam romanam a Petro et Paulo fundatam esse (Contra haer. 3, 3; *Kirch* n. 110 112 sq). Item *Clemens Alex.* testatur Petrum Romae praedicasse (*Euseb.* 6, 14). *Tertullianus* ait: Romanis «evangelium et Petrus et Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt» (Adv. Marc. 4, 5; cf. De praescr. 36, Scorp. 15; *Kirch* n. 186 170 192). *Origenes* de Petro scribit: «Qui ad extremum Romam veniens, cruci suffixus est capite deorsum demisso; sic enim ut in cruce collocaretur, oraverat» (Com. in Gen. tom. 3; *Kirch* n. 388). Numquam alia urbs praeter Romam gloriata est S. Petrum in se mortuum et sepultum esse. Alia colligere superfluum videtur; quia unanimis prorsus est traditio in testando Petrum Romae praedicasse et mortuum esse (cf. *Ottiger,* De eccl. 560 sqq). Quamdiu Petrus Romae fuerit, nihil ad quaestionem de primatu pertinet; hanc igitur quaestionem relinquimus historicis.

Schol 2. Quibus argumentis probetur Petrum episcopum romanum fuisse.

298. Etiam haec res constat ex unanimi veterum traditione, qui non indicant alium primum episcopum romanum nisi S. Petrum. Quando S. Paulus scribebat epistulam ad romanos, ecclesia romana iam erat perfecte constituta, et ubique terrarum magna fama fruebatur. Iamvero ecclesia non est perfecta sine episcopo, ut Ignatius M., S. Irenaeus aliique praedicant. Ergo quod quidam fabulantur de collegio presbyterorum, quod ecclesiam romanam rexerit, est ex natura rei incredibile, et fundamento historico destituitur. Alius autem episcopus romanus ante Petrum in nullo fonte indicatur.

Veteres catalogi romanorum pontificum, quorum satis magnus numerus exstat in ecclesia occidentali et orientali, et qui vetustissima traditione nituntur, ordiuntur seriem romanorum pontificum a S. Petro. Primus ex his catalogis medio circiter saeculo II ortus est. *Eusebius,* qui hos catalogos prae oculis habuit ad annum Abrahae 2058 haec scribit: «Petrus apostolus, cum Antiochiae primam fundasset ecclesiam, Romam proficiscitur, praedicans evangelium. Ipse post antiochenam ecclesiam etiam romanae praesidebat usque ad obitum suum» (verba graeca apud *Kirch,* Enchir. n. 381; cf. n. 492 520 570). Tenor verborum in versione Hieronymi et in aliis versionibus non est plane idem, sed in omnibus clare dicitur Petrus fuisse episcopus romanus. Hanc esse fictionem, saeculo II ortam et ubique in Occidente et Oriente receptam, est hypothesis nimis levis quam quae seriam considerationem mereatur (cf. *Duchesne,* Le «Liber pontificalis»).

Tertullianus vocat romanam sedem cathedram Petri: «Percurre ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae apostolorum suis locis praesident. . . . Si Italiae adiaces, habes Romam . . . ubi Petrus passioni dominicae adaequatur» (De praescr. 36; *Kirch* n. 170). *Pseudo-Tertullianus,* in poemate «Adv. Marcionem» recensens romanos pontifices a Petro usque ad Anicetum, ait: «Hac cathedra Petrus, qua sederat ipse, locatum maxima Roma Linum primum considere iussit.» *S. Cyprianus:* «Factus est Cornelius episcopus . . . cum Fabiani locus, i. e. cum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret» (Ep. 55, n. 8 [ed. *Hartel*]). *S. Hieronymus* ad Damasum: «Beatitudini tuae, i. e. cathedrae Petri, communione consocior» (Ep. 15). *S. Augustinus:* «Cathedra quid tibi fecit ecclesiae romanae, in qua Petrus sedit?» (Contra litt. Petil. 2, 51.) *S. Optatus Milevitanus:* «Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam» (De schism. donatist. 2, 2). Similiter alii, quos omitto; contradixit enim nemo ex veteribus. Quaedam supra n. 288 sq.

Numquid aliter orientales? Nequaquam. Eusebium iam audivimus. Eodem modo, quicumque texunt catalogos romanorum pontificum, omnes Petrum dicunt episcopum romanum fuisse. Ita e. g. *Epiphanius*:

«Romanorum pontificum ista successio est: Petrus et Paulus, Linus ac Cletus, Clemens, Evaristus» (Haer. 27, 6). *Theodoretus* in 2 Tim. 4, 21: «Ferunt Linum magno Petro successisse et romanorum ecclesiae post illum sedem tenuisse.» Similiter *Chrysostomus* in eundem locum: «Hunc Linum narrant quidam post Petrum romanae ecclesiae episcopum fuisse.» *Sozomenus* romanam sedem vocat «sedem Petri, *τὸν Πέτρου θρόνον*» (H. E. 4, 15). *Concilium sardicense:* «Quodsi aliquis episcoporum iudicatus fuerit in aliqua causa et putat se bonam causam habere, ut iterum concilium *(κρίσις)* renovetur, si vobis placet, sancti Petri apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Iulio romano episcopo, et si iudicaverit renovandum esse iudicium, renovetur . . .; si autem probaverit . . . quae decreverit, confirmata erunt» (*Kirch,* Enchir. n. 448).

His et aliis testimoniis patet, quis primis saeculis fuerit sensus ecclesiae. Contradicunt quidem protestantes unanimiter fere. At etiamsi res pure historice consideratur, praesumendum est eos rectius iudicasse, qui propiores erant eventui, de quo agitur, et qui tam firmiter traditioni inhaerebant; eos autem, qui recentes sunt et traditioni resistunt, ne debeant admittere primatum romanum, oculis caligantibus non videre verum. Si dogmatice res consideratur, licet dogma primatus romani non necessario pendeat ab hac quaestione historica, est tamen reapse Petri episcopatus romanus factum dogmaticum, quod nulli catholico in dubium vocare fas est (cf. *Denz.* n. 1824).

Schol 3. Quo iure primatus annexus sit sedi romanae.

299. Haec quaestio duplici sensu accipi potest:

a) *Estne in praesenti ordine pontifex romanus successor S. Petri in primatu iure divino an iure ecclesiastico?* Respondetur: Iure divino. Nam Christus instituens primatum perennem, voluit, ut omnes et singuli, qui legitime S. Petro succederent, haberent primatum. Atqui in praesenti ordine soli romani pontifices legitime succedunt S. Petro. Ergo hi omnes et soli voluntate Christi habent primatum. Itaque hoc saltem hypothetico sensu, quod solus romanus pontifex est legitimus successor S. Petri, ecclesiae romanae iure divino annexus est primatus (cf. *Denz.* n. 163 332).

b) *Sed estne successio S. Petri ita iure divino nexa cum sede romana, ut per nullam auctoritatem humanam possit cum alia sede coniungi?* Certe talis translatio, si omnino possibilis est, non potest fieri nisi per romanum pontificem vel saltem non sine eius consensu (cf. *Denz.* n. 1735). Sed num omnino possibilis sit, dissentiunt theologi. *Benedictus XIV* ait: «Non videtur posse sustineri illorum opinio, qui asseruerunt praefatam conexionem [primatus cum romana sede] ita esse de iure humano, ut possit ab ecclesia dissolvi et una ab altera separari» (De syn. 2, 1, 1). Haec est communior sententia theologorum, quae hac ratione nititur: Per multa saecula ubique praedicatur ecclesia

romano-catholica (cf. *Denz.* n. 694 991). Si vero transferretur primatus ad aliam sedem, non iam vera esset haec sententia, sed ecclesia dicenda esset parisiensis-catholica vel viennensis-catholica vel alio nomine appellanda. Hoc autem intolerabile sonat auribus catholicis. Potest tamen romanus pontifex, manens quod est, residere alio loco, etiam permanenter, si iusta causa id postulat. Item si destrueretur urbs Roma, posset tamen manere romana ecclesia, i. e. plebs fidelis sub suo episcopo.

Christus igitur aut ipse indicavit Petro Romae sedem primatialem esse collocandam, aut ei mandatum dedit, ut ipse eligeret sedem, cuius deinceps episcopi essent successores Petri in primatu. Ergo principium iuris divini est actus voluntatis Christi aut antevertens omnem actum Petri de hac re, aut specialiter confirmans electionem a Petro factam. Utro modo Christus egerit, nescimus. Haec valent in suppositione communioris et probabilioris opinionis nexum primatus cum sede romana esse iuris divini.

Schol. 4. De subiecto passivo auctoritatis ecclesiasticae.

300. Sicut in ecclesia sunt praepositi, ita sunt subditi. Illi sunt subiectum activum auctoritatis ecclesiasticae, quia habent potestatem regendi; hi sunt subiectum passivum, quia debent se regi sinere seu oboedire. De subiecto activo hucusque diximus; iam quaedam dicenda sunt de subiecto passivo.

a) Nemo habet ius regendi nisi subditos suos. Iamvero subditi ecclesiae homines fiunt per baptismum (cf. supra n. 231). Ergo *soli baptizati iurisdictioni ecclesiae subiciuntur,* «cum ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus» (*Con. trid.* sess. 14, de paenit. c. 2; *Denz.* n. 895). Sed *omnes baptizati iurisdictioni ecclesiae subiciuntur,* etsi forte ob aliquam rationem non iam sunt membra ecclesiae, quia cum baptismo obligationem lege divina acceperunt oboediendi ecclesiae (Mt 28, 18 sqq; cf. *Denz.* n. 864 870). Si invincibili ignorantia laborant, utique non peccant neglegendo mandata pure ecclesiastica; sed per se obligatio oboedientiae non eo ipso tollitur, quod quis se subtrahit auctoritati a Deo institutae; hoc satis per se patet. Nihilominus obligatio servandi praecepta ecclesiae habet in haereticis quasdam limitationes, de quibus videnda est theologia moralis vel ius canonicum (cf. *Denz.* n. 1454 2070, § 3).

b) *Ecclesia non potest cogere iudaeos, paganos vel alios infideles ad audiendam praedicationem, multo minus ad suscipiendum baptismum.* Si infideles vi resistunt praedicationi evangelii, potest ecclesia ius suum defendere adhibito auxilio brachii saecularis. Quando infideles subiecti sunt principibus christianis et vivunt inter christianos, ex hac civili relatione fit, ut ecclesia quaedam possit praecipere non baptizatis, quae directe ex vi auctoritatis ecclesiasticae non potest. Hac via interdum non baptizati adigebantur ad audiendam instructionem christianam.

c) *Etiam subditis suis ecclesia praecipere non potest nisi quae sunt intra finem mandati a Christo accepti,* i. e. ea, quae aliquo modo pertinent ad ordinem religiosum et supernaturalem, non vero res pure civiles et politicas.

Neque *ius divinum obiectivum,* quod Deus ipse lege sua sive naturali sive positiva statuit, ita subest auctoritati ecclesiasticae, ut ecclesia possit illud abrogare vel mutare vel in eo dispensare. Ideo non potest sibi dare aliam constitutionem, instituere alia sacramenta, dare licentiam furandi etc. Ratio est, quia neque Deus hanc potestatem diserte dedit, neque haec potestas ad finem ecclesiae est necessaria, neque umquam ecclesia dictis vel factis ostendit se habere talem potestatem. Potest autem auctoritas ecclesiastica ius divinum authentice interpretari, quia hoc requiritur, ut possit semper homines secure dirigere in via salutis.

Est etiam *ius divinum subiectivum,* quod dicitur, seu ius Dei ortum ex actibus quibusdam humanis. Nam peccatis hominum Deus acquirit ius eos odio habendi et puniendi. Ecclesiam autem habere potestatem nomine Dei remittendi peccata et poenas, est de fide et probatur in tractatu de paenitentia. Praeterea homines per votum vel iuramentum aliquid Deo vel coram Deo teste promittere possunt, unde Deus ius acquirit postulandi impletionem promissionis. Iamvero potest accidere, ut bonum commune postulet condonationem talis promissionis. Quo in casu ecclesia dicenda est a Deo accepisse ius talis condonationis, quia universalem omnino potestatem accepit dirigendi homines in actibus suis ad salutem aeternam pertinentibus. Hoc confirmatur ex praxi ecclesiae. Idem dicendum est de unico contractu sacro, qui fit inter christianos, i. e. de matrimonio (non consummato), quia potest interdum bonum commune postulare, ut talis contractus rescindatur (cf. *Suarez,* De leg. 10, 6).

Ecclesia vi solius iurisdictionis fori externi non potest suis subditis praecipere actus mere internos, e. g. ut cotidie eliciant actum fidei. Ecclesia enim numquam significavit se habere talem potestatem; neque de talibus actibus potest iudicare in foro externo neque coercitione circa eos uti; iurisdictio autem fori externi postulat potestatem iudicialem et coercitivam (cf. *S. Thom.* 1, 2, q. 91, a. 4; 2, 2, q. 104, a. 5; *Suarez,* De leg. 4, 12). Potest vero ecclesia praecipere actus externos, ad quos ponendos necessarii sunt actus interni, ut communionem annuam, missam a parocho pro parochia dicendam. Potest sacerdos per potestatem iurisdictionis praecipere actus internos in administratione sacramenti paenitentiae. Possunt etiam superiores ecclesiastici per potestatem dominativam praecipere actus internos iis, qui se libere iis quoad tales actus subiecerunt voto oboedientiae vel alio modo.

Haec breviter indicasse sufficiat de subiecto passivo auctoritatis ecclesiasticae; fusius enim singula alibi explicantur.

PARS III.

DE FONTIBUS THEOLOGICIS.

PRAENOTANDA DE FONTIBUS THEOLOGICIS IN GENERE.

301. Ostendimus Christum attulisse doctrinam revelatam, omnibus hominibus necessario amplectendam. Praeterea ostendimus eum ad hanc doctrinam conservandam, omnibusque hominibus omnium saeculorum proponendam et explicandam instituisse magisterium ecclesiasticum infallibile. Hoc igitur vivum magisterium non est quidem motivum fidei, sed est *regula fidei et motivum credibilitatis,* i. e. medium logicum obiectivum, per quod cognoscunt homines has et illas res esse a Deo revelatas. Unde ex praedicatione ecclesiae hauritur notitia rerum revelatarum. Id valet de simplicibus fidelibus, valet etiam de theologis, quia principia fidei eadem sunt pro omnibus, sed theologi ex his principiis procedunt ad scientiam theologicam excolendam.

Iamvero media, ex quibus hauriuntur principia ad argumentandum in aliqua scientia, dicuntur «fontes» vel «loci» *(τόποι)* huius scientiae, praesertim si agitur de scientia positiva, ut est historia et partim etiam theologia. Itaque *fontes vel loci theologici* sunt sedes argumentorum theologicorum seu instrumenta quaelibet, quae argumenta conclusionum theologicarum exhibent.

Proprie unicus tantum fons fidei est: praedicatio apostolica, incohata ab ipsis apostolis, continuata et continuanda per eorum successores in magisterio apostolico. Nam haec est unica via, quam Christus indicavit: «Euntes docete. Qui crediderit, salvus erit. Et ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.» Revera magisterium apostolicum, quod hic et nunc fungitur munere a Christo accepto, est regula proxima et universalis, cui omnes se conformare debent (supra n. 187). Ad credenda vera divinitus revelata haec regula et hic fons omnibus praesto est, nihil aliud omnibus possibile, nihil aliud omnibus praeceptum est (cf. *I. V. Bainvel,* De magisterio vivo et traditione, Paris 1905, 56 sqq).

Restat tamen quaestio, quomodo magisterium apostolicum munus suum exerceat, et ad hanc quaestionem imprimis respondendum est. Haec autem quaestio in duas alias resolvitur: de activitate seu *de*

exercitio magisterii ecclesiastici, et *de obiectis,* circa quae magisterium ecclesiasticum exercetur.

302. Dein vero magisterium ecclesiasticum non nunc tantum docet, sed etiam praecedentibus saeculis docuit et doctrinam suam non ore tantum proposuit, sed etiam scriptis consignavit. Unde haec quoque scripta sunt fontes fidei et theologiae. Nam quae olim ecclesia docuit ut vera, etiam nunc vera sunt, cum veritas sit immutabilis. Ergo eo ipso, quod constat, quid olim ecclesia docuerit, etiam constat, quid nunc doceat, cum infallibilis ecclesia, quae nunc est, non possit contradicere infallibili ecclesiae, quae olim fuit. Immo cum ecclesia nunc non accipiat novas revelationes publicas, sed tradere debeat revelationes olim apostolis factas, has revelationes magistri posteriores a magistris prioribus accipiant necesse est. Quod quidem per se fieri potuit traditione pure orali, et etiam sic potuit Spiritus Sanctus per assistentiam suam efficere, ut nihil veri revelati perderetur, nihil falsi admisceretur. Nihilominus magis consentaneum est indoli humanae, ut res graves etiam litteris commendentur ad faciliorem conservationem. Quare providentia divina, in hac quoque re se accommodans ingenio humano, procuravit, ut non solum ipsae revelationes divinae, sed etiam earum explicationes, singulis aetatibus factae, scriberentur, et sic posteri hereditate acciperent promptuarium sacrum, quod et ipsi augerent et post se venientibus simili condicione traderent. Itaque scripta priorum saeculorum, i. e. *Acta conciliorum et pontificum, opera sanctorum Patrum, opera theologorum, etiam sunt fontes theologici.* Haec scripta maiorum *mediatam regulam fidei* constituunt, quatenus magisterium nostrorum temporum ex iis haurit doctrinam, quam fidelibus proponit. Ad hos fontes theologis quoque recurrendum est, tum ut ostendant fidem nostram esse eandem atque fidem patrum nostrorum, tum ut in rebus, quas magisterium ecclesiasticum nondum definivit, ex illis fontibus argumenta depromant ad quaestiones theologicas dirimendas.

303. Tandem Deus per homines ut instrumenta dignatus est fieri auctor librorum sacrorum, qui revelationes divinas continent et *Sacra Scriptura* vocantur. Hos libros non singulis fidelibus ut regulam immediatam fidei dedit, sed magisterio ecclesiastico tradidit, ut eos populo explicaret. A magisterio ecclesiastico theologi quoque Sacram Scripturam accipiunt, ut secundum mentem ecclesiae ex iis doctrinam revelatam eruant, explicent, probent, defendant. Theologi enim, in quantum missionem canonicam habent, sunt adiutores eorum, qui vi muneris ordinarii sunt doctores authentici in ecclesia, i. e. summi pontificis et episcoporum. Quod magisterium auctoritative proponit, hoc scientifice excolere theologorum est.

Itaque fontes theologici omnes continent verbum Dei; sed Sacra Scriptura, quia principaliter a Deo scripta, etiam *formaliter verbum*

Dei est, alia vero instrumenta, quibus verbum Dei traditur, materialiter tantum verbum Dei sunt, formaliter vero dicta vel scripta hominum sunt. Hoc sensu tractatus de fontibus theologicis duas partes complectitur, alteram *de Traditione*, alteram *de Scriptura*. Scriptura quidem traditionem superat, quatenus perfectiore modo verbum Dei est, traditio vero magis necessaria est, quia ab ipsa Scripturam accipimus, et quia universalior est (cf. *Denz.* n. 783 1781).

Tam Scriptura quam traditio potest sumi *active* ut organum, quo proponitur doctrina revelata, et *passive* ut doctrina proposita. Sensu passivo potest iterum traditio aut omnino presse accipi ut doctrina, sola orali traditione, non vero in Scriptura proposita, aut late, in quantum comprehendit totam doctrinam a magisterio ecclesiastico propositam, etiam eam, quae in Scriptura legitur, et Scripturam ipsam, ut est obiectum traditionis (cf. 2 Thess 2, 14), «traditam per apostolos revelationem seu depositum fidei» integrum (*Denz.* n. 1836). Presso sensu loquimur in numero plurali de sacris traditionibus, i. e. de doctrinis et institutis, quae in Scriptura non commemorantur (cf. *Conc. trid.* sess. 4; *Denz.* n. 783). Haec, si agitur de divino-apostolicis traditionibus, sunt relative pauca, ut doctrina de canone Scripturae et alia quaedam, de quibus suo loco sermo erit. Hic interim non tam insistimus quaedam *alia* praeter Scripturam esse ab apostolis proposita, sed quod multo maioris momenti est, doctrinam revelatam integram *aliter* seu alio modo quam per solam Scripturam esse propositam et adhuc proponi vi institutionis a Christo factae, scilicet per magisterium vivum. Unde imprimis de exercitio huius magisterii agendum est.

CAPUT I.

DE EXERCITIO MAGISTERII ECCLESIASTICI.

ARTICULUS I.

DE MAGISTERIO COLLEGII EPISCOPORUM.

Cf. *Bellarminus,* De conciliis; *D. Bouix,* De papa, ubi et de concilio oecumenico, Paris 1868—1870; *L. Hefele,* Konziliengeschichte, Introductio (etiam gallice, Paris 1907); *Wilmers,* De ecclesia 391 sqq; *J. M. A. Vacant,* Le magistère ordinaire de l'église et ses organes, Paris 1887.

Prop. XXXVII. Doctrina fidei infallibiliter proponitur cotidiano exercitio magisterii ecclesiastici, cum episcopi per orbem sparsi, iuncti cum summo pontifice, unanimiter docent, quid firmo assensu tenendum sit.

304. ***Stat. quaest.*** Episcopi sub summo pontifice constituunt magisterium apostolicum, semper in ecclesia vivum (supra n. 270 sqq). Nihilominus singuli episcopi, quamvis in suis dioecesibus sint magistri authentici, non tamen sunt infallibiles, sed integra ecclesia docens simul sumpta est infallibilis (supra n. 280).

Iamvero dupliciter fieri potest, ut episcopi munus docendi exerceant. Aut ordinario modo in sua quisque dioecesi fideles docet sive immediate per se sive mediate per parochos et alios adiutores suos; aut episcopi extraordinario modo conveniunt ad consultandum et decernendum de rebus fidei et morum, quemadmodum fit in conciliis. Imprimis igitur quaerendum est, num episcopi ordinarium magisterium in suis dioecesibus exercentes, sint infallibiles, si omnes simul cum romano pontifice idem docent ut omnibus tenendum assensu firmo. Coniunctio cum romano pontifice requiritur, quia sine hac non habetur magisterium a Christo institutum. Consensus omnium requiritur, quia, si inter se dissentiunt, non constituunt auctoritatem. Sufficit tamen moralis consensus plurimorum cum pontifice, quia hi sunt ecclesia docens, non vero pauci a collegio et capite dissentientes. Oportet etiam doctrinam proponi ut certam et absoluto assensu tenendam; nam sola probabilitas non excludit veritatem doctrinae oppositae.

Consensus episcoporum circa aliquam doctrinam potest esse aut expressus aut tacitus. *Expressus consensus* manifestatur: a) litteris pastoralibus vel similibus scriptis publicis, quibus episcopi doctrinam veram populo proponunt vel doctrinam falsam notant; b) editione vel approbatione catechismorum et aliorum librorum doctrinalium; c) contionibus et instructionibus ab episcopo habitis. Alii modi iam sunt magis extraordinarii: d) celebratione synodi provincialis, cuius acta promulganda non sunt nisi prius Romae approbata; unde sunt quidem magnae auctoritatis, non tamen documenta infallibilia; sed ex collatione variorum conciliorum provincialium facile constare potest de consensu ecclesiae. e) Interdum episcopi rogati a summo pontifice, sententiam promunt de quaestione dogmatica, ut e. g. factum est in praeparatione definitionis de immaculata conceptione B. Virginis, qui modus proxime accedit ad actionem conciliarem, a qua differt, quatenus hoc modo episcopi non accipiunt iurisdictionem in universam ecclesiam.

Tacitus consensus habetur, si episcopi sciunt aliquam doctrinam communiter tradi in suis dioecesibus neque contradicunt. Debent enim doctrinae theologicae resistere, quam principiis fidei contrariam censent. Potest quidem ex prudenti dispensatione tolerari ad tempus error nondum late diffusus neque periculosus; sed hoc minime fieri potest, si error tam late serpit, ut fiat periculosus, nisi ei resistatur (cf. *S. August.*, Ep. 55, c. 19, n. 35).

305. ***Arg.*** *1.* **Ex institutione Christi.**

Christus magisterium apostolicum ita instituit, ut illud miserit in universum mundum ad praedicandum, et omnes obligaverit ad eius doctrinam admittendam. Atqui non possunt omnes obligari ad doctrinam magisterii per orbem sparsi admittendam, nisi hoc magisterium esset infallibile. Ergo magisterium per orbem sparsum est infallibile saltem collegialiter sumptum; et cum constet singulos episcopos non

esse infallibiles, saltem omnes simul, consentientes de doctrina sacra, sunt infallibiles.

306. *Arg. 2.* **Ex persuasione ecclesiae.**

Ecclesiae semper persuasum fuit episcopos unanimiter docentes esse infallibiles in doctrina sacra tradenda et explicanda. Atqui non potuit ecclesia in hac fundamentali doctrina errare. Ergo haec persuasio vera est.

Prob. mai. Testibus SS. Patribus doctrina apostolica servatur integra in ecclesia per successionem non interruptam episcoporum. *S. Ignatius M.:* «Episcopi, per tractus terrae constituti, in sententia Iesu Christi sunt; unde oportet vos in episcopi sententiam concurrere, quod et facitis» (Eph. 3, 2 sqq). *S. Irenaeus:* Episcopis in unitate ecclesiae manentibus «obaudire oportet, his, qui successionem habent ab apostolis, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt» (Contra haer. 4, 26). *Tertullianus:* Apostoli condiderunt ecclesias, «a quibus traducem fidei et semina doctrinae ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt, et cotidie mutuantur, ut ecclesiae fiant». Quomodo ergo probabunt singulae ecclesiae veritatem doctrinae suae? «Evolvant ordinem episcoporum suorum» usque ad apostolos. Illae vero ecclesiae, «quae licet nullum ex apostolis vel apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quae denique cotidie instituuntur, tamen in eadem fide conspirantes, non minus apostolicae deputantur pro consanguinitate doctrinae» (De praescr. 20 32). Totum opus de praescriptionibus nititur hac suppositione non posse ab ecclesia per orbem sparsam tradi aliam doctrinam nisi veram et apostolicam. Ex hac persuasione factum est, ut veteres tam diligenter in successiones episcoporum inquirerent (supra n. 271). «Perstat enim», inquit *S. Simplicius* papa, «in successionibus suis haec et eadem apostolicae norma doctrinae» (*Denz.* n. 160).

Neque aliter sentit ecclesia nostrae aetatis. De qua re *Pius IX:* «Etiamsi ageretur de illa subiectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum conciliorum aut romanorum pontificum huiusque sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius ecclesiae, per orbem dispersae, magisterio tamquam divinitus revelata traduntur» (*Denz.* n. 1683). Idem docet *concilium vaticanum* (sess. 3, c. 3; *Denz.* n. 1792).

Itaque nisi tota ecclesia circa normam fidei erravit, quod est impossibile, magisterii ecclesiastici exercitio cotidiano infallibiliter proponitur fidei doctrina.

307. *Arg. 3.* **Ex absurditate contrariae opinionis.**

Si tota ecclesia in ordinario magisterio posset errare, tribus primis saeculis non fuisset infallibilis, sed potuisset corrumpere doctrinam apo-

stolicam; nam primum concilium universale anno 325 *Nicaeae* habitum est. Etiam posterioribus temporibus inter singula concilia saepe saecula interiacent, e. g. inter concilium octavum, anno 870 *Constantinopoli* habitum, et nonum, anno 1120 in *Laterano* habitum; inter *Tridentinum,* anno 1563 finitum, et *Vaticanum,* anno 1870 finitum. Non semper fieri possunt concilia. Intermediis igitur temporibus ecclesia posset errare, dein vero concilium esset convocandum, ut damna resarcirentur. Hoc sane fingere fas non est; neque enim sic impleretur promissio Christi: «Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi» (Mt 28, 20).

Natura et finis ecclesiae postulant, ut in ordinario exercitio magisterii sit infallibilis, quia semper debet homines ad agnitionem veritatis adducere et haereticas doctrinas arcere. Propterea ecclesia sibi semper ius attribuit etiam extra concilium oecumenicum definitive iudicandi de haeresibus, ut e. g. de doctrina Pelagii, Berengarii, Iansenii. Haeretici vero, contra damnationem suam provocantes ad concilium, saepe reiecti sunt, sicut iam *S. Augustinus* dicit pelagianis ad eorum damnationem nullum requiri concilium (Contra duas epist. pelag. 4, 12, n. 34).

308. *Obi. I.* Singuli episcopi non sunt infallibiles. Atqui multiplicatione seu additione non mutatur qualitas rerum. Ergo etiam multi et omnes episcopi non sunt infallibiles.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* Nuda additione non mutatur rerum qualitas, *conc. min.;* si cum additione iungitur aliud elementum, quod in singulis non habetur, *neg. min.* Et *dist. conseq.:* Solo numero episcoporum per se sumpto non mutatur eorum qualitas doctrinalis, *conc. conseq.;* non mutatur, quatenus in collegio episcoporum habetur aliquod elementum, quod in singulis non est, *neg. conseq.*

Elementum istud est principaliter assistentia Spiritus Sancti, qua non singuli episcopi fiunt infallibiles, sed integrum collegium, moraliter unum in proponenda doctrina, fit infallibile.

Ceterum etsi res mere naturaliter consideratur, verum non est testimonium multorum hominum sive historicum sive doctrinale esse aeque fallibile atque testimonium singulorum. Nam si hoc verum esset, rueret certitudo moralis omnis, quippe quae praecise multitudine testium consentientium nititur. Itaque etsi physica qualitas rerum sola additione non mutatur, hoc tamen non simpliciter transferendum est ad ordinem moralem, ut in philosophia exponitur. Recte de nostra quaestione *Tertullianus:* «Age nunc, omnes [ecclesiae] erraverint; deceptus sit apostolus . . .; nullam respexerit Spiritus Sanctus . . . sinens ecclesias aliter interim intellegere, aliter credere, quam ipse per apostolos praedicabat: ecquid verisimile est, ut tot ac tantae in unam fidem erraverint? Nullus inter multos [disparatos] eventus unus est exitus; variasse debuerat error doctrinae ecclesiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum» (De praescr. 28).

309. *Obi. II.* Episcopi non sunt collegium apostolicum nisi uniti cum romano pontifice. Atqui episcopi possunt se separare a romano pontifice. Ergo

saltem in hac suppositione ecclesia per orbem sparsa non iam esset infallibilis.

Resp. *Conc. mai. Neg. min.*, saltem si sic accipitur, quasi omnes episcopi vel tanta eorum pars posset se separare a summo pontifice, ut reapse ecclesia docens non iam exsisteret; nam ecclesia est indefectibilis et magisterium apostolicum usque ad finem mundi docebit homines. Singuli episcopi possunt fieri schismatici, sed non tanta eorum pars, ut magisterium apostolicum esse desinat. Sed quanta haec pars sit, non potest exacte determinari.

310. *Obi. III.* Convenit non singulis tantum hominibus sed etiam toti generi humano, ut non in solis rebus profanis sed etiam, et maxime, in re religiosa per multos errores et opiniones variabiles magis magisque accedant ad veritatem; non vero, ut veritatem immutabilem ab initio possideant et tamquam rem sterili admiratione contemplandam de manu ad manum transmittant. Ergo eodem modo ecclesia per orbem sparsa, non episcopi tantum sed integer populus christianus, doctrinam dogmaticam evolvit relative veram, quae continuo emendanda et perficienda est.

Resp. Haec est doctrina modernistarum, ab ecclesia damnata (*Denz.* n. 2006 2083 2095), estque commentum, a quo vel ipse sanus sensus abhorret, quasi nulla sint vera immutabilia, sed omnia constanter fluant. Multo magis absurda est haec opinio, si agitur de veritate a Deo revelata, quia quod Deus dixit verum, numquam potest fieri falsum. Neque tamen ideo christiani veritatem a Deo revelatam otiose contemplantur, sed singuli pro sua condicione eam magis magisque perfecte perspicere et in usum vitae religiosae convertere student. Sic habebitur progressus verus, qui non consistit in evertendis vel pervertendis iis, quae tradita sunt, sed in augendo eorum intellectu et perficiendo eorum usu.

Prop. XXXVIII. Concilia oecumenica infallibiliter docent non in solis canonibus contra haereticos factis sed etiam in capitibus, quatenus in iis doctrinam omnibus tenendam proponunt, non vero quoad disputationes et argumentationes, quae solum explicationis gratia adduntur.

311. *Stat. quaest.* a) Si episcopi ex toto orbe (*ἐκ τῆς οἰκουμένης*), a summo pontifice convocati, conveniunt ad deliberandum et definiendum de rebus ad fidem et mores pertinentibus, talis conventus est *concilium oecumenicum seu universale.* Talia concilia viginti numerantur: 1. nicaenum I (325); 2. constantinopolitanum I (381); 3. ephesinum (431); 4. chalcedonense (451); 5. constantinopolitanum II (553); 6. constantinopolitanum III (680—681); 7. nicaenum II (787); 8. constantinopolitanum IV (869—870); 9. lateranense I (1123); 10. lateranense II (1139); 11. lateranense III (1179); 12. lateranense IV (1215); 13. lugdunense I (1245); 14. lugdunense II (1274); 15. viennense 1311—1312); 16. constantiense (1414—1418); 17. florentinum (1438 ad 1445); 18. lateranense V (1512—1517); 19. tridentinum (1545 ad 1563); 20. vaticanum (1869—1870). Ex his conciliis lateranensia I, II,

III et lugdunense I non agunt de rebus dogmaticis. Concilium carthaginiense anni 418 (milevitanum) et concilium arausicanum II anni 529 per se sunt provincialia; attamen eorum canones eandem vim habent atque doctrina conciliorum oecumenicorum, quia universaliter recepti sunt.

b) Ut sit *concilium universale ratione convocationis*, invitandi sunt omnes episcopi, qui actu regunt ecclesias particulares, non necessario ii, qui consecrati sunt episcopi sed non habent actu iurisdictionem, quia hi non sunt actu pastores gregis Christi. Si unius provinciae vel regionis episcopi vocantur, patet concilium non esse oecumenicum. Sufficit, ut *moraliter omnes* invitentur, etsi nonnulli ob aliquod impedimentum invitari non possunt. Neque necessario singuli speciatim invitandi sunt, sed per se sufficit invitatio publica et universalis, quae singulis innotescere potest, etsi per accidens ad quosdam non pervenit, quia ex talibus accidentibus exercitium magisterii ecclesiastici secundum Dei voluntatem pendere non potest.

c) *Ius convocandi concilium est penes solum summum pontificem*, tum quia illi soli subsunt omnes episcopi totius orbis, tum quia ille solus episcopis concedere potest iurisdictionem in universam ecclesiam. Nihil impedit, quominus exsecutionem huius negotii aliis demandet, etiam principibus saecularibus. Veteres imperatores christiani plura concilia oecumenica convocarunt. Si hoc fecerunt consentiente summo pontifice, recte egerunt; si non consentiente summo pontifice, male egerunt, neque tunc illa concilia ratione convocationis erant oecumenica, sed facta sunt oecumenica per sequentem acceptationem et approbationem summi pontificis. Hae quaestiones potius pertinent ad historiam ecclesiasticam. Dogmatica quaestio indubie soluta est (cf. *Denz.* n. 740). Potest summus pontifex etiam cardinalibus, qui non sunt episcopi, et aliis clericis concedere ius veniendi ad concilium et ibi exercendi iurisdictionem quasi episcopalem.

d) *Ratione celebrationis concilium est oecumenicum*, si tot episcopi adsunt, ut tota ecclesia docens vere repraesentetur. Ad hoc praecipue pertinet, ut *praesideat summus pontifex* vel per se vel per legatos suos. Sed legati eatenus tantum repraesentant pontificem, quatenus eius instructiones exsequuntur. Si numerus episcoporum est minor quam quo repraesentetur tota ecclesia, possunt decreta tamen fieri universalia, si alii episcopi ea acceptant. *Non necessario omnes episcopi in concilio unanimiter consentire debent*, ut definitio sit infallibilis. Nam cum singuli episcopi non sint infallibiles, possunt inter eos esse diversae sententiae. Ex altera parte interdum quaestio aliqua necessario decidenda est. Ergo opposita sententia quorundam episcoporum non potest reddere impossibilem definitionem. Secus ecclesia, sive per orbem sparsa sive in concilium collecta, vix umquam posset quaestionem dogmaticam decidere et errorem contrarium efficaciter evellere. Quae igitur pars in concilio est ecclesia infallibiliter docens? Sine

dubio summus pontifex cum episcopis sibi consentientibus, quia ceteri sunt sine illo capite, quod essentiale est magisterio apostolico. *In multis conciliis erant episcopi dissentientes.* Ita in nicaeno Secundus et Theonas, in constantinopolitano I triginta sex macedoniani. In tridentino plus quam quinquaginta patribus decretum de invaliditate matrimoniorum clandestinorum displicuit, in vaticano sat multi episcopi restiterunt definitioni infallibilitatis summi pontificis. Nihilominus horum conciliorum decreta ut valida agnita sunt a tota ecclesia. Ceterum optimi theologi semper docebant validam esse definitionem, etiamsi minor tantum pars episcoporum cum summo pontifice in definiendo consentiret (e. g. *Canus,* De loc. theol. 5, 9, 2; *Bellarm.,* De conc. 1, 18, § «Obiciunt secundo»; *Benedict. XIV,* De syn. 13, 2, 3).

e) *Decreta et definitiones concilii a summo pontifice approbari debent,* quia solum cum capite collegium episcoporum constituit magisterium apostolicum et in universam ecclesiam iurisdictionem exercere potest. Confirmat vero pontifex acta concilii: a) aut ferendo sententiam in ipso concilio sive voce sive scripto, sive per se sive per legatos, determinatam sententiam pontificis deferentes; b) aut postea addendo actis concilii disertam confirmationem; c) aut simpliciter recipiendo et promulgare sinendo acta concilii.

312. **Prob. pars I.** *Concilium oecumenicum est infallibile in definienda doctrina omnibus tenenda.* Nam magisterium a Christo institutum est collegialiter infallibile. Atqui episcopi in concilio collegialiter definiunt aliquam doctrinam omnibus necessario esse tenendam. Ergo in hoc iudicio infallibiles sunt, quia secus Christus et Spiritus Sanctus ecclesiam reliquissent, et in errorem inducto toto magisterio ecclesiastico portae inferi praevaluissent adversus ecclesiam, et ecclesia cessasset esse columna et firmamentum veritatis.

Haec semper fuit *persuasio ecclesiae. S. Athanasius* de concilio nicaeno: «Domini verbum, per oecumenicam nicaenam synodum prolatum, in aeternum manet» (Ep. ad afr. n. 2). *S. Leo M.* de decretis conciliorum oecumenicorum ait: Deus haec «universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu» (Ep. 120, c. 1). «Unde si qui sunt, qui ab his, quae caelitus sunt constituta, dissentiant, suis opinionibus relinquantur, et ab unitate ecclesiae cum ea, quam elegerunt, perversitate discedant» (Ep. 162, c. 2). *S. Gregorius M.* de quinque conciliis usque ad sua tempora habitis: «Sicut sancti evangelii quattuor libros, sic quattuor concilia suscipere et venerari me fateor: nicaenum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur; constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii et Macedonii error convincitur; ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas iudicatur; chalcedonense vero, in quo Eutychis Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione custodio, quia in his velut in quadrato lapide sanctae fidei structura consurgit, et cuiuslibet vitae atque actionis

exsistat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, tamen extra aedificium iacet. Quintum quoque concilium pariter veneror. . . . Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit» (l. 1, ep. 25).

Eandem persuasionem concilia ipsa habent, quia anathemate afficiunt eos, qui doctrinam definitam nolunt recipere, i. e. ab universali ecclesia separant, ut e. g. *nicaenum* ait: «Hos anathematizat catholica ecclesia» (*Denz.* n. 54). Anathema quidem etiam interdum pronuntiatur a conciliis particularibus, sed hoc per se solum hunc sensum habet: Solvimus communionem ecclesiasticam cum iis, qui aliter docent. Concilia autem oecumenica anathemate perculsum eiciunt ex ecclesia, quod certe fieri non deberet, si ipsa possent in definitionibus errare (cf. *Denz.* n. 658).

Concilia sunt infallibilia per se, non per consensum ecclesiae audientis, ut olim gallicani et alii voluerent (cf. Collect. Lac. VII, 1520 sqq). Ecclesia enim audiens non est constituta ad docendum sed ad discendum. Ideo illi, qui definitiones conciliorum recipere nolebant, semper habiti sunt haeretici. Hic valet illud *S. Cypriani:* «Etsi contumax ac superba obaudire nolentium multitudo discedat, ecclesia tamen a Christo non recedit, et illi sunt ecclesia: plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens» (Ep. 66, n, 8; [ed. *Hartel*]). Supra (n. 235) iam audivimus ecclesiam regi a solis episcopis.

Concilium est infallibile per assistentiam Spiritus Sancti (cf. supra n. 285). Novas quidem revelationes non accipit, sed ex traditione haurit doctrinam definiendam. Ideo requiritur inquisitio in doctrinam traditam. At neque hoc studium neque eruditio vel ingenium episcoporum est fundamentum infallibilitatis sed Spiritus Sanctus, qui episcopos iuvat et dirigit, ut verum inveniant, inventumque definiant. Unde definitio indubitanter recipienda est, quia Spiritus Sanctus non permittit definitionem nisi absolute veram, etsi forte rationes, ob quas singuli episcopi consenserint, erant insufficientes. Ecclesia non vult credi, quantum argumenta fortasse proposita probant, sed quantum auctoritas infallibilis postulat.

313. **Prob. pars II.** *Concilia infallibiliter docent non in solis canonibus, sed etiam in capitibus,* quatenus in iis proponunt doctrinam omnibus tenendam. Quidam recentes theologi, et quod mirum est, ipse quoque *Denzinger* in praefatione Enchiridii (p. VII), censent capita et generatim omnia praeter canones non cadere sub definitionem neque infallibilem doctrinam continere. Quae opinio est manifeste contra ipsam mentem conciliorum. *Tridentinum* in prooemio decreti de iustificatione ait: Synodus «exponere intendit omnibus christifidelibus veram sanamque doctrinam ipsius iustificationis, quam sol iustitiae Christus Iesus, fidei nostrae auctor et consummator, docuit, apostoli tradiderunt, et catholica ecclesia Spiritu Sancto suggerente perpetuo retinuit, districtius inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter

credere, praedicare aut docere, quam praesenti decreto statuitur ac declaratur». Item in prooemio decreti de ss. eucharistia: «Sacrosancta synodus sanam et sinceram illam de venerabili hoc et divino eucharistiae sacramento doctrinam tradens, quam semper catholica ecclesia, ab ipso Iesu Christo Domino nostro et eius apostolis erudita atque a Spiritu Sancto, illi omnem veritatem in dies suggerente, edocta, retinuit et ad finem usque saeculi conservabit, omnibus christifidelibus interdicit, ne posthac de sanctissima eucharistia aliter credere, docere aut praedicare audeant, quam ut est hoc praesenti decreto explicatum et definitum.» Similia concilium saepe repetit (cf. *Denz.* n. 810 882 910). Eodem modo loquitur *Vaticanum,* e. g. in sess. 4, c. 3: «Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest» (*Denz.* n. 1827).

Ceterum idem theologi semper tam communiter docuerunt, ut paucorum contraria opinio pro nihilo habenda sit. Quam opinionem *Scheeben* vocat absurdam (Dogmatik l. 1, n. 562), *Kleutgen* plane arbitrariam, ipso modo procedendi conciliorum manifeste refutatam (Theologie der Vorzeit, I[2], n. 50), alii eam simpliciter ut falsam reiciunt (e. g. *Tanquerey,* De eccl.[13] n. 966; *Wilmers,* De eccl. prop. 68). Ceterum patet a Christo infallibilitatem ecclesiae nullo speciali modo loquendi alligatam esse; neque natura rei aliud postulat, nisi ut concilium mentem definiendi indubie manifestet. In symbolis ab ecclesia receptis et in magisterio ecclesiastico cotidiano, etsi non adduntur anathematismi, doctrina tamen necessario omnibus admittenda est. *Florentinum* in decreto unionis cum graecis non utitur canonibus, et tamen definit doctrinam omnibus tenendam (cf. *Denz.* n. 691 sqq). Itaque dicendum est concilium tum definire, cum hoc perspicuis verbis significat.

314. **Prob. pars III.** *Disputationes et argumentationes et similia, quae leguntur in actis conciliorum, non sunt definitiones infallibiles,* etsi non ideo spernenda sunt. Nam qui argumentatur, non utitur auctoritate, sed rationibus studet intellectum alterius convincere. Similiter qui obiter aliquid dicit vel alteri vult sensum alicuius doctrinae variis illustrationibus aperire, non censetur uti tota auctoritate, quam in re illa habet. Potest utique concilium definire argumentum aliquod, ex fontibus revelationis haustum, omnibus ut validum admittendum esse. Sed si hoc intendit, verbis claris haec intentio manifestanda est. Unde quando nihil tale declarat, neque talis intentio adesse censenda est.

Communem theologorum sententiam clare proponit *Bellarminus:* «In conciliis maxima pars actorum ad fidem non pertinet. Non enim sunt de fide disputationes, quae praemittuntur, neque rationes, quae adduntur, neque ea, quae ad explicandum et illustrandum afferuntur, sed tantum ipsa nuda decreta, et ea non omnia, sed tantum quae proponuntur tamquam de fide. Interdum enim concilia aliquid definiunt non ut certum sed ut probabile, ut *concilium viennense,* quod decrevit tenen-

dum ut probabilius infantibus in baptismo infundi gratiam et virtutes [*Denz.* n. 483]. ... Quando autem decretum proponatur tamquam de fide, facile cognoscitur ex verbis concilii. Semper enim dicere solent se explicare fidem catholicam, vel haereticos habendos, qui contrarium sentiunt, vel quod est communissimum, dicunt anathema et ab ecclesia excludunt eos, qui contrarium sentiunt. Quando autem nihil horum dicunt, non est certum rem esse de fide. Denique in ipsis decretis de fide non verba sed sensus tantum ad fidem pertinet; non enim est haereticum dicere in canonibus conciliorum aliquod verbum esse supervacaneum aut non recte positum, nisi forte de ipso verbo sit decretum formatum, ut cum in *concilio nicaeno* decreverunt recipiendam vocem *ὁμοούσιον*, et in *ephesino* vocem *θεοτόκον*» (De conc. 2, 12, § «Quartum est»). Similiter docent *Melchior Canus* (De loc. theol. 5, 5), *Caietanus* (In 1, q. 61, a. 3 ad 3), *Gregorius a Valentia* (1, disp. 4, q. 12, punct. 2), *Suarez* (De angelis 1, 3, 14), alii, quorum verba leguntur apud *Wilmers* (De eccl. 400 sqq),

315. **Obi. I.** *S. Gregorius Naz.* haec scribit: «Ego, si vera scribere oportet, ita animo affectus sum, ut omnem episcoporum conventum fugiam, quoniam nullius concilii finem laetum et faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potius quam accessionem et incrementum habuerit» (Ep. 130 ad Procop.). Ergo S. Gregorius non videtur censuisse concilia infallibiliter definire res dogmaticas.

Resp. *Conc. antec.* Et *neg. conseq.* Nam S. Gregorius omnino non loquitur de definitionibus dogmaticis conciliorum oecumenicorum sed de variis conventibus, in quibus ariani conabantur doctrinam a concilio nicaeno definitam vi et fraude pervertere et contra episcopos catholicos machinari; quales conventus fuerunt tyrensis, seleucensis, ariminensis, mediolanensis, alii. Eiusmodi igitur conventus respicit Gregorius, in quibus propter interventum imperatorum, arianis faventium, vere conciliariter agi non poterat.

316. **Obi. II.** *S. Augustinus* ait: «Ipsa concilia, quae per singulas regiones vel provincias fiant, plenariorum conciliorum auctoritati, quae fiunt ex universo orbe christiano, sine ullis ambagibus cedunt; ipsaque plenaria saepe priora posterioribus emendantur, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, et cognoscitur, quod latebat» (De bapt. 2, 3). Atqui concilia plenaria, quae emendari possunt, non sunt infallibilia. Ergo secundum S. Augustinum concilia plenaria non sunt infallibilia.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* Concilia plenaria non sunt infallibilia, si eorum definitiones dogmaticae postea everti possunt, *conc. min.;* sed nego hunc esse sensum S. Augustini. Si ea, quae antea dubia vel indefinita relicta erant, postea definiuntur, vel si novae leges disciplinares statuuntur, *neg. min.*

Ante Augustini tempora duo tantum concilia plenaria habita erant, nicaenum (325) et constantinopolitanum I (381), quibus, si placet, addi potest sardicense (343). Iamvero constantinopolitanum non emendavit, i. e. correxit doctrinam nicaeni, sed eam confirmavit, et praeterea diserte definivit divinitatem Spiritus Sancti contra macedonianos, de qua nicaenum nihil expresse

dixerat (cf. *Denz.* n. 54 85 sq). Sardicense autem nihil de fide definivit, sed deponendos esse episcopos arianos statuit (*Kirch,* Enchir. n. 464). In his igitur conciliis factae non sunt emendationes dogmaticae priorum conciliorum, nisi emendatio intellegitur magis explicita definitio. Sed quia Augustinus dicit *saepe* emendari concilia, videtur potius cogitasse de illis conventibus, de quibus in praecedenti obiectione diximus, qui possunt concilia plenaria vocari, quatenus ad ea multi episcopi ex Oriente et Occidente conveniebant. Ex his conciliis utique saepe posteriora emendarunt priora, usquedum omnes formulae falsae et ambiguae remotae erant. Sed haec non erant concilia oecumenica secundum sensum in thesi expositum.

317. **Obi. III.** *Vincentius Lirinensis* ait: «In ipsa catholica ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est» (Commonit. 2, 5; *Kirch* n. 742). Ergo si in concilio episcopi quidam contradicunt, nihil definiri potest.

Resp. *Conc. antec.* Et *neg. conseq.* Vincentius non exponit, quomodo conciliorum definitiones fieri debeant, sed quomodo singulis catholicis agendum sit, si dubitatio oriatur de vero sensu S. Scripturae; et ait non esse audiendos haereticos, qui novas doctrinas invehant contra id, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est. Statuit igitur normam positivam, non eo sensu exclusivam, quasi veritas non possit alia via inveniri. Nam pergit: Quid si deest universitas? «Tunc providebit, ut antiquitati inhaereat.» Quid si in ipsa antiquitate quidam dissentiunt? «Tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati vel inscitiae . . . universalis concilii decreta praeponat.» Quid si nihil tale inveniatur? Tunc adeat probabiles magistros, «in unius tamen ecclesiae catholicae communione et fide permanentes ... et quidquid ... omnes pariter uno eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sit sibi quoque intellegat absque ulla dubitatione credendum» (*Kirch* n. 743 sqq). Itaque inter media cognoscendae veritatis sine ulla restrictione universalis concilii decreta commemorantur. Hoc patet ex iis quoque, quae in fine Commonitorii dicit de concilio ephesino, in quo a ducentis patribus Nestorius damnatus sit ut «vetustati contrarius», Cyrillus approbatus ut «antiquitati consentaneus». Provocat ibidem ad «apostolicae sedis auctoritatem», ad Sixtum et Caelestinum pontifices, qui sanctam vetustatem defenderint.

318. **Obi. IV.** Secundum doctrinam catholicam summus pontifex infallibiliter definire potest quaestiones dogmaticas. Ergo concilia oecumenica sunt superflua.

Resp. *Conc. antec.* Et *neg. conseq.* Nam non obstante infallibilitate summi pontificis multiplex est conciliorum utilitas: 1. Omnes episcopi simul aptiores sunt ad veritatem revelatam investigandam; nam cum assistentia Spiritus Sancti non liberet a necessitate inquirendi in traditionem, episcopi ex toto orbe convenientes valde apti sunt ad hanc praeviam quaestionem decidendam. 2. Episcopi ex actionibus et disceptationibus concilii pleniorem rerum notitiam hauriunt, et paratiores fiunt ad doctrinas definitas proponendas et tuendas. 3. Licet definitio conciliaris non sit magis infallibilis vel magis obliget quam definitio pontificia, est tamen in illa maius quoddam robur externum, quia cum maiore sollemnitate fit et magis ad oculos demonstrat

sensum totius ecclesiae, et sic ex natura rei maiorem quandam vim habet ad procurandam pacem et unitatem ecclesiae et ad profligendos adversarios. Hac externa ratione potest dici sententia pontificis confirmari consensu concilii.

Schol. Sitne unum an duplex subiectum infallibilitatis.

319. De hac re sunt duae probabiles sententiae theologorum. Alii censent assistentiam Spiritus Sancti ita adesse summo pontifici, ut ab hoc se extendat ad episcopos cum ipso consentientes, ita ut reapse unum tantum sit subiectum immediatum infallibilitatis. Ita e. g. *Wilmers* (De eccl. 438). Alii censent esse *duplex subiectum*, *inadaequate distinctum,* ita ut episcopi sub summo pontifice constituant subiectum infallibilitatis per assistentiam Spiritus Sancti toti collegio concessam, independenter ab infallibilitate pontificis per se solum definientis. Ita e. g. *Franzelin* (De Trad. et Script.[4] 109 sq). Haec altera sententia praeferenda videtur. Nam: a) *Vaticanum* docet summum pontificem «ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit» (Sess. 4, c. 4; *Denz.* n. 1839). Hic igitur comparatur infallibilitas pontificis cum infallibilitate totius ecclesiae docentis, quae comparatio minus apta esset, si etiam in tota ecclesia docente solus pontifex esset subiectum immediatum infallibilitatis. b) Ante definitam infallibilitatem summi pontificis haec infallibilitas sine haeresi negari poterat et a multis negabatur; infallibilitatem autem totius ecclesiae docentis negare etiam tum erat haereticum. Ergo videtur esse duplex subiectum infallibilitatis. c) Distinctae etiam sunt promissiones Christi, factae collegio apostolorum (Mt 28, 20) et factae S. Petro (Mt 16, 18). — Ceterum non est magna differentia inter duas illas sententias. Nam qui unum tantum subiectum infallibilitatis admittunt, proxime solum intendunt excludere opinionem eorum, qui volunt episcopos separatos a summo pontifice infallibiles esse, vel qui considerant episcopos et pontificem ut coordinatos. Quam opinionem etiam illi excludunt, qui duplex subiectum, inadaequate distinctum, esse censent.

Inter omnes convenit episcopos in conciliis esse veros iudices et auctoritative sententiam ferre, quod patet ex illa formula antiquis usitata: «Definiens subscripsi.» Hoc etiam tum valet, cum res iam antea definita rursus definitur, id quod saepius in conciliis factum est. Nam ad auctoritative loquendum non requiritur, ut quis sit independens a veritate, sed ut possit sua sententia aliis imponere obligationem acceptandi ea, quae statuuntur. Si theologus aliquam doctrinam probat ex definitionibus conciliorum, nemo officium habet admittendi doctrinam propter auctoritatem theologi. Si vero concilium posterius rursus definit doctrinam prioris concilii, omnes debent hanc doctrinam admittere non minus propter auctoritatem posterioris quam prioris concilii.

ARTICULUS II.

DE MAGISTERIO SUMMI PONTIFICIS.

Cf. *Bellarminus,* De rom. pont. l. 4; *Cl. Schrader,* De unitate romana, Parisiis 1878; *Palmieri,* De rom. pont. thes. 25 sq; *J. M. A. Vacant,* Études théologiques sur les constitutions du concile du Vatican, Paris 1895; *Wilmers,* De ecclesia 409 sqq.

Prop. XXXIX. Romanus pontifex e cathedra loquens eadem infallibilitate pollet, qua ecclesia docens.

320. *Stat. quaest.* Haec thesis in *concilio vaticano* sess. 4, c. 4 non solum definita sed etiam explicata est: «Docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: romanum pontificem, cum ex cathedra loquitur, i. e. cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in B. Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor ecclesiam suam in definienda doctrina de fide et moribus instructam esse voluit, ideoque eiusmodi romani pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu ecclesiae, irreformabiles esse» (*Denz.* n. 1839).

Itaque: a) *Romani pontificis definitiones ex se infallibiles sunt,* non ideo, quia episcopi vel omnes fideles consentiunt, sed quia pontifex ipse per assistentiam Spiritus Sancti infallibilis est in definiendo (cf. quae supra n. 312 dicta sunt de concilio). Obiective quidem consensus ecclesiae numquam deest, quia non aliud sentit ecclesia, aliud caput eius, tamen infallibilitas pontificis non derivatur in ipsum ab ecclesia sed a Spiritu Sancto.

b) *Pontifex est infallibilis, si ex cathedra loquitur* (cf. Mt 23, 2), i. e. si auctoritate doctoris pro summo gradu utens, universae ecclesiae officium imponit doctrinam definitam assensu absoluto tenendi. Summus pontifex semper quidem habet supremam docendi auctoritatem in ecclesia, sed non necessario ea semper utitur, quando doctrinam aliquam proponit. Complures pontifices, ut e. g. Benedictus XIV, opera theologica in lucem ediderunt, ut alii doctores privati. Haec igitur ut aliorum theologorum opera consideranda sunt. Maiore auctoritate utitur pontifex, quando contiones habet, quia pars muneris episcopalis est doctrinam revelatam praedicare. Maiore etiam auctoritate utitur, si interrogatus de doctrina ab episcopo, responsum dat; neque tamen eo ipso totam ecclesiam obligare vult. Immo etiamsi summus pontifex encyclicas mittit ad totam ecclesiam et in iis agit de quaestionibus dogmaticis, censendum non est eum velle omnes has quaestiones infallibiliter definire. Intentio definiendi ipsis verbis indubie manifestari debet, quamquam certae formulae non requiruntur (cf. *Franzelin,* De trad.[4], 110 sq; *Choupin,* Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du Saint-Siège, Paris 1907, 24 sqq).

c) *Summus pontifex est personaliter infallibilis,* non quia ad eius personalem utilitatem data est haec praerogativa, cum subiectum utilitatis sit tota ecclesia, sed quia ipsi soli competit et in alios delegari nequit, et quia non convenit sedi romanae, ut distinguitur a sedente, sed singulis pontificibus pro tempore regnantibus (cf. supra n. 296). Sedes igitur apostolica ratione infallibilitatis idem est ac singuli pontifices. De qua re ait *Vaticanum:* «Huic pastorali muneri ut satisfacerent praedecessores nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terrae populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis antistites, nunc singuli, nunc in synodis congregati, longam ecclesiarum consuetudinem et antiquae regulae formam sequentes, ea praesertim pericula, quae in negotiis fidei emergebant, ad hanc sedem apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum. Romani autem pontifices, prout temporum et rerum condicio suadebat, nunc convocatis oecumenicis conciliis aut explorata ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quae Sacris Scripturis et apostolicis traditionibus consentanea Deo adiutore cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent» (sess. 4, c. 4; *Denz.* n. 1836).

Quae supra (n. 314) diximus de rebus, in quibus concilia non infallibiliter definiunt, applicanda sunt ad definitiones pontificias.

321. *Arg. 1.* **Ex S. Scriptura.**

Summus pontifex habet illas praerogativas, quae a Christo collatae sunt S. Petro ut primati. Atqui S. Petro ut primati collata est praerogativa infallibilitatis in docendo. Ergo summus pontifex ut successor S. Petri in primatu eandem praerogativam infallibilitatis habet.

Maior probata est supra (n. 286 sqq). Petrus quidem ut apostolus habuit varias praerogativas communes cum ceteris apostolis, quae extraordinariae et temporariae erant, sicut ipsum munus apostolatus stricte dictum. Hae igitur non transierunt in romanos pontifices, ut accipere novas revelationes, habere donum linguarum et alia charismata. Sed ea, quae pertinent ad Petrum ut fundamentum ecclesiae et pastorem totius gregis Christi, constituunt munus ordinarium et perpetuo in ecclesia mansurum (supra n. 193 sqq 220).

Prob. min. a) Mt 16, 18 sq Christus constituit Petrum futurum fundamentum ecclesiae, ut portae inferi non possint praevalere adversus eam; et Petro promittit claves regni caelorum, ut qui Petrum non sequantur, exclusi sint a regno. Atqui Petrus, si utens suprema

hac sua auctoritate, posset inducere totam ecclesiam in errorem quoad doctrinas revelatas, non esset fundamentum firmum, sed posset subvertere ecclesiam, quae ita superaretur per portas inferi. Ergo Petrus non potest ecclesiam inducere in errorem, sed est infallibilis in docendo. Item si Petrus, utens clavibus regni caelorum, posset ecclesiae imponere officium tenendi doctrinam falsam, Christus omnes sub poena perdendae salutis obligasset ad sequendam doctrinam falsam. Atqui hoc repugnat. Ergo Petrus non potest uti supremo clavium potestate ad docendum errorem, sed infallibiliter docet verum.

b) Io 21, 15 sqq Christus instituit Petrum vicarium suum pastorem supremum ad pascendum totum gregem suum, quem omnes oves sequi debent ut Christum ipsum. Atqui repugnat Christum ita tradidisse gregem suum pastori, qui posset eum pascere veneno erroris. Ergo Petrus non potest pascere gregem Christi nisi sano pabulo veritatis, seu est infallibilis in docendo.

c) Lc 22, 32 Christus ait ad Petrum: «Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.» Unde arguitur ita: Christus Petro dedit mandatum confirmandi fratres in fide, et rogavit pro eo, ut in hoc munere exercendo non deficeret fides eius. Atqui mandatum et oratio Christi fuerunt efficacia. Ergo Petrus ita confirmat fratres in fide, ut fides eius numquam deficiat, seu infallibilis est in tradenda doctrina fidei. Nam si erraret, non confirmaret fratres, sed a fidei veritate eos abduceret et ipsius fides deficeret.

Voluit Christus, ut apostoli exercitium magisterii apostolici non incoharent nisi post acceptum Spiritum Sanctum (Lc 24, 49. Act 1, 8). Ergo Petrus quoque a die tantum Pentecostes ordinarium suum munus supremi magistri orsus est; quae vero antea dixit vel fecit, ad hoc ordinarium munus non pertinent. A capite 2 usque ad caput 12 Actuum videmus Petrum exercentem hoc suum docendi et regendi munus.

Non recens inventa est explicatio, secundum quam illa verba Christi apud Lucam referuntur ad Petrum ut ad caput ecclesiae. *S. Cyrillus Alex.* ea ita circumscribit: «Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, i. e. firmamentum atque magister esto illorum, qui per fidem ad me accedunt» (In Luc. 22, 32). *S. Leo M.* de iisdem verbis ait: «Rationabiliter laetamur, gratias agentes sempiterno regi, Redemptori nostro, quod tantam potentiam dedit ei, quem totius ecclesiae principem fecit, ut si quid etiam nostris temporibus recte per nos agitur recteque disponitur, illius operibus, illius gubernaculis sit deputandum, cui dictum est: Et tu conversus confirma fratres tuos» (Sermo 4, 4). *S. Theodorus Studita* scribit ad S. Paschalem pontificem: «Tibi dixit Christus Deus noster: Et tu aliquando conversus confirmabis fratres tuos. Ecce tempus, ecce locus; opitulare nobis, qui es a Deo ad hoc ordinatus» (*M* PG 99, 1153).

322. *Arg. 2.* Ex consensu ecclesiae.

Inde a primis saeculis multi viri catholici insignes, ipsi summi pontifices, tandem etiam concilia oecumenica implicite vel explicite agnoverunt romanos pontifices in definiendis quaestionibus fidei et morum errare non posse. Atqui hic constans ecclesiae consensus est certum veritatis argumentum. Ergo romani pontifices infallibiles sunt, cum ex cathedra res fidei et morum definiunt.

Prob. mai. a) *S. Irenaeus* ait: «Maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae, eam quam habet ab apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus... [haereticos]. Ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab apostolis traditio» (Contra haer. 3, 3, 2). *S. Cyprianus* de quibusdam schismaticis ait: «Navigare audent et ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, ab schismaticis et profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse romanos, quorum fides apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum» (Ep. 59, n. 14 [ed. *Hartel*]). *S. Ambrosius* ait: «Ubi Petrus, ibi ecclesia; ubi ecclesia, ibi nulla mors sed vita aeterna» (In Ps. 40, n. 30). Laudat fratrem suum Satyrum, quod noluit cum episcopo communicare, nisi «cum romana ecclesia conveniret» (De excessu fratris sui 1, 47). Scribit ad Siricium papam: «Recognovimus litteris Sanctitatis Tuae boni pastoris excubias, qui fideliter commissam Tibi ianuam serves et pia sollicitudine Christi ovile custodias, dignus, quem oves Domini audiant et sequantur. . . . Quos Sanctitas Tua damnavit, scias apud nos quoque secundum iudicium tuum esse condemnatos» (Ep. 42). *S. Augustinus* dicit suum et conciliorum provincialium iudicium de causa Pelagii perfectam firmitatem accepisse per sedem apostolicam: «Iam enim de hac causa duo concilia missa sunt ad sedem apostolicam. Inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est; utinam aliquando finiatur error» (Sermo 131, n. 16; *Kirch,* Enchir. n. 672). *S. Hieronymus* ad Damasum papam scribit: «Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est» (Ep. 15, 16). E posterioribus saeculis audiatur *S. Thomas*: «Ad illius auctoritatem pertinet editio symboli, ad cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem summi pontificis, ad quem maiores et difficiliores ecclesiae quaestiones referuntur» (2, 2, q. 1, a. 10).

b) *S. Bonifacius I* ait: «Numquam licuit de eo rursus, quod semel statutum est ab apostolica sede, tractari» (Ep. 13; *Denz.* n. 110;

cf. 109). *S. Caelestinus I* provocat ad «apostolicae sedis inviolabiles sanctiones» (Ep. 21, n. 11; *Denz.* n. 139; cf. 129). *S. Leo M.* epistula ad Flavianum data damnaverat errorem Eutychetis, de qua re scribit ad patres concilii chalcedonensis huic suo iudicio esse standum, cum «planissime et lucidissime per litteras, quas ad beatae memoriae Flavianum episcopum misimus, fuerit declaratum, quae sit de sacramento incarnationis Domini nostri Iesu Christi pia et sincera confessio» (Ep. 93, 2). Eutyches quidem studuerat *S. Petrum Chrysol.* in suas partes trahere; sed hic respondet: «In omnibus hortamur te, frater honorabilis, ut his, quae a beatissimo papa romanae civitatis scripta sunt, oboedienter attendas, quoniam iam beatus Petrus, qui in propria sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem» (Ep. 25 inter S. Leonis M. ep.). Ad finiendum schisma Acacianum, *S. Hormisdas* praescripsit professionem fidei, quae recepta est ab omnibus episcopis orientalibus et a concilio oecumenico VIII act. 1. In qua professione haec dicuntur: «Prima salus est rectae fidei regulam custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: ‚Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam', haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica citra maculam semper est catholica servata religio. . . . Suscipimus autem et probamus epistulas beati Leonis papae universas, quas de christiana religione conscripsit, sicut praediximus, sequentes in omnibus apostolicam sedem et praedicantes eius omnia constituta. Et ideo spero, ut in una communione vobiscum, quam sedes apostolica praedicat, esse merear, in qua est integra et verax christianae religionis et perfecta soliditas» (*Denz.* n. 171 sq). *S. Leo IX* ad Michaelem Caerularium, citatis Mt 16, 18 et Lc 22, 31, sic pergit: «Erit ergo quisquam tantae dementiae, qui orationem illius, cuius velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a sede principis apostolorum, romana videlicet ecclesia, tam per eundem Petrum quam per successores suos reprobata et convicta atque expugnata sunt omnium haereticorum commenta, et fratrum corda in fide Petri, quae hactenus nec defecit nec usque in finem deficiet, sunt confirmata?» (*Denz.* n. 351). — Cum vero quidam coepissent negare infallibilitatem romani pontificis, haec negans doctrina pluries damnata est. *Sixtus IV* damnavit propositionem 7 Petri Oxomensis: «Ecclesia urbis Romae errare potest» (*Denz.* n. 730). *Alexander VIII* damnavit hanc propositionem: «Futilis et toties convulsa est assertio de pontificis romani supra concilium oecumenicum auctoritate atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate» (*Denz.* n. 1319).

c) Patres *concilii ephesini* acceptis litteris Caelestini papae, quibus Nestorius damnabatur, dixerunt: «Coacti per sacros canones et epistulam sancti patris nostri et comministri Caelestini, romanae ecclesiae episcopi, lacrimis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum [Nestorium] sententiam necessario venimus» (*Hardouin* I, 1471). In *concilio chalce-*

donensi lecta epistula dogmatica Leonis papae episcopi dixerunt: «Omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt; anathema ei, qui non ita credit. Petrus per Leonem ita locutus est» (*Hardouin* II, 306). In *concilio constantinopolitano III* episcopi de Agathone papa dixerunt: «Summus nobiscum concertabat apostolorum princeps; illius enim imitatorem et sedis successorem habuimus fautorem et divini sacramenti illustrantem per litteras. . . . Et per Agathonem Petrus loquebatur» (*Denz.* n. 288 nota 2). *Concilium constantinopolitanum IV* recepisse formulam Hormisdae papae modo audivimus. *Concilium lugdunense II* acceptavit professionem fidei in qua haec habentur: «Ipsa quoque sancta romana ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam ecclesiam catholicam obtinet. . . . Et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri» (Denz. n. 466). *Concilium florentinum:* «Diffinimus sanctam apostolicam sedem et romanum pontificem in universum orbem tenere primatum . . . et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse» (*Denz.* n. 694). Atqui romanus pontifex non habet plenam pascendi potestatem, nisi habet eandem potestatem definiendi res dogmaticas, quam habet concilium oecumenicum. Ergo *concilium vaticanum* sollemni tantum definitione stabilivit doctrinam iam diu ab ecclesia agnitam.

Merito igitur *Alexander VIII* damnavit articulum quartum cleri gallicani: «In fidei quoque quaestionibus praecipuas summi pontificis esse partes, eiusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi ecclesiae consensus accesserit» (*Denz.* n. 1325). Quare *Tournely,* cui propter «libertates gallicanas» non licebat infallibilitatem pontificis romani docere, ait: «Non dissimulandum difficile esse in tanta testimoniorum mole, quae Bellarminus (De rom. pont. 4, 1 sqq) et alii congerunt, non recognoscere apostolicae sedis seu romanae ecclesiae certam et infallibilem auctoritatem; at longe difficilius esse ea conciliare cum declaratione cleri gallicani, a qua recedere nobis non permittitur» (De rom. pont. q. 5, a. 3).

323. *Obi. I.* A verbis, quae Christus in evangeliis refertur dixisse ad S. Petrum, usque ad infallibilitatem romani pontificis, est via tam longa, ut nulli homini, qui illos textus simpliciter legit, veniat ulla suspicio sermonem esse de infallibilitate romani pontificis. Atqui argumenta tam longe petita inefficacia sunt. Ergo argumentum illud biblicum aut nihil aut non multum valet.

Resp. *Dist. mai.:* In illis verbis non est explicite sermo de romano pontifice, *conc. mai.;* in illis verbis non implicite continetur infallibilitas romani pontificis, *subdist. mai.:* Nisi ex evangeliis constaret Christum fundasse regnum spirituale, in quo munera ordinaria permanere debent usque ad finem mundi, *conc. mai.;* si perpetuitas ecclesiae et munerum ordinariorum eccle-

siasticorum a Christo instituta agnoscitur, *neg. mai. Dist. min.:* Argumenta, quae petuntur ex implicite dictis, sunt inefficacia pro iis, qui non habent sufficientem intellectum vel sufficientem notitiam ad ea penetranda, *conc. min.;* secus *neg. min.* Rationalistae et modernistae ideo tantum irrident haec argumenta, quia ipsi ut certum supponunt Christum non cogitasse de fundanda ecclesia in multa futura saecula permansura. Nos e contra supponimus cum tota traditione christiana perpetuitatem ecclesiae in Scriptura clare doceri.

324. *Obi. II.* Argumenta, quae ex traditione primorum saeculorum afferuntur ad probandam infallibilitatem romani pontificis, sunt satis ambigua; contra vero manifestum est multos rebellasse contra decisiones romanorum pontificum et ita practice negasse eorum infallibilitatem, ut Hippolytum, Tertullianum, Novatianum, Cyprianum, alios. Ergo nequaquam adest consensus ecclesiae de infallibilitate romani pontificis.

Resp. Dist. antec.: Testimonia prima sunt ambigua, i. e. non tam explicita quam testimonia posteriorum saeculorum; et multi rebellarunt contra decisiones pontificum, et facti sunt haeretici aut schismatici, si erant pertinaces, *conc. antec.;* testimonia illa non sufficienter testantur infallibilitatem pontificis pro condicione rerum et temporum, et illi, qui pertinaciter rebellarunt contra pontifices, manserunt catholici, *neg. antec. Dist. conseq.:* Non adest consensus ecclesiae, si nomine ecclesiae etiam comprehenduntur haeretici et schismatici, *conc. conseq.;* si intelleguntur soli catholici, *subdist. conseq.:* Non fuit semper consensus aeque explicitus, *conc. conseq.;* non fuit semper consensus verus et sufficienter manifestatus, *neg. conseq.*

Progressum in intellectu et applicatione doctrinae concedimus, mutationem substantialem doctrinae negamus. Ex iis, qui contra pontificem romanum rebellarunt, alii pertinaces fuerunt, alii non fuerunt. Hippolytus ante mortem reconciliatus est cum ecclesia. Novatianus et novatiani eiecti sunt ex ecclesia, similiter Tertullianus et montanistae. Cyprianus non erat mente haeretica vel schismatica animatus, sed censebat in re dubia, in qua doctrinalis decisio facta non erat, singulis episcopis relinquendam esse libertatem suam sententiam sequendi; ceterum reconciliatus est cum Sixto papa, sed singula facta ad nos non pervenerunt (cf. Praelect. dogm. VI, 234 sqq). Auctoritas summi pontificis agnita est ab ecclesia, e. g. in condemnatione pelagianismi, nestorianismi, monophysitismi (cf. *Wilmers,* De eccl. 417 sqq).

325. *Obi. III.* Infallibilitas romani pontificis est potestas exorbitans, qua omnis libera inquisitio, omnis veri nominis scientia perimitur. Atqui talem potestatem Deus censendus non est dedisse homini. Ergo admittenda non est infallibilitas romani pontificis.

Resp. Dist. antec.: Infallibilitas esset potestas exorbitans, si pontifex posset pro arbitrio definire, quidquid vellet, *conc. antec.;* si pontifex sub assistentia Spiritus Sancti potest solam veritatem a Deo revelatam recte proponere et explicare, *neg. mai.;* et nego hoc modo perimi scientiam et scientificam inquisitionem; nam de ratione scientiae non est effrenate errare et vero vel divinitus revelato vel aliunde certo obloqui posse. *Dist. min.:* Deus censendus non est dedisse homini potestatem definiendi pro arbitrio, quidquid placet, *conc. min.;* Deus censendus non est in negotio salutis aeternae dedisse hominibus doctorem, qui sub assistentia Spiritus Sancti infallibiliter iis exhibeat normam veri et honesti, *neg. min.* Et *neg. conseq.*

Illi soli, qui respuunt omnem revelationem divinam, consequenter declamare possunt contra infallibilitatem pontificis ut inimicam libertatis scientiae. Illi autem, qui credunt Deum dedisse nobis revelationem, eo ipso concedunt limitatam esse licentiam errandi; nam sive S. Scripturam sive consensum ecclesiae sive definitiones pontificias agnoscunt infallibilem veri normam, subduntur auctoritati, a qua salva fide recedere non licet. Ceterum definitiones ex cathedra factae relative tam paucae sunt, ut etiam in inquisitionibus theologicis amplissimus campus industriae scientificae relinquatur.

326. *Obi. IV.* Romani pontifices varios errores docuerunt. Ergo non sunt infallibiles.

Resp. *Dist. antec.:* Romani pontifices umquam errorem ex cathedra definiverunt, *neg. antec.;* errarunt, quando ex cathedra non definierunt, *trans. antec.,* quia ad rem nostram non pertinet. *Dist. conseq.:* Romani pontifices non sunt infallibiles, quando ex cathedra definiunt, *neg. conseq.;* quando non definiunt, *trans. conseq.*

Iuverit breviter recensere errores, qui communiter pontificibus obici solent.

1. *Liberius* papa dicitur subscripsisse formulae sirmiensi, arianae vel semiarianae.

Resp. Si subscripsit, nihil definivit, sed coactus tantum id fecit, ut se iniustis vexationibus subtraheret (*S. Athan.,* Hist. arian. 41; *Kirch,* Enchir. n. 377). At certe non subscripsit primae formulae anni 351; secus retentus non esset in exsilio usque ad annum 358. Non subscripsit secundae formulae, quae sola est manifeste haeretica, sed eam diserte damnavit (*Sozom.,* H. E. 4, 15; *Kirch* n. 846). Ergo si omnino subscripsit, tertiae formulae subscripsit, quae est quidem ambigua, sed catholice intellegi potest (tres formulas vide apud *Hardouin* I, 702 706 710). Liberius ab arianis ad ecclesiam revertentibus semper postulavit, ut fidem nicaenam profiterentur (*Socrates,* H. E. 4, 12; *Kirch* n. 777 sqq). Quae Hieronymus et alii narrant de lapsu Liberii, explicantur ex calumniis, quae ab arianis de eo sparsae erant. Fragmenta vero Hilarii (*Kirch* n. 497) a plerisque spuria habentur. Iudicium *S. Anastasii I* de Liberio apud *Denz.* n. 93.

2. *Vigilius* papa prius damnationi «trium capitulorum» restitit, postea ea damnavit, damnationem retraxit, in fine damnationi consensit. Ergo in uno aut altero casu erravit.

Resp. In quaestione de tribus capitulis non iam agebatur de damnando aut non damnando nestorianismo, qui iam damnatus erat, sed de damnandis tribus scriptis Theodori, Theodoreti, Ibae, quibus ille error continebatur. Quaestio erat, essetne opportunum illa scripta damnare necne, qua in quaestione practica solvenda Vigilius quandam inconstantiam ostendit, sed nullam doctrinam falsam ex cathedra definivit. Haec res plane non pertinet ad quaestionem de infallibilitate romani pontificis.

3. *Honorius* papa docuit in Christo unam tantum esse voluntatem, ob quem errorem inter haereticos damnatus est.

Resp. Honorius nihil ex cathedra definivit. «Non nos oportet unam vel duas operationes definientes praedicare» (*Denz.* n. 252). Praeterea nihil falsi docuit; nam statuit duas naturas inconfusas, «in uno Christo unitate naturali

copulatas, cum alterius communione operantes atque operatrices, et divinam quidem quae Dei sunt operantem, et humanam quae carnis sunt exsequentem, non divise neque confuse aut convertibiliter Dei naturam in hominem et humanam in Deum conversam edocentes sed naturarum differentias integras confitentes» (ibid.). Unitatem voluntatum docet non physicam sed moralem, quatenus humana Christi voluntas non repugnat contra divinam, «quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa, illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata» (*Denz.* n. 251). Damnatus quidem est Honorius in actione 13 *concilii III constantinopolitani,* ubi damnatis Sergio et aliis sic pergitur: «Cum his vero simul proici a sancta Dei catholica ecclesia simulque anathematizari praevidimus et Honorium, qui fuerat papa antiquae Romae, eo quod invenimus per scripta, quae ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus eius mentem secutus est et impia dogmata confirmavit» (*Kirch* n. 976). Sed hoc concilium nactum non est dignitatem concilii oecumenici nisi per confirmationem *Leonis II;* hic autem non damnat Honorium, quod haeresim docuerit, sed quod ei non fortiter restiterit, «qui flammam haeretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, sed neglegendo confovit» (*Kirch* n. 979). *Ioannes IV,* qui fuerat familiaris Honorii, dicit errorem monotheletismi fuisse «a mente catholici patris penitus alienum» (*M* PL 80, 603; cf. *Denz.* n. 253).

4. *Felix III* papa damnavit formulam: «Unus de Trinitate crucifixus est», *Ioannes II* eam approbavit.

Resp. Felix eam reiecit intellectam sensu haeretico, quia Petrus Fullo et alii ea utebantur ad profitendum monophysitismum (*M* PL 58, 903 sqq). Cum vero postea quidam monachi eam impugnabant sensu nestoriano, Ioannes II. eam approbavit sensu catholico (*Denz.* n. 201; cf. 222 255 1463).

5. *Zacharias* papa damnavit doctrinam de exsistentia antipodum.

Resp. Nulla facta est de hac re definitio ex cathedra, sed cum Virgilius quidem accusatus esset, quod doceret sub terra exsistere alium mundum cum aliis hominibus, alio sole et alia luna, ita ut ibi esset prorsus diversum genus humanum, scripsit S. Zacharias ad S. Bonifacium, episcopum Moguntinum, ut inquireret in hanc causam, et «si clarificatum fuerit ita eum confiteri, quod alius mundus et alii homines sub terra sint, seu sol et luna, hunc habito consilio ab ecclesia pelle, sacerdotii honore privatum». Ceterum se scripsisse, ut ad se mitteretur Virgilius et responderet de doctrina sua (*M* PL 89, 946 sq). Nihil mali accidit Virgilio, sed factus est episcopus salzburgensis, et post mortem a Gregorio IX inter sanctos relatus est.

6. *Nicolaus III* docuit Christum Dominum nihil omnino possidendo exemplar perfectae paupertatis fuisse. «Dicimus, quod abdicatio proprietatis omnium rerum, non tam in speciali, quam etiam in communi, propter Deum meritoria est et sancta, quam et Christus, viam perfectionis ostendens, verbo docuit et exemplo firmavit» (Const. «Exiit, qui seminat» in 6 Decret. l. 5, tit. 12, c. 3). Contra vero *Ioannes XXII:* Assertionem «Redemptorem nostrum ac Dominum Iesum Christum eiusque apostolos in speciali non habuisse aliqua nec in communi etiam . . . deinceps erroneam fore censendam et haereticam de fratrum nostrorum consilio hoc perpetuo declaramus edicto» (Const. «Cum inter nonnullos»; *Denz.* n. 494).

Resp. Non est vera inter hos duos pontifices de hac re dissensio; nam etiam Nicolaus III docet Christum possedisse quaedam. Etenim post verba citata prosequitur: «Nec his quisquam putet obstare, quod interdum dicitur Christum loculos habuisse. . . . Egit namque Christus et docuit opera perfectionis, egit etiam infirma, sicut interdum et in fuga patet et loculis, sed utrumque perfecte, perfectus exsistens, ut perfectis et imperfectis se viam salutis ostenderet.» Est autem inter illos pontifices diversitas opinionum circa rem, quae ad fidem non pertinet sed ad philosophiam speculativam: de dominio rerum usu consumptibilium. Hoc nihil ad nostram quaestionem.

7. *Stephanus VI* reordinari iussit ordinatos a Formoso papa.

Resp. Stephanus nihil de hac re definivit, sed male egit. Infallibilitas autem pontificum non excludit male facta.

8. *Benedictus XII* definivit a beatis caelestibus videri essentiam Dei ante diem iudicii. Hoc autem antea negaverat Ioannes XXII.

Resp. Ioannes XXII ipse declaravit se nihil de hac re definivisse, sed locutum tantum esse «conferendo et non determinando nec etiam tenendo, et sic et non aliter volumus esse dicta» (cf. Praelect. dogm. IX, 585).

9. *Sixtus V* in constitutione «Aeternus ille» statuit «de apostolicae potestatis plenitudine» authenticam editionem Vulgatae «sine ulla dubitatione aut controversia censendam esse hanc ipsam, quam nunc, prout optime fieri potuit, emendatam . . . in omnibus christiani orbis ecclesiis legendam evulgamus, decernentes eam . . . pro vera, legitima, authentica et indubitata in omnibus publicis privatisque disputationibus, lectionibus, praedicationibus et explanationibus recipiendam et tenendam esse». Haec autem editio erat mendosa, ut mox retractata sit et multis correctionibus factis denuo in lucem prodierit.

Resp. Haec constitutio Sixti V numquam publicata est et ideo canonica authenticitate caret, ut ostendit *X. Le Bachelet* (Études 126 [Paris 1910] 752 sqq, vel in libro: Bellarmin et la Bible Sixto-Clémentine, Paris 1911). Neque Sixtus V affirmat editionem suam esse tam perfectam, ut nullae imposterum emendationes cum auctoritate apostolicae sedis fieri possint, sed simpliciter eam esse authenticam editionem. Statim post opus impressum coepit ipse varias correctiones facere, sed morte praeventus opus ad exitum perducere non potuit. Neque aliam authenticitatem editioni attribuit quam Tridentinum Vulgatae. Unde si qui textus sunt, quorum genuinitas ex dedreto tridentino certe probari nequit, ut Comma Ioanneum, neque ex constitutione Sixti V certo probari potest.

10. Tandem *Paulus V* et *Urbanus VIII* approbando decreta inquisitionis de systemate Galilaei insigniter erraverunt, putantes de fide esse solem circa terram moveri.

Resp. Cum decreta congregationum romanarum, etiam approbata a summo pontifice, non sint definitiones ipsius pontificis ex cathedra loquentis, hac re non tangitur infallibilitas pontificia; neque ullus theologus catholicus umquam docuit congregationes romanas esse infallibiles. Historia causae Galilaei non est tractanda in theologia dogmatica (cf. *A. Müller*, Der Galilei-Prozeß, Freiburg 1909).

Haec exempla sufficiant. Multas alias obiectiones proponit et discutit *Bellarminus* (De rom. pont. 4, 8 sqq), quarum aliae falsis nituntur docu-

mentis, aliae tam leves sunt, ut commemorationem non mereantur. Multae nunc non iam repetuntur, multae quoque solutiones progressu scientiae faciliores et simpliciores factae sunt, quam temporibus Bellarmini erant.

327. **Coroll.** *De Syllabo Pii IX.* Si incertum est, utrum documentum pontificium contineat definitionem ex cathedra necne, non oritur obligatio credendi vel firmissimo assensu tenendi ea, quae dicuntur. Exemplo sit *Syllabus Pii IX.* Quidam dicunt eum esse definitionem ex cathedra. Ita Card. *Mazzella* (De relig. et eccl. 822). Alii censent non esse per se definitionem, sed singulas eius propositiones aliis occasionibus esse damnatas a summo pontifice ex cathedra loquente. Ita *Rinaldi* (Il valore del Sillabo, Roma 1888, 7 sqq). Alii censent eum factum esse normam infallibilem vi adhaesionis episcoporum catholicorum moraliter omnium. Ita *Hurter* (Comp. theol. I, n. 513). Alii censent esse normam, etsi non infallibilem, tamen authenticam, a summo pontifice toti ecclesiae praeceptam, quam omnes sequi debeant. Ita *Choupin* (Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du Saint-Siège, Paris 1907, 121 sqq). Hoc ultimum esse minimum, quod admittendum sit, convenit inter theologos (cf. *De Groot,* Summa apologet.[3], 634 sqq).

Schol. De auctoritate congregationum romanarum.

328. Congregationes sunt collegia cardinalium, certis negotiis dirigendis, discutiendis, et in forma sive administrativa sive iudiciali decidendis designata. Totum hoc institutum per constitutionem «Immensa» *Sixti V* suam formam accepit, sed per constitutionem «Sapienti consilio» *Pii X* in novam formam redactum est. Ex congregationibus principalis est «sanctum officium» (olim «inquisitio»), quod est summum fidei tribunal et iudicat de haeresibus, de doctrinis suspectis, de criminibus cum haeresi nexis. Praeses eius est ipse summus pontifex, qui solis sessionibus feriae V praesidet. Votum decisivum soli cardinales, non vero consultores vel alii habent. Congregatio indicis est quasi vicaria sancti officii; eius est examinare libros eosque prohibere, qui quomodocumque sunt contra sanam doctrinam vel bonos mores. Sanctum officium potestate ordinaria, a summo pontifice accepta, potest intra certos limites universae ecclesiae dare leges in rebus fidei et morum. Sed quia non est infallibile, eius decisiones non sunt per se irreformabiles, nisi summus pontifex eas sollemni modo suas facit, i. e. ex cathedra definit, aut nisi ita ubique recipiuntur, ut in professionem totius ecclesiae transeant. Ut fiat decretum infallibile, non sufficit simplex approbatio, i. e. mandatum, ut decretum sancti officii promulgetur.

Itaque decisiones sancti officii neque fide divina neque ullo assensu absolute firmo teneri possunt. Neque vero ex altera parte simpliciter respui possunt; immo neque sufficit solum silentium obsequiosum; sed

quia congregatio cum auctoritate canonica docet, assensus internus praebendus est (*Denz.* n. 1684). Nam non solis infallibilibus auctoritatibus sed omnibus, quae sunt verae et legitimae auctoritates, assentiendum est eo gradu assensus interni, qui respondet gradui auctoritatis. Sanctum autem officium est auctoritas religiosa supremi gradus infra infallibilem auctoritatem. Ergo eius decisionibus assentiendum est assensu religioso, i. e. assensu, cuius motivum est auctoritas, non divina sed humana, attamen auctoritas religiosa summa, in ecclesia legitime constituta, cui resistere est Deo resistere, cui se subicere est Deo se subicere; ideo haec subiectio dicitur fieri per assensum religiosum. Hic assensus eatenus est condicionatus, quatenus tacitam condicionem includit: Nisi decisio postea cognoscatur erronea. Ergo si apparent solida et sufficientia motiva dubitationis, prudenter suspenditur assensus; sed seclusis talibus motivis standum est decisionibus sancti officii. Unde merito damnata est haec propositio modernistarum, quae est octava decreti «Lamentabili»: «Ab omni culpa immunes existimandi sunt, qui reprobationes, a sacra congregatione indicis aliisve sacris romanis congregationibus latas, nihili pendunt» (*Denz.* n. 2008).

Haec eadem applicanda sunt ad decreta, quae summus pontifex non pro suprema sua auctoritate edit, et ad decreta aliorum superiorum ecclesiasticorum, qui sunt doctores authentici sed non infallibiles (cf. supra n. 280). Oboedientia enim intellectualis multo latius patet quam provincia fidei divinae et infallibilis certitudinis (cf. *Wilmers,* De eccl. 441 sqq; *Choupin,* Valeur des décisions 24 sqq 56 sqq).

ARTICULUS III.

DE OBIECTO MAGISTERII ECCLESIASTICI.

Cf. *Franzelin,* De tradit. thes. 12, schol. 1, princip. 2; *Wilmers,* De ecclesia prop. 73 sqq; *L. Choupin,* Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du Saint Siège, Paris 1907; *Palmieri,* in proleg. operis: De rom. pont. § XL, et alii auctores in tractatu de ecclesia.

Prop. XL. Ecclesia est infallibilis in definienda doctrina revelata.

329. **Stat. quaest.** *Magisterium ecclesiasticum non iam accipit a Deo novas revelationes publicas, quales apostoli acceperunt, sed officium habet doctrinam apostolis revelatam et ab ipsis propositam fideliter servandi et exponendi.* S. Paulus monet Timotheum: «Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti. . . . Bonum depositum custodi. . . . Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere. . . . Tu assecutus es meam doctrinam. . . . Permane in iis, quae didicisti et credita sunt tibi, sciens, a quo didiceris» (2 Tim 1, 13 sq; 2, 2; 3, 10 14). «Licet nos aut angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut praediximus, et nunc iterum

dico: Si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit» (Gal 1, 8 sq). Soli apostoli erant organa divinae revelationis immediate accipiendae; aliis omnibus discendum erat ab apostolis et permanendum in iis, quae didicerant, ut ita sint «superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum» (Eph. 2, 20). *Kerygma* apostolicum continet integram doctrinam revelatam (cf. Rom. 16, 17; Col. 2, 7; Iud v. 3).

Ecclesia semper docuit non esse post mortem apostolorum novas revelationes exspectandas sed perseverandum in doctrina tradita. *S. Irenaeus:* «Non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab ecclesia sumere, cum apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quae sint veritatis, ut omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus, omnes autem reliqui fures sunt et latrones. Propter quod oportet devitare quidem illos, quae autem sunt ecclesiae, cum summa diligentia diligere et apprehendere veritatis traditionem» (Contra haer. 3, 4, 1) *S. Augustinus:* Episcopi «quod invenerunt in ecclesia, tenuerunt; quod a patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt» (Contra Iulian. 2, 34). *Vincentius Lirinensis:* «Depositum custodi, i. e. quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii sed doctrinae, non usurpationis privatae sed publicae traditionis» (Commonit. 22). *S. Caelestinus I:* Fides «plene et manifeste tradita ab apostolis nobis, nec augmentum nec immunitionem requirit» (Ep. ad Nest.; *Mansi* IV, 1027 sq). Cf. supra n. 306. Idem unanimiter docent theologi, e. g. *S. Thomas:* «Innititur fides nostra revelationi apostolis et prophetis factae, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit aliis doctoribus facta» (1, q. 1, a. 8 ad 2). Idem post alia concilia docuerunt *Tridentinum* et *Vaticanum* (*Denz.* n. 783 1787 1798 1800). Damnata vero est propositio modernistarum: «Revelatio, obiectum fidei catholicae constituens, non fuit cum apostolis completa» (Decr. «Lamentabili» 21; *Denz.* n. 2021).

Hac re supposita patet, quid sit *definitio dogmatica.* Nihil enim aliud est nisi authentica et sollemnis declaratio doctrinam aliquam pertinere ad divinam revelationem ab apostolis traditam. Ad dogma enim sensu stricto acceptum duo requiruntur: a) revelatio divina, b) sollemnis propositio ecclesiae. Quae a Deo revelata sunt, semper aut explicite aut implicite in praedicatione ecclesiastica continebantur. At pro temporum necessitate modo hae modo illae veritates magis efferebantur, aliis interim magis e luce recedentibus. Praeterea multa prius simpliciter credebantur, postea vero factae sunt obiectiones, dubitationes, opinionum varietates, donec ecclesia definivit, quid in revelatione contineretur. Itaque progressus hic fit praecipue in certitudine de facto revelationis quantum ad has vel illas speciales doctrinas.

330. *Arg. 1.* **Ex promissione Christi.**

Christus promisit ecclesiae infallibilitatem in proponenda doctrina revelata (supra n. 188 220 280 *c*). Atqui ecclesia in definienda doctrina revelata modo maxime sollemni et graviter omnes obligante fungitur munere sibi a Christo commisso. Ergo si umquam, tum maxime infallibiliter docet; idque valet, sive definitio fit conciliariter sive a solo summo pontifice. Neque refert, utrum proponatur doctrina pure theoretica, quae solum credenda definitur, an agatur de stabilienda doctrina practica, quae ad mores pertinet. Nam etiam morum doctrina revelata est; et si ecclesia id quod est inhonestum et vitandum, proponeret ut honestum et observandum, eo ipso erraret in fide. Neque solum ecclesia infallibilis est, quatenus docet, quid tenendum sit, sed etiam quatenus errores oppositos damnat; nam qui potest infallibiliter docere, quid secundum revelationem divinam sit verum, eo ipso infallibiliter docere potest contradictorium esse falsum.

331. *Arg. 2.* **Ex persuasione ecclesiae.**

Ecclesia ipsa scire debet, quando sit infallibilis; nam inutile esset, si ecclesia sciret se esse infallibilem, sed nesciret, quando et quibus in rebus. Atqui ecclesia maxime iudicat se esse infallibilem, quando definit, quid sit a Deo revelatum, quid vero veritati revelatae contrarium. Nam declarat ad salutem necessarium esse credere, quae ita definiuntur, et anathemate afficit eos, qui credere nolunt (cf. supra n. 313). Ergo ecclesia est infallibilis in definienda doctrina revelata. Hoc SS. Patres, hoc theologi semper agnoverunt, ut patet ex iis, quae dicta sunt supra in Prop. XXXVIII et XXXIX. Damnata vero est haec thesis: «Romani pontifices et concilia oecumenica . . . etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt» (*Denz.* n. 1723).

332. *Arg. 3.* **Ex forma fidei tridentina.**

Omnes episcopi et multi alii, qui indicantur in *Tridentino* (sess. 25, c. 2 de reform.), in bulla *Pii IV* «Iniunctum nobis», in bulla *Pii V* «In sacrosancta» cum iuramento profitentur: «Omnia a sacris canonibus et oecumenicis conciliis, ac praecipue a sacrosancta tridentina synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia atque haereses quascumque, ab ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reicio et anathematizo» (*Denz.* n. 1000). Atqui totus episcopatus seu tota ecclesia docens non potest se cum iuramento obligare ad definita indubitanter recipienda et ad anathematizandas doctrinas contrarias damnatas, nisi definitiones sunt infallibiliter verae. Ergo ecclesia infallibiliter definit veritates revelatas et damnat contrarios errores.

333. *Obi. I.* Si ea, quae ecclesia definivit, sunt in perpetuum immutabiliter stabilita, non iam remanet nisi nuda et infructuosa rerum definitarum

consideratio et repetitio. Atqui hoc pugnat cum indole intellectus humani, semper ad ulteriora nitentis. Ergo tam immutabiles definitiones admittendae non sunt.

Resp. *Neg. mai.* Nam duplex est utilitas definitionum immutabilium: a) Res definitas credentes, meremur apud Deum et crescimus in fide; b) remota dubitatione habemus firmum solum, quo tuto progredi possimus tum ad plura cognoscenda, tum, si agitur de veritatibus practicis, ad mores recte conformandos.

Modernistarum est haec mentis aberratio, quod putant in vita, quae vere vita sit, omnia necessario esse fluxa, nihil stabile et permanens. Certe Deus ipse simul summa vita est et summe stabilis, et si quod principium divinum est in ecclesia, participabit ecclesia et de vita Dei et de eius immutabilitate. Vitam manifestabit fide, spe, caritate ceterisque virtutibus annexis; immutabilitatem habebit inhaerendo primo vero et summo bono. Sic praecise definitiones ecclesiasticae incitamento fuerunt fidelibus ad scientiam theologicam maiore cum fervore expoliendam et sanctitatem securius prosequendam, quemadmodum e. g. factum est post concilium tridentinum. Fides divina postulat, ut id, quod creditur, obiective verum sit; quod autem obiective verum est, semper verum est. Quare *concilium vaticanum* (sess. 3, de fide et ratione can. 3) ait: «Si quis dixerit fieri posse, ut dogmatibus ab ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intellegit ecclesia, A. S.» (*Denz.* n. 1818. Errores modernistarum ibid. n. 2079 sq 2094).

334. *Obi. II.* Quod antea sufficiebat ad salutem, etiam nunc sufficit ad salutem. Atqui antea ad salutem necessarium non erat ea omnia explicite credere, quae a posterioribus conciliis definita sunt. Ergo ne nunc quidem hoc ad salutem necessarium est.

Resp. *Dist. mai.:* Quae antea ex necessitate medii sufficiebant ad salutem, etiam nunc sufficiunt ad salutem ex necessitate medii, *conc. mai.;* non possunt postea ex praecepto esse necessaria, quae antea non erant necessaria, *neg. mai. Conc. min.* Et *dist. conseq.:* Non omnia, quae concilia definierunt, credenda sunt ex necessitate medii, *conc. conseq.;* non omnia credenda sunt ex necessitate praecepti, *subdist. conseq.:* Non omnia omnibus explicite, *conc. conseq.;* non omnia omnibus saltem implicite, *neg. conseq.*

Quaedam principales veritates, ut exsistentia Dei remuneratoris bonorum et malorum, omnibus adultis credendae sunt, quia haec fides est *medium absolute necessarium ad salutem consequendam.* Alia vero *ex praecepto divino* necessario credenda sunt, ut qui culpabiliter hoc praeceptum neglegit, propter peccatum commissum poena dignus sit. De singulis obiectis, quae haec duplex necessitas respicit, agitur in tractatu de fide et in theologia morali. Plurima, quae a conciliis definita sunt, creditu necessaria sunt necessitate praecepti. Haec necessitas praecepti tum tantum adest, cum de praecepto constat. Quamdiu de praecepto disputabatur et dubitabatur relate ad speciales doctrinas, hae doctrinae non erant necessario explicite credendae. Adest vero praeceptum, si per definitionem concilii dubitatio tollitur. At ne omnia quidem definita omnibus explicite credenda sunt; nam inter ea non pauca subtiliora sunt, quae eos nosse oportet, qui officium docendi in ecclesia habent, non vero communem populum. Itaque statim ab initio

ecclesiae omnes debebant explicite credere quasdam fundamentales veritates, implicite vero omnia, quae Deus revelavit et ecclesia credenda proponit. Haec obligatio eadem semper fuit et est; sed quaedam postea explicite proponebantur, quae antea implicite credebantur, et sic quaedam extensio obiecti materialis facta est. Hoc est incrementum intellectus et progressus cognitionis, quod est magnum bonum intellectuale, quocum comparari nequit onus credendi plura explicite, si tamen onus dici meretur.

De hac re inter alia ait *Vincentius Lirinensis* in Commonitorio: «O rerum mira conversio! Auctores eiusdem opinionis catholici, consectatores vero haeretici iudicantur; absolvuntur magistri, condemnantur discipuli; conscriptores librorum filii regni erunt, assertores vero gehenna suscipit» (c. 6). Sed idem praedicat hanc rerum conversionem ut aliquid gratulandum, exponens verba Pauli ad Timotheum: «Intellegatur te [Timotheo] exponente illustrius, quod ante obscurius credebatur; per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur» (c. 22). «Fas est, ut prisca illa caelestis philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est, ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem» (c. 23). «Nullusne ergo in ecclesia profectus habebitur religionis? Habeatur plane, et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. . . . Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intellegentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia» (c. 23; cf. *Denz.* n. 1800).

335. **Obi III.** Si per definitiones ecclesiae infallibiliter certa fiunt, quae antea dubia erant, christiani nostrae aetatis meliorem cognitionem rerum revelatarum habent quam theologi medii aevi, hi theologi meliorem quam SS. Patres, SS. Patres meliorem quam apostoli. Atqui hoc modo ab initio cognitio revelationis fuisset valde ieiuna et imperfecta, id quod non videtur admittendum.

Resp. *Dist. mai.:* Christiani nunc meliorem cognitionem habent quam apostoli, *neg. mai.;* quam alii, qui post apostolos vixerunt, *subdist. mai.:* Speciales quasdam doctrinas cum maiore certitudine ut revelatas cognoscunt, *conc. mai.;* integram rationem et vim religionis revelatae theoretice et practice melius penetramus et applicamus, quam SS. Patres et ecclesiae Doctores, *neg. mai.* Unde patet responsum ad minorem.

Fuit unus alterve theologus recentior, qui putabat apostolos et primos christianos praeter pauca dogmata fundamentalia vix ullam profundiorem notitiam religionis revelatae habuisse, ut hac ratione potuerint multa discere a SS. Patribus, et Patres rursum a sequentibus theologis (cf. *Kleutgen,* Theologie der Vorzeit V, n. 583). Sed haec opinio est falsa, et nititur falso supposito, quasi profundior intellegentia rerum revelatarum in ecclesia sit unice fructus virium naturalium et laborum humanorum. At ecclesiae promissus est Spiritus Sanctus, qui eam introduceret in omnem veritatem. Spiritus autem Sanctus modo plane singulari, postea numquam repetito, illuminavit apostolos, dein, etsi inferiore gradu, SS. Patres et ecclesiae Doctores.

Itaque haec statuenda sunt: a) Plurima dogmata statim ab initio proposita esse patet ex S. Scriptura Novi Testamenti. In theologia positiva dogmata omnia probantur ex Scriptura et Patribus. Ergo certe ab initio non fuit ieiuna notitia revelationis. b) Quod apostolos attinet, eorum scripta ostendunt, et ecclesiae semper persuasum fuit eos sub influxu Spiritus Sancti melius perspexisse res revelatas quam ullum alium post eos, etsi forte inter se differebant maiore vel minore gradu luminis infusi, et licet ipsi nondum habuerint terminos technicos posteriorum temporum neque systema theologiae scientifice excultum. Ergo in rebus fidei et morum apostoli nihil discere potuissent a SS. Patribus vel theologis nisi quandam externam formam et methodum (cf. *Ioann. Chrysost.,* Hom. 26 in 2 Cor.; *S. Ambros.,* Sermo 5 in Ps. 118, n. 38; *S. Aug.,* In Io. tract. 18 36 97; *Suarez,* De fide disp. 2, sect. 6, n. 10; *De Lugo,* De fide disp. 3, sect. 5, n. 67; *Franzelin,* De trad. thes. 25, n. III).

Ex dictis efficitur aliquid posse esse *dogma in se* seu verum divinitus revelatum, quod non sit *dogma quoad nos,* quia nobis non certo constat, num sit revelatum. Si dogma aliquod in S. Scriptura vel in aliis fontibus theologicis tam clare continetur, ut sine definitione ecclesiae de hac re dubitari non possit, est *dogma fidei divinae.* Illud vero dogma, quod definitione concilii vel summi pontificis explicite credendum proponitur, est *dogma fidei definitae.* Latiore sensu omnia, quae ecclesia absolute tenenda proponit, dogmata dici possunt, sed ex usu dogma dicitur sola veritas formaliter revelata. In S. Scriptura voce dogmatis significatur lex sive divina sive humana (Act 16, 4; 17, 7; Lc 2, 1; Eph 2, 15; Col 2, 14 in textu graeco).

Prop. XLI. Ecclesia est infallibilis in statuendis conclusionibus theologicis.

336. ***Stat. quaest.*** Iam in ipsis definitionibus dogmaticis stricte dictis non raro obiectum definitum eatenus non est pure divinitus revelatum, quatenus *ad rem revelatam convenienter exprimendam eliguntur certi termini technici,* qui ut tales a Deo non sunt revelati sed sub assistentia divina ab ecclesia electi, e. g. *ὁμοούσιος,* transubstantiatio. Etenim quia sine recta dicendi ratione recta doctrina servari nequit, ecclesia, ut depositum fidei integrum custodiat, infallibiliter eligat necesse est convenientem loquendi modum, quo fideles verum revelatum debito modo profiteantur, quia «per verba, quae quis loquitur, suam fidem profitetur, et ideo, si sit inordinata locutio circa ea, quae sunt fidei, sequi potest ex hoc corruptio fidei» (*S. Thomas* 2, 2, q. 11, a. 2 ad 2). Itaque termini ab ecclesia definiti, etsi non sunt a Deo revelati, sunt tamen infallibiliter recti (cf. *Denz.* n. 1529).

Magis etiam intercedit elementum humanum in *conclusionibus theologicis.* In his enim non termini tantum ab hominibus inventi sunt, sed veritas quoque intercedit non a Deo revelata sed naturaliter cognita. Propositio a Deo revelata potest adhiberi ut maior alicuius syllogismi, et in minore poni verum naturaliter notum, ut ex principio altero non revelato sed naturaliter certo fiat conclusio. Talis est con-

clusio theologica, quae a Deo non est immediate et formaliter sed mediate et virtualiter revelata. E. g. Deus Filius est Verbum Patris. Atqui verbum procedit ex intellectu. Ergo Filius procedit ex intellectu Patris. Maior est revelata; minor non est revelata sed naturaliter certa. Ergo conclusio est theologica.

Conclusiones theologicae fieri possunt aut a doctoribus privatis aut ab auctoritate ecclesiastica. Hic *agimus de conclusionibus ab ecclesia statutis,* sive positive statuuntur tales veritates tenendae, sive negative reprobantur falsae doctrinae, cum veritate revelata mediate pugnantes. Positive e. g. statuitur haec thesis: «Ratiocinatio Dei exsistentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest» (*Denz.* n. 1650). Plerumque reprobantur errores philosophici, fidei inimici.

Infallibilitatis subiectum idem est, quod supra (n. 304 sqq) indicavimus, et condiciones eaedem.

337. *Arg. 1.* **Ex munere ecclesiae integrum servandi depositum fidei.**

Ecclesia ad hoc accepit infallibilitatem, ut integrum servet fidei depositum (supra n. 187 sq 220 280*c* 329). Atqui ecclesia non potest efficaciter integrum servare depositum fidei, nisi infallibiliter statuere potest conclusiones theologicas. Ergo ecclesia est infallibilis in statuendis conclusionibus theologicis.

Prob. min. Depositum fidei destrui vel laedi potest per errores ordinis naturalis. Fac enim a philosopho affirmari naturalem potentiam intellectus investigandi omne verum cuiuslibet ordinis; consequenter negatur doctrina revelata de mysteriis fidei. Vel suppone philosophum negare exsistentiam Dei posse ratiocinando certo cognosci; hac assertione destruitur possibilitas fidei supernaturalis. Reapse decursu temporum a philosophis permulti errores prolati sunt, cum quibus veritates revelatae plane consistere nequeunt. Ergo nisi ecclesia infallibiliter iudicare potest de veritate aut falsitate doctrinarum naturalium, cum veritatibus revelatis cohaerentium, impar est deposito fidei integro custodiendo et tradendo.

338. *Arg. 2.* **Ex doctrina et praxi ecclesiae.**

Ecclesia saepe theoretice et practice manifestavit persuasionem se posse infallibiliter iudicare de doctrinis cum revelatione mediate conexis. Atqui ecclesia scit, quousque extendatur infallibilitas sua. Ergo ecclesia in diiudicandis conclusionibus theologicis est infallibilis.

Prob. mai. Adrianus I damnavit adoptianismum (*Denz.* n. 299 309 sqq), de quo nihil est immediate revelatum. *Martinus V* iussit interrogari suspectos errorum Wiclif et Hus, utrum credant veram et catholicam esse damnationem articulorum Wiclif et Hus, «scilicet,

quod supradicti quadraginta quinque articuli Ioannis Wiclif et Ioannis Hus triginta non sunt catholici, sed quidam ex iis sunt notorie haeretici, quidam erronei . . .» (*Denz.* n. 661). Ergo ecclesia habet potestatem non solum damnandi articulos haereticos, qui immediate veritati revelatae opponuntur, sed etiam erroneos, qui mediate tantum opponuntur. Porro ecclesia damnavit traditionalismum (*Denz.* n. 1622 sqq 1649 sqq 1634 1790), ontologismum (*Denz.* n. 1659 sqq), falsa systemata Hermesii, Guentheri et aliorum (*Denz.* n. 1634 sqq 1655 sqq). Decretis autem suis contra haec falsa systemata latis absolutam oboedientiam intellectualem postulavit, id quod etiam patet ex iurisiurandi formula contra modernismum praecepta. Ergo nisi velimus dicere ecclesiam in his rebus limites auctoritatis suae transgressam esse, fatendum est auctoritatem eius ad haec obiecta extendi. Etsi varia ex his iudiciis ecclesiasticis non prodierunt a tribunalibus per se infallibilibus, tamen propter consensum subsequentem totius ecclesiae docentis facta sunt infallibilia.

Pius IX docet viris catholicis satis non esse, ut «ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse ut se subiciant ... iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones iisdem doctrinae capitibus adversae, quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram» (*Denz.* n. 1684). *Concilium vaticanum* sess. 3, c. 4 docet: «Porro ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi mandatum accepit fidei depositum custodiendi, ius etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam. Quapropter omnes christiani fideles huiusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino» (*Denz.* n. 1798). Intellegi autem hic non solas conclusiones doctrinae revelatae immediate contrarias sed etiam mediate repugnantes, patet ex fine canonum de fide et ratione, ubi haec leguntur: «Quoniam vero satis non est haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt, omnes officii monemus servandi etiam constitutiones et decreta, quibus pravae eiusmodi opiniones, quae isthic diserte non enumerantur, ab hac sancta sede proscriptae et prohibitae sunt» (*Denz.* n. 1820). Tandem damnatae sunt variae propositiones modernistarum huc pertinentes. 5: «Cum in deposito fidei veritates tantum revelatae contineantur, nullo sub respectu ad ecclesiam pertinet iudicium ferre de assertionibus disciplinarum humanarum.» 7: «Ecclesia, cum proscribit errores, nequit a fidelibus exigere ullum internum assensum, quo iudicia a se edita complectantur.» 24: «Reprobandus non est exegeta, qui praemissas adstruit, ex quibus sequitur

dogmata historice falsa aut dubia esse, dummodo dogmata ipsa directe non neget» (*Denz.* n. 2005 2007 2024).

Itaque haec nostra thesis nondum quidem sollemniter est definita, etsi in concilio vaticano praeparatus erat hic can. 9 schematis de ecclesia Christi: «Si quis dixerit ecclesiae infallibilitatem ad ea tantum restringi, quae divina revelatione continentur, nec ad alias etiam veritates extendi, quae necessario requiruntur, ut revelationis depositum integrum custodiatur, A. S.» (Collect. Conc. Lac. VII, 577). Perventum non est ad definitionem. Unde interim thesis nostra consideranda est saltem ut conclusio theologica, quae non solum a theologis ut certa agnoscitur, sed etiam doctrina et praxi auctoritatis ecclesiasticae non quidem definita sed approbata et confirmata est. In concilio vaticano diserte declaratum est patres interim nolle decidere quaestionem, utrum infallibilitas ecclesiae in his rebus esset dogma fidei an solum veritas theologice certa (Collect. Lac. VII, 414 sqq).

339. *Obi. I.* Ecclesia non est infallibilis nisi intra ambitum rerum revelatarum, quae sunt obiectum eius proprium. Atqui iudicando de rebus non revelatis sed ad naturalem tantum cognitionem pertinentibus non manet intra ambitum obiecti proprii. Ergo in iudicando de his rebus non est infallibilis.

Resp. *Dist. mai.:* Ecclesia non est infallibilis nisi circa obiecta revelata, si intelleguntur sola immediate et formaliter revelata, *neg. mai.;* si intelleguntur etiam mediate et virtualiter revelata, *conc. mai.* *Dist. min.:* Ecclesia iudicando de rebus naturalibus cum revelatione non cohaerentibus non maneret intra ambitum obiecti proprii, *conc. min.;* sed de his ecclesia non iudicat; iudicando de rebus naturalibus, quae et quatenus cum revelatis cohaerent, non manet intra ambitum obiecti proprii, *neg. min.* Et sub data distinctione, *neg. conseq.*

340. *Obi II.* Non potest quidquam credi fide divina, nisi quod a Deo formaliter revelatum est vel explicite vel implicite. Atqui si ecclesia infallibiliter definit conclusiones theologicas, hae conclusiones, quamvis non sint formaliter revelatae, tamen fide divina credendae essent. Ergo ecclesia non potest infallibiliter definire conclusiones theologicas.

Resp. *Conc. mai.* *Neg. min.:* Est quidem de hac re disputatio inter theologos, sed praeferenda videtur eorum sententia, qui dicunt has conclusiones non esse fide divina credendas sed fide ecclesiastica tenendas (cf. Praelect. dogm. VIII, n. 256). Etsi Spiritus Sanctus praeservat ecclesiam ab errore in definiendis conclusionibus theologicis, hoc non fit per novam revelationem. Itaque cum Deus ab initio non proposuerit has conclusiones ut sua testimonia, et cum ecclesia eas inveniat ope ratiocinii naturalis, non possunt hae doctrinae accenseri verbo Dei formaliter revelato, sed sunt medium quid inter veritatem revelatam et veritatem naturalem. Si theologus iis assentit, quia ipse perspicit vim argumenti, est assensus scientificus. Si assentimus, quia ecclesia has conclusiones auctoritative proponit, est fides ecclesiastica, cuius proximum motivum est auctoritas humana ecclesiae, per assistentiam divinam infallibilis. Propterea theologi solent sic distinguere: Revelata *creduntur,*

conclusiones theologicae *tenentur,* etsi in quaestionibus theologicis verbum credendi modo latius modo strictius sumitur.

341. *Obi. III.* Disciplinae naturales habent sua propria principia et normas. Atqui ecclesia iudicans de disciplinis naturalibus, fieret earum principium et norma. Ergo ecclesia de iis iudicare nequit.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* Ecclesia fit norma interna et positiva, *neg. min.;* fit norma externa et negativa, *subdist. min.:* In omnibus, *neg. min.;* in quibusdam, quae cohaerent cum revelatis, *conc. min.* Et *dist. conseq.:* Ecclesia de disciplinis naturalibus iudicare nequit in omnibus et ut norma interna, *conc. conseq.;* in iis, quibus revelatio tangitur, et ut norma externa, *neg. conseq.*

Haec est doctrina *concilii vaticani:* Ecclesia «nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea quae sunt fidei, occupent et perturbent» (sess. 3, c. 4; *Denz.* n. 1799).

Schol. De censuris doctrinalibus.

342. Quia in praecedentibus saepius mentio facta est censurarum doctrinalium, quaedam de his addere iuvat.

a) *Censura doctrinalis est qualificatio, qua propositio aliqua notatur ut fidei vel bonis moribus aliquo modo opposita.* Si censura a magisterio ecclesiastico procedit, est iudicialis; si a privatis theologis, est pure scientifica. Ceterum non licet theologis censuram inurere iis propositionibus, quarum discussio libera theologis catholicis permittitur ab auctoritate ecclesiastica (*Denz.* n. 1216). *Censurae pontificiae,* quia pronuntiantur ut perpetuo valiturae pro universa ecclesia, efficiunt, ut propositiones censuratae censendae sint falsae, etsi hoc verbis censurae non exprimitur. Nam supponendum non est ecclesiam in perpetuum prohibere, ne doctrina obiective vera umquam proponatur ut vera. Solum cum propositiones censurantur unice ob modum loquendi (censura oeconomica), accidere potest, ut postea eas defendere liceat, quia modus loquendi varius est variis temporibus.

Interdum censurae ita feruntur, ut singulis propositionibus singulae censurae appendantur (e. g. *Denz.* n. 1501 sqq). Interdum multae propositiones *in globo* damnantur, i. e. adduntur variae censurae, ex quibus saltem una singulis propositionibus conveniat, non tamen dicitur, quae, sed hoc concludendum est ex subiecta materia (e. g. *Denz.* n. 1080). Interdum uni propositioni multae censurae appenduntur, quae habendae non sunt ut synonymae, sed significant illas propositiones multiplici modo peccare contra sanam doctrinam (censura cumulativa vel categorica; e. g. *Denz.* n. 1092 sqq).

b) *Sensus singularum censurarum:*

Propositio haeretica est, quae immediate adversatur veritati revelatae et ab ecclesia propositae. Non requiritur, ut qui eam protulit, sit subiective haereticus.

Haeresi proxima dicitur propositio, quam non omnino sed fere certum est repugnare veritati revelatae, seu cuius contraria unanimi fere consensu habetur ut revelata.

Haeresim sapiens dicitur propositio, quae, quamvis absolute bonum sensum admittat, tamen potius sensum haereticum prae se fert, maxime attentis circumstantiis personarum et temporum. Si indicium minus grave est, dicitur *suspecta de haeresi.*

Erronea vel *error in fide* dicitur propositio, quae vel adversatur doctrinae obiective revelatae, sed neque ab ecclesia definitae neque communi consensu receptae ut revelatae, qualis olim erat doctrina de immaculata conceptione B. Virginis; vel adversatur conclusioni theologicae unanimiter receptae. Vocatur *errori proxima,* si contradictoria probabilissime est vera.

Male sonans dicitur propositio, quae verbis aequivocis vel incongruis utens, facile male intellegi potest. *Propositio captiosa* verbis recte sonantibus sensum falsum ingerere nititur, in qua arte Iansenius et iansenistae eminebant (cf. *Denz.* n. 1517).

Propositio temeraria stricte ut censura ecclesiastica ea est, quae in re non certa recedit a communi sententia Patrum et theologorum sine sufficiente ratione sive asserendo sive negando. Temeritas in eo est, quod in rebus theologicis gravis auctoritas neglegitur. Si quis vero solummodo novam sententiam profert, quae fortasse habet solidum fundamentum, sed nondum est satis perpensa, haec est mere negativa vel respectiva temeritas, quae non est censura ecclesiastica.

Scandalosa est propositio, quae occasionem praebet ruinae spiritualis, ut si quis diceret ex frequenti usu sacramentorum evenire plura incommoda quam utilitates.

Piarum aurium offensiva est propositio, quae per modum loquendi reverentiam rebus sanctis debitam laedit.

Quid sit propositio blasphema, schismatica, seditiosa, iniuriosa satis per se patet.

c) *Ut inveniantur verae doctrinae,* opinionibus censuratis oppositae, attendendum est, utrum propositio reiecta sit absolute an modaliter (cf. *Denz.* n. 1080), utrum sit propositio universalis an particularis, utrum damnatio facta sit in sensu complexo an in sensu distributivo (cf. *Denz.* n. 1184 1186), utrum doctrina ipsa notata sit an verba tantum. Non raro vi solius artis logicae opposita sententia certo erui nequit. Tunc recurrendum est ad documenta, quae pertinent ad illustrandas has censuras ut e. g. ad allocutiones Pii IX pro interpretando eius Syllabo (*Denz.* n. 1700; cf. *Schiffini,* De virt. infus. n. 193 sqq).

Prop. XLII. **Ecclesia est infallibilis in diiudicandis factis dogmaticis.**

343. *Stat. quaest.* Sensu latiore factum dogmaticum est factum ita nexum cum dogmate, ut stante facto dogma stet, ruente facto dogma ruat. E. g. definitiones alicuius concilii oecumenici solum valent, si concilium fuit legitimum, unde legitimitas concilii est factum dogmaticum.

Strictiore sensu est *factum doctrinale, in eo consistens, quod in certo libro continetur doctrina orthodoxa aut heterodoxa.* Iudicium ecclesiae de hoc facto dogmatico circa duas quaestiones versatur: a) num doctrina, de qua agitur, in libro vel verbis quibusdam contineatur (sensus qui seu quaestio facti); b) utrum haec doctrina sit conformis rectae fidei necne (sensus qualis seu quaestio iuris). Ecclesia non iudicat de sensu pure subiectivo, quem auctor libri habuit in mente, sed de sensu, qui verbis expressus est. De hoc facto dogmatico quaeritur. Sensus igitur propositionis est ecclesiam posse infallibiliter iudicare, quem sensum verba habeant, et utrum hic sensus sit orthodoxus an heterodoxus.

344. *Arg. 1.* **Ex historia iansenismi.**

Contra iansenistas suprema auctoritas ecclesiastica declaravit se posse damnare propositiones alicuius libri in sensu ab auctore intento et omnibus officium imponere hanc decisionem interno et irrevocabili mentis assensu acceptandi. Atqui hac ratione ecclesia declaravit se esse infallibilem in diiudicandis factis dogmaticis. Ergo est in hac re infallibilis.

Prob. mai. Innocentius X constitutione «Cum occasione» (1653) damnavit quinque propositiones libri Iansenii, qui inscribitur «Augustinus» (*Denz.* n. 1092 sqq). Tum iansenistae dixerunt, eas propositiones esse quidem merito damnatas, at non inveniri in libro Iansenii vel saltem non esse damnatas in sensu a Iansenio intento. At *Alexander VII* in constitutione «Ad sacram beati Petri sedem» (1656) declaravit: «Quinque illas propositiones . . . in sensu ab eodem Cornelio [Iansenio] intento damnatas fuisse declaramus et definimus» (*Denz.* n. 1098). In constitutione vero «Regiminis apostolici» (1664) hanc formulam subscribendam praescripsit: «Ego N. constitutioni apostolicae Innocentii X, datae die 31 Maii 1653, et constitutioni Alexandri VII, datae die 16 Octobris 1656, summorum pontificum, me subicio, et quinque propositiones ex Cornelii Iansenii libro, cui nomen ‚Augustinus', excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas constitutiones sedes apostolica damnavit, sincero animo reicio ac damno, et ita iuro» (*Denz.* n. 1099). Tunc iansenistae dixerunt se utique vi harum constitutionum teneri ad «obsequiosum silentium», non vero ad internum assensum. Hoc effugium destruxit *Clemens XI* constitutione «Vineam Domini» (1705)

declarando, «oboedientiae, quae praeinsertis apostolicis constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio nequaquam satisfieri, sed damnatum in quinque praefatis propositionibus Iansenii libri sensum, quem illarum verba prae se ferunt, ut praefertur, ab omnibus christifidelibus ut haereticum, non ore solum sed et corde reici ac damnari debere, nec alia mente, animo aut credulitate supradictae formulae subscribi licite posse» (*Denz.* n. 1350). Post has apostolicas constitutiones tota ecclesia catholica illas quinque propositiones in sensu a Iansenio intento haereticas semper habuit et habet. Ergo ecclesia evidenter manifestavit suam persuasionem infallibilitatem extendi ad diiudicanda facta dogmatica; et quia in hac re ecclesia errare non potest, revera ecclesia, i. e. summus pontifex vel concilium oecumenicum, in tali iudicio ferendo est infallibilis.

345. *Arg. 2.* **Ex perpetua ecclesiae traditione.**

Multis saeculis ante iansenismum auctoritas ecclesiastica non raro variorum scriptorum dicta aut ut orthodoxa approbavit aut ut heterodoxa damnavit, et ita quidem, ut omnes deberent huic iudicio se submittere. Atqui haec agendi ratio ostendit ecclesiae semper fuisse persuasum se posse infallibiliter iudicare de doctrina alicuius scriptoris, qualis in eius scriptis legitur, seu de factis dogmaticis.

Prob. mai. E. g. *concilium ephesinum* approbavit anathematismos S. Cyrilli Alex. contra Nestorium (*Denz.* n. 113 sqq); *concilium constantinopolitanum II* damnavit scripta Theodori, Theodoreti, Ibae pro Nestorio (*Denz.* n. 224 sqq); *concilium lateranense IV* damnavit tractatum abbatis Ioachim et approbavit opposita dicta Petri Lombardi de Trinitate (*Denz.* n. 431 sq); *concilium constantiense* praescripsit, ut quilibet suspectus errorum Wiclif et Hus interrogaretur: «utrum credat, quod condemnationes Ioannis Wiclif, Ioannis Hus et Hieronymi de Praga, factae de personis eorum, libris et documentis per sacrum generale constantiense concilium, fuerint rite et iuste factae et a quolibet catholico pro talibus tenendae et firmiter asserendae» (*Denz.* n. 659). Multa similia afferri possunt, quibus mens ecclesiae de hac re clare manifestatur (cf. *Wilmers,* De eccl. 464 sqq).

346. *Arg. 3.* **Ex fine magisterii infallibilis.**

Infallibilitas ecclesiae concessa est ad hoc, ut integrum servetur depositum fidei. Atqui hic finis obtineri nequit, nisi ecclesia infallibilis est in diiudicandis factis dogmaticis. Ergo ecclesia est in hac re infallibilis.

Prob. min. Si ecclesia in hac re non est infallibilis, quivis potest impune spargere doctrinas revelationi oppositas et iudicium ecclesiae effugere, eo quod ecclesia non sit infallibilis in sensu verborum suorum diiudicando. Ergo hoc modo ecclesia non potest efficaciter cavere, ne homines falsas doctrinas pro veris addiscant et teneant, quia verbis

et scriptis homines docentur. Revera quotiescumque fit iudicium de veritate vel falsitate alicuius doctrinae, etiam fit iudicium de verbis, quibus doctrina exprimitur, quia humano modo aliter doctrina exponi nequit. Unde qui non potest iudicare de rectis verbis, non potest iudicare de recta doctrina (cf. 1 Tim 6, 20; 2 Tim 1, 13; 2, 16; *S. Thomas* 2, 2, q. 11, a. 2 ad 2).

347. **Obi. I.** Supposita infallibilitate ecclesiae in iudicando de ipsa doctrina sufficit, ut ecclesia indicet libros suspectos et ideo fidelibus non legendos. Ergo non requiritur, ut ecclesia sit infallibilis in quaestione facti, utrum doctrina in libro proposita sit falsa an vera.

Resp. *Neg. antec.* Etsi saepe sufficere potest, ut liber aliquis in indicem librorum prohibitorum referatur, tamen saepe, ubi agitur de gravissimis fidei dogmatis, hoc non sufficit ad unitatem fidei servandam. Nam multi homines, quamquam ex oboedientia non legent libros prohibitos, tamen sibi intus servabunt iudicium doctrinam libro traditam esse bonam, et fortasse etiam ore hoc iudicium proferent, ut multis factis constat. Sic autem non servaretur necessaria fidei unitas. Propterea ecclesia communiter quidem libros fidei periculosos solum refert in indicem librorum prohibitorum; sed si agitur de maiore periculo et de erroribus fundamentalibus, etiam ultra procedit et doctrinam in libris contentam sollemni definitione reprobat.

348. **Obi. II.** Quis sit sensus propositionis alicuius, est res pertinens ad artem grammaticam, non ad fidem et mores. Atqui obiectum infallibilitatis ecclesiasticae sunt solae res fidei et morum. Ergo sensus propositionis alicuius non pertinet ad infallibilitatem ecclesiae.

Resp. *Dist. mai.:* Sensus propositionis, si mera compositio verborum consideratur, pertinet ad solam artem grammaticam, *conc. mai.;* si consideratur sensus theologicus vel alius, qui verbis exprimitur, pertinet ad solam grammaticam, et non potest pertinere ad fidem et mores, *neg. mai. Dist. min.:* Ecclesiasticae infallibilitatis obiectum sunt solae doctrinae nulla habita ratione verborum, quibus exprimuntur, *neg. min.;* sunt doctrinae et simul rectus modus eas enuntiandi, *conc. min.;* et sub data distinctione, *neg. conseq.* Nisi hoc ita esset, ecclesia ne sciret quidem, num verba, quibus ipsa doctrinam exprimit, recta essent. Sed sicut Spiritus Sanctus eam assistentia sua iuvat, ut in definiendo rectam doctrinam recto modo exprimat, ita eam etiam iuvat, ut infallibiliter iudicet, utrum doctrina altèrius verbis exposita, sit vera an falsa.

349. **Obi. III.** Quidam SS. Patres et veteres theologi docuerunt concilia esse infallibilia in rebus fidei, sed errare posse in quaestione facti. Ergo saltem illi Patres et theologi nostram thesim non admiserunt.

Resp. *Dist. antec.:* Illi Patres et theologi docuerunt ecclesiam errare posse circa facta non dogmatica, *conc. antec.;* circa facta dogmatica, *neg. antec.*

Quaedam, quae praecipue allegari solent, sunt haec:

a) *Pelagius II* papa in epistula 5, quae est 3 ad episcopos Istriae, qui rebellabant contra damnationem trium capitulorum, provocantes ad epistulam

Leonis Magni de concilio chalcedonensi, ait n. 19: «Aperte nobis licentia tribuitur, ut quidquid illic [Chalcedone] extra fidei causas de personis gestum est, retractetur. Specialis quippe synodalium conciliorum causa est fides. Quidquid ergo praeter fidem agitur, Leone docente ostenditur, quia nihil obstat, si ad iudicium revocetur» (*M* PL 72, 733). Attamen quia tota Pelagii papae epistula scripta est ad ostendendum recte factam esse damnationem trium capitulorum, haec epistula potius est argumentum pro thesi nostra. Leo M. recusaverat ea approbare, quae legati ultra mandatum fecissent. Pelagius vero ait post sessionem sextam in concilio chalcedonensi non iam actum esse de rebus fidei sed de privatis personarum negotiis: «Si igitur in actione sexta professio fidei consummatur, . . . si beatus Leo negotiis, quae illic private mota sunt, contradicit, . . . cur nos . . . reprehendimur?» Itaque haec obiectio non est ad rem.

b) *S. Thomas* ait: In rebus fidei ecclesia non errat; «in aliis vero sententiis, quae ad particularia facta pertinent . . . possibile est iudicium ecclesiae errare propter falsos testes» (Quodl. 9, a. 16). Sed sufficit addere exempla, quae S. Thomas ibidem apponit, ut statim appareat eum non loqui de factis dogmaticis: «ut cum agitur de possessionibus vel criminibus vel de huiusmodi».

c) *Bellarminus* de damnatione Honorii in concilio constantinopolitano III facta prius suam mentem exponit, dein pergit: Si quis hac solutione contentus non est, «accipiat alteram solutionem, quae est Ioannis a Turrecremata l. 2 de ecclesia c. 93, qui docet patres sextae synodi damnasse quidem Honorium, sed ex falsa informatione, ac proinde in eo iudicio errasse. Quamvis enim generale concilium legitimum non possit errare, ut neque erravit hoc sextum, in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare potest in quaestione de facto. Itaque tuto dicere possumus hos patres deceptos ex falsis rumoribus et non intellectis Honorii epistulis, immerito cum haereticis conumerasse Honorium» (De rom. pont. l. 4, c. 11). Fatendum est Bellarminum minus accurate loqui; nam debuit dicere, concilium illud ut approbatum a summo pontifice, solum ideo damnasse Honorium, quia hic neglegenter se habuit adversus haeresim (supra n. 326, 3). Ceterum verum est posse concilium falsis rumoribus decipi, quia hoc non est factum dogmaticum.

Prop. XLIII. Ecclesia infallibilis est in decretis disciplinaribus, in approbatione ordinum religiosorum, in canonizatione sanctorum.

350. ***Stat. quaest.*** a) Restant quaedam consideranda, in quibus ecclesia directe non facit ullum iudicium doctrinale, sed potius praxim quandam praescribit aut approbat. Huc pertinent imprimis *leges ecclesiasticae,* universam ecclesiam spectantes, quibus fideles diriguntur ad vitam recte instituendam et Deum debito modo colendum. Tales leges summus pontifex aut concilium oecumenicum dare, mutare, abrogare possunt (cf. supra n. 204 sqq 270 sqq 290). Non sunt ergo immutabiles veritates. Sed quia intime cohaerent cum doctrina et moribus, dicimus *ecclesiam per assistentiam Spiritus Sancti adiuvari, ne*

umquam statuat leges universales rectae fidei vel bonis moribus oppositas. Non dicimus tales leges omnium, quae excogitari possint, semper esse optimas, quia rectoribus ecclesiae non est promissus summus gradus prudentiae sed is saltem, qui sufficiat, ut fides et mores intacta serventur.

b) Ad res disciplinares revocari potest *approbatio ordinum religiosorum.* Ordo religiosus est societas hominum, qui per observationem votorum perpetuorum paupertatis, castitatis, oboedientiae secundum certam vivendi regulam studio perfectionis christianae incumbunt (cf. Praelect. dogm. VIII, n. 684 sqq). Possunt alia vota addi, sed haec tria sunt essentialia. Praeterea fieri non potest, ut homines societatem religiosam constituant quin certis quibusdam legibus tum vita communis tum modus servandi vota tum alii fines, quos sibi proponere solent, tum media ad hos fines determinentur. Approbatio non versatur circa honestatem votorum, quia haec ab ipso Christo Domino approbata sunt (cf. Praelect. dogm. IX, 383 392), sed circa honestatem regulae et specialium institutorum. Itaque quaestio est: Potestne ecclesia ultimo et definitivo iudicio approbare instituta alicuius ordinis, quae sint contraria fidei vel bonis moribus aut inepta ad assequendam perfectionem? Negativa responsio secundum theologos est certa (cf. *Bellarm.,* De monach. 4; *Suarez,* De statu relig. 2, 17, 17 sqq).

c) *Canonizatio sanctorum est ultima et definitiva sententia summi pontificis, qua servus Dei in ecclesiam triumphantem receptus esse declaratur et omnibus fidelibus colendus proponitur,* ita ut omnes fideles debeant illum indubitanter pro sancto habere, qui cultu publico dignus sit. *Beatificatio* est praevium iudicium, quo cultus permittitur (cf. *Benedict. XIV*, De serv. Dei beatif. 1, 38 sq). Olim cultus sanctorum, praecipue martyrum, permittebatur ab episcopis post examinata acta martyrii. Dein nomina et acta martyrum mittebantur ab altera ecclesia ad alteram, maxime ad ecclesiam romanam; et sic consentientibus episcopis et romano pontifice cultus alicuius sancti poterat propagari per totam ecclesiam, et habebatur *canonizatio aequipollens.* Species quaedam talis canonizationis habetur nunc, quando romanus pontifex «cultum immemorialem» approbat omissis consuetis formalitatibus processus. Post Alexandrum III totum negotium beatificationis et canonizationis reservatum est summo pontifici (cf. *Benedict. XIV* l. c. 1, 2 sqq). Inscriptio nominum sanctorum in martyrologio non est canonizatio neque formalis neque aequipollens.

351. **Prob. pars I.** *Ecclesia est infallibilis in decretis disciplinaribus.*

a) Ecclesia, si omnibus fidelibus aliquid praeciperet contra fidem et bonos mores, practice errorem profiteretur, quasi Deus praeciperet, quod reapse vetat, vel vetaret, quod reapse praecipit, quia per constantem agendi modum homines non minus sententiam suam mani-

festant quam per verba. Atqui ecclesia non potest lege universali errorem profiteri. Ergo in universalibus legibus ferendis ecclesia est infallibilis.

b) Apostoli statuentes legem universalem, aiunt: «Visum est Spiritui Sancto et nobis» (Act. 15, 28). Eadem persuasio viget in ecclesia. E. g. *concilium tridentinum* anathemate afficit eos, qui dicunt ritus ab ecclesia praeceptos in sacramentorum administratione et missae celebratione posse contemni ut inutiles et bonis moribus oppositos (sess. 7, c. 13; sess. 22, c. 7; *Denz.* n. 856 954). *Pius VI* de prop. 78 pistoriensium ait: Haec doctrina «quatenus pro generalitate verborum comprehendat et praescripto examini subiciat etiam disciplinam ab ecclesia constitutam et probatam, quasi ecclesia, quae spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem et onerosiorem, quam libertas christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum: falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, ecclesiae ac Spiritui Dei, quo ipsa regitur, iniuriosa, ad minus erronea» (*Denz.* n. 1578).

352. **Prob. pars II.** *Ecclesia est infallibilis in approbatione ordinum religiosorum.*

a) Summi pontifices in approbandis ordinibus utuntur formulis, quibus interdicitur omnibus fidelibus, ne sub ullo praetextu audeant impugnare tales approbationes. Atqui si approbationes possunt esse malae, immerito statueretur tam severa et universalis prohibitio. Ergo summi pontifices censent se in hac re esse infallibiles.

Formula communis haec est: «Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se noverit incursurum.» Interdum etiam poena excommunicationis additur, ut e. g. in bulla *Gregorii XIII* «Ascendente Domino», qua confirmatur institutum Societatis Iesu: «Praecipimus in virtute sanctae oboedientiae ac sub poenis excommunicationis latae sententiae necnon inhabilitatis ad quaevis officia et beneficia saecularia et quorumvis ordinum regularia, eo ipso absque alia declaratione incurrendis, ne quis, cuiuscumque status, gradus et praeeminentiae exsistat, dictae societatis institutum, constitutiones vel etiam praesentes aut quemvis eorum vel supradictorum articulum vel aliud quid supradicta concernens, quovis disputandi vel etiam veritatis indagandae quaesito colore, directe vel indirecte impugnare vel iis contradicere audeat.» Iamvero admitti nequit summum pontificem posse tali vel simili modo pro suprema sua auctoritate tueri res fidei vel bonis moribus contrarias.

b) *Idem ratio suadet.* Nam pontifex, quando ordinem approbat, toti ecclesiae hoc vitae institutum proponit ut viam tutam non virtutis tantum sed etiam perfectionis acquirendae. Atqui Spiritus Sanctus

permittere nequit, ut res mala vel inutilis pro virtute et perfectione universae ecclesiae a summo pontifice auctoritative proponatur. Ergo in approbatione ordinum pontifex est infallibilis.

353. **Prob. pars III.** *Ecclesia est infallibilis in canonizatione sanctorum.*

a) Pontifices tum ut infallibiles doctores agunt, cum toti ecclesiae aliquid tenendum praescribunt. Atqui hoc fit in canonizatione. Ergo summus pontifex in canonizatione agit ut doctor infallibilis. Formula, qua in canonizatione summus pontifex utitur, haec est: «Auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra . . . beatum N. sanctum esse decernimus et definimus ac sanctorum catalogo adscribimus, statuentes ab ecclesia universali illius memoriam quolibet anno die eius natali . . . pia devotione recoli debere» (*Benedict. XIV,* De serv. Dei beatif. 1, 36, 21).

b) Summi pontifices interdum disertis verbis mentem suam de hac re manifestarunt. Ita *Sixtus V* in oratione habita ante canonizationem S. Didaci, ut refert *Benedictus XIV* (l. c. 1, 43, 2), dixit «romanum pontificem ... pro quo oravit Christus Dominus, ne eius fides deficeret, eundemque verum caput ecclesiae, quae est firmamentum et columna veritatis, quaeque a Spiritu Sancto regitur et gubernatur, in sanctorum canonizatione errare et falli non posse. Idque non modo pie sed necessario et certissima fide credendum affirmavit». Ipse *Benedictus XIV* (l. c. 1, 45, 28) ita censet: «Si non haereticum, temerarium tamen, scandalum toti ecclesiae afferentem, in sanctos iniuriosum, faventem haereticis negantibus auctoritatem ecclesiae in canonizatione sanctorum, sapientem haeresim, utpote viam sternentem infidelibus ad irridendum fideles, assertorem erroneae propositionis et gravissimis poenis obnoxium dicemus eum, qui auderet asserere pontificem in hac aut illa canonizatione errasse, huncque aut illum sanctum ab eo canonizatum non esse cultu duliae colendum.»

c) *Argumentum rationis* inde petitur, quod macularetur cultus religiosus, si homo damnatus ut colendus et ut exemplar vitae recte instituendae a summo pontifice tam sollemni modo toti ecclesiae proponeretur. Atqui ecclesiae ad [illegible] data est infallibilitas, ut sit magistra fide digna in re religiosa et morali. Ergo in canonizatione sanctorum est infallibilis.

Theologorum quidem iudicia de certitudine huius doctrinae sunt satis diversae, quia secundum quosdam est «pia», secundum alios est de fide (cf. *Benedict. XIV* l. c. 1, 45). Communius censent eam esse theologice certam, cui iudicio standum est.

354. *Obi. I.* Ecclesia iubet sacerdotes omnes in lectionibus secundi nocturni Breviarii recitare quasdam narrationes veritate historica destitutas. Atqui hoc est contra bonos mores. Ergo ecclesia non est infallibilis in decretis disciplinaribus.

Resp. *Dist. mai.:* Ecclesia iubet illas narrationes recitare quasi absoluto assensu pro veris habendas, *neg. mai.;* ut pias quasdam et humanas traditiones non leviter despiciendas, *conc. mai. Dist. min.:* Contra bonos mores est pro absolute certo affirmare, quod certum non est, *conc. min.;* contra bonos mores est reverenter tractare antiquas traditiones, *neg. min.* Et *neg. conseq.* Ecclesia saepe quaestionibus melius discussis lectiones mutavit, et parata est audire rationes, si quae solidae contra lectiones proferuntur; at non ob quosvis clamores et audaces assertiones praecipitanter agit, sed exspectat, dum docti ad unanimem et bene fundatam sententiam pervenerint.

355. *Obi. II.* Ecclesia interdum ordines approbavit et postea suppressit. Ergo prius censuit eos bonos, et postea censuit eos esse malos, et consequenter non cum infallibilitate iudicavit.

Resp. *Dist. antec.:* Ecclesia umquam idem institutum in se consideratum, quod antea approbaverat ut bonum, postea reprobavit ut malum, *neg. antec.;* ecclesia aliquando iudicavit aliquod institutum in se bonum propter mutatas circumstantias melius supprimi, *conc. antec.* Ratio supprimendi aliquod institutum antea approbatum potest esse, aut quia non iam sunt homines satis multi, qui velint illud amplecti, aut quia membra eius plurima a sanctitate instituti defecerunt, aut quia propter mutatas rerum condiciones non iam est opportunum, e. g. quia finis eius primitivus non iam exsistit, ut accidit in ordinibus equestribus. Evidens autem est ecclesiam non corrigere iudicium suum prius, eo quod nunc supprimat propter mutatas circumstantias institutum, quod in aliis condicionibus approbavit.

356. *Obi. III.* Ante canonizationem summus pontifex praemittit preces, quibus Deus rogatur, ut in eo actu omnem errorem avertat. Atqui si vi promissionum Christi pontifex esset in hoc actu infallibilis, superfluae essent preces. Ergo preces faciendo pontifex declarat se non esse infallibilem.

Resp. *Conc. mai. Neg. min.* Nam per preces summus pontifex protestatur se non ut hunc privatum hominem esse infallibilem, sed totam infallibilitatem descendere ab assistentia Spiritus Sancti. Sic etiam in conciliis oecumenicis definitionibus praemitti solet invocatio Spiritus Sancti. At hoc agendi modo certe non indicant concilia se posse falli in definitionibus. Sicut ante definitiones adhibenda sunt media convenientia naturalia et supernaturalia, et tamen infallibilitas nititur sola assistentia Spiritus Sancti, ita ante canonizationem examinantur vita et miracula servi Dei, cuius causa agitur, audiuntur testes, fiunt preces et alia, sed ultima ratio infallibilitatis est assistentia Spiritus Sancti (cf. *Benedict. XIV,* De serv. Dei beatif. 1, 44, 21). Etsi pontifices non orant, ut infallibilitatem accipiant, quia haec iis absolute promissa est, orant tamen, ne in toto procedendi modo quidquam contra Dei voluntatem committant; nam in concomitantibus circumstantiis non habent donum impeccantiae.

ARTICULUS IV.

DE SANCTIS PATRIBUS ET THEOLOGIS.

Cf. *Canus,* De locis theologicis; Theologia Wirceburgensis *(Kilber)* I, ed. Paris. 1852, 397 sqq; *Franzelin,* De divina traditione sect. II; Introductiones in patrologias, ut *Fessler-*

Jungmann, Institutiones patrologiae, Oeniponte 1890; *O. Bardenhewer*, Geschichte der altkirchlichen Literatur I, Freiburg 1902; — Patrologie[3], Freiburg 1910 (etiam gallice, Paris 1905).

Prop. XLIV. Unanimis consensus Patrum in rebus fidei et morum est certum argumentum theologicum.

357. *Stat. quaest.* a) Hucusque consideravimus ipsum exercitium magisterii infallibilis: ecclesiae dispersae docentis, conciliorum oecumenicorum, summi pontificis. Hoc magisterium, eo ipso quod infallibile est, directe et irrefragabiliter ostendit, quid tenendum, quid reiciendum sit. Quare e. g. una definitio unius concilii sufficit ad controversiam de re definita removendam.

Sed praeter hunc fontem primarium sunt etiam *fontes theologici secundarii*, e quibus notitiae theologicae non tam simplici modo cum certitudine hauriri possunt, sed qui solum indirecte nos iuvant ad certitudinem theologicam acquirendam. Hi sunt SS. Patres et theologi, qui ut tales non sunt infallibiles, sed sunt duces ad inveniendam doctrinam magisterii infallibilis. Quorum studium ob duplicem rationem utile et necessarium est. Nam 1. non omnia, quae ad fidem pertinent, sollemni modo sunt ab ecclesia definita, quare campus theologiae latius patet quam definitiones conciliorum et pontificum. 2. Non sufficit theologo scire, quid a conciliis et pontificibus definitum sit, sed ei etiam contra adversarios ostendendum est doctrinas definitas semper fuisse ab ecclesia traditas; ad hoc autem requiritur inspectio fontium, e quibus ipsa concilia et ipsi pontifices doctrinam hauserunt. Simul vero haec investigatio confert ad sensum definitionum melius intellegendum et ad solvendas difficultates, si quae forte oriuntur. Has ob causas exponere oportet, quae sit auctoritas Patrum et theologorum, et quomodo eorum operibus utendum sit.

b) *Patres vocantur scriptores ecclesiastici, qui 1. primis saeculis floruerunt, et 2. doctrina orthodoxa et 3. sanctitate conspicui fuerunt.* De orthodoxia et sanctitate constat ex sollemni iudicio vel simplici consensu ecclesiae; unde potest addi, 4. qui ab ecclesia approbati sunt. Unus alterve error materialis non impedit orthodoxiam, dummodo ille, de quo agitur, mentem catholicam habuerit et in plurimis doctrinam catholicam recte proposuerit. Quod antiquitatem attinet, in ecclesia latina S. Gregorius M. († 604), in ecclesia vero graeca S. Ioannes Damascenus († c. med. saec. VIII) ultimi Patres haberi solent.

c) Quidam scriptores primorum saeculorum sunt quidem magni momenti in re theologica sive ob antiquitatem sive ob eruditionem, sed inter Patres non numerantur aut propter errores in doctrina aut propter defectum sanctitatis, ut Tertullianus, Origenes, Eusebius Caesariensis. Hi igitur auctoritate dogmatica, ut Patres, non fruuntur, sed ut testes invocantur, si agitur de antiquitate alicuius doctrinae vel praxis. Vocantur «scriptores ecclesiastici».

d) A titulo Patris distinguitur titulus *doctoris ecclesiae,* qui concessus est ab auctoritate ecclesiastica quibusdam viris sanctitate et doctrina theologica praestantibus. A veteribus scriptoribus solent quidem latiore sensu omnes Patres vocari doctores, sed ab hoc loquendi modo distinguendus est specialis titulus doctoris, quibusdam tantum concessus. Ut quis sit doctor ecclesiae non requiritur antiquitas sed eminentia doctrinae theologicae. Maximi doctores latini habentur S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Gregorius M.; graeci vero S. Athanasius, S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Ioannes Chrysostomus.

358. *Arg. 1.* **Ex testimonio ecclesiae.**

a) Iam vetera concilia oecumenica inculcarunt permanendum esse in doctrina SS. Patrum. *De concilio nicaeno* ait *S. Athanasius:* «Episcopi non sibimetipsis adinvenientes verba sed habentes ea a SS. Patribus, testimonia conscripserunt» (Ep. ad afros, n. 6). In *concilio constantinopolitano I* interrogabantur macedoniani, «utrum vellent stare iudicio Patrum, qui floruerunt, antequam nascerentur illae haereses, de quibus agebatur» (*Socrates,* H. E. ad ann. 381). *Concilium ephesinum* in actione I statuit: «Divinitus placuit nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens SS. Patrum tenuerit antiquitas» (*Mansi* IV, 1183). *Concilium constantinopolitanum II:* «Confitemur fidem tenere et praedicare . . . quam et SS. Patres confessi sunt et explanaverunt» (*Denz.* n. 212). Similiter multa alia concilia (cf. *Denz.* n. 269 271—273 302—304 320 336 786 sq 1788). Atqui ecclesia non potest ita inculcare necessitatem sequendi consensum SS. Patrum, nisi hic consensus praebet certum argumentum.

b) Eadem ratione posteriores Patres de prioribus iudicant. *S. Augustinus,* contra Iulianum Eclanensem provocans ad SS. Patres ait: «Isti episcopi sunt, docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores adversus garrulas vanitates. . . . Si episcopalis synodus ex toto orbe congregaretur, mirum, si tales possent illic facile tot sedere. Quia nec isti uno tempore fuerunt, sed fideles et multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas aetates, temporum locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire iudicat, ipse dispensat. . . . Catholicam fidem, quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cuius lac et cibum parvis magnisque ministraverunt, quam contra inimicos . . . apertissime et fortissime defenderunt. Talibus post apostolos sancta ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit... cui divinae familiae dominica cibaria fideliter ministrantes, ingenti in Domino gloria claruerunt» (Contra Iulian. 2, 10, 37). *S. Cyrillus Alex.* ait: «Omnibus enim, quibus integra mens est, propositus est hic scopus, ut illorum [Patrum] opiniones sequantur, quoniam et ipsi, apostolica et evangelica traditione cum mentem implessent, suam ac fidei doctrinam recte ac citra labem et errorem admodum tractassent, luminaria in mundo fuerunt, verbum vitae con-

tinentes» (Apol. pro 12 capp., in Anath. 8). Similia apud alios Patres leguntur.

c) Cum nostra aetate quidam theologi doctrinam SS. Patrum sub praetextu cultioris scientiae parvi facere coepissent, auctoritas ecclesiastica eorum coeptis fortiter restitit. Ita *Pius IX* de Guenthero 30 Martii 1857 ad episcopum wratislaviensem scripsit: «Neque satis intellexit, quantopere deferendum sit venerandae sanctissimorum Patrum auctoritati, et quo studio cavendum, ne profanae novitatis amore tuta illorum vestigia deserantur, et gravissimi diffundantur errores.» *Pius X* autem contra modernistarum errores iussit omnes episcopos et sacerdotes iurare: «Fidem Patrum firmissime retineo et ad extremum vitae spiritum retinebo» (*Denz.* n. 2147). Atqui haec obligatio imponi non deberet, si fides Patrum posset esse falsa.

359. *Arg. 2.* **Ex relatione Patrum ad magisterium infallibile.**

SS. Patres eam habent relationem ad magisterium ecclesiasticum, ut si unanimiter in rebus fidei et morum errassent, ipsum magisterium ecclesiasticum circa fidem et mores errasset. Atqui magisterium ecclesiasticum non potest ita errare. Ergo neque SS. Patres.

Prob. mai. Duplex potissimum est relatio SS. Patrum ad magisterium ecclesiasticum. Nam: a) Suis temporibus SS. Patres constituebant magisterium ecclesiasticum, aut saltem erant pars eius principalis. Unde erant *doctores authentici.* b) Posterius magisterium ecclesiasticum ex scriptis SS. Patrum haurit doctrinam, quam fidelibus proponit, ut vidimus. Sub hoc respectu SS. Patres sunt *testes traditionis.*

Plurimi SS. Patres erant episcopi (quae fuit prima ratio, cur appellarentur «Patres»), qui pro officio suo doctrinam revelatam proponebant et explicabant. Ipsos «multis excellentiores paucos dispensatores Deus per diversas aetates dispensavit», quemadmodum S. Augustinum dicentem audivimus. Erant veluti «lampades semper lucentes et illuminantes gressus nostros», ut ait *concilium constantinopolitanum IV* (*Denz.* n. 336). Eos reliqui episcopi ut duces suos sequebantur. Unde si hi duces unanimiter errorem docuissent, ceteris episcopis non solum tacentibus sed etiam consentientibus, tota iam ecclesia errore fuisset decepta. Inter SS. Patres, qui maiora opera nobis relinquerunt, pauci erant laici (e. g. S. Iustinus M.), diaconi (e. g. S. Ephraem), prebyteri (e. g. S. Hieronymus). Hi igitur potius considerandi sunt ut testes.

Ceterum sub utroque illo respectu consensus SS. Patrum est argumentum certum. Quod quidam dicunt SS. Patres ut testes tantum esse ineluctabilis auctoritatis, non ut doctores, tum solum verum est, cum singuli Patres considerantur ut doctores privati, non vero si considerantur ut repraesentantes magisterii anthentici. Ergo quando de eorum consensu constat, inquirendum non est, utrum locuti sint ut testes an ut doctores (cf. *Franzelin,* De trad. thes. XV, I, 2° *a*).

SS. Patres ut doctores iam naturaliter maxima aestimatione digni sunt, quia erant viri docti, in theologia bene versati, plerique ingeniosi, virtute praestantes, amore veri flagrantes, in studium veritatis revelatae diligenter incumbentes, non raro pro ea magno animo graves molestias subeuntes, immo et mortem perferentes. Itaque si tanti viri, locis temporibusque distantes, in unam sententiam conspirant, hic consensus singulare indicium est veritatis. Attamen principalis ratio auctoritatis eorum est providentia divina, quae eos non solum participes fecit potestatis magisterialis in ecclesia, sed iis indidit tam singularem capacitatem, amorem, fervorem veritatis indagandae, propagandae, defendendae. Communem de hac re ecclesiae sensum ita exprimit *Leontius Byzantinus:* «Post apostolos et prophetas Deus in ecclesia doctores [Patres] posuit secundum providentiam Spiritus Sancti incomprehensam in opus ministerii ad aedificationem corporis Christi» (Contra nestor. et euchych. 1, 35). Cf. in Breviario romano lectiones secundi nocturni de communi doctorum.

360. *Obi. I.* SS. Patres ea aetate vixerunt, qua disciplinae philosophicae nondum ad eum gradum perfectionis pervenerant, quem nunc obtinent. Atqui recta notitia rerum theologicarum multum pendet e disciplinis naturalibus. Ergo SS. Patribus non convenit auctoritas nisi pro gradu perfectionis, quem disciplinae naturales ea aetate habebant.

Resp. *Trans. mai. Dist. min.:* Philosophia vel generatim scientia naturalis est fons, unde hauritur notitia rerum theologicarum, *neg. min.;* est adiumentum, quo utitur ecclesia vel theologi ad res revelatas terminis certis et fixis proponendas et in systema scientificum redigendas, *conc. min.* Et *dist. conseq.:* SS. Patribus non convenit auctoritas nisi pro gradu scientiae illius aetatis in rebus pure philosophicis, *conc. conseq.;* in rebus theologicis, *subdist. conseq.:* Quoad terminologiam, ea aetate fortasse nondum certam et fixam, et quoad systema scientificum, si quod habent, *conc. conseq.;* quoad ipsas res theologicas, *neg. conseq.*

«Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda sed tamquam divinum depositum Christi sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda.» Naturalis scientia duplicem fidei opem fert, «cum recta ratio: [*a*] fidei fundamenta demonstret, [*b*] eiusque lumine illustrata, rerum divinarum scientiam excolat». Similiter ratio duplex a fide beneficium accipit, cum «fides: [*a*] rationem ab erroribus liberet ac tueatur, [*b*] eamque multiplici cognitione instruat». Ita *Vaticanum,* de fide sess. 3, c. 4 (*Denz.* n. 1799 sq).

361. *Obi. II.* Patrum doctrina plena est dissensionum et contradictionum. Atqui talis doctrina numquam potest praebere argumentum certum. Ergo falsa est thesis.

Resp. *Dist. mai.:* Patres interdum in rebus theologicis (de quibus solis agitur) dissentiunt, *conc. mai.;* non consentiunt in plurimis et gravissimis quaestionibus, *neg. mai. Dist. min.:* Non praebet Patrum doctrina certum argumentum, quando dissentiunt, *conc. min.;* quando consentiunt, *neg. min.* Et *neg. conseq.*

Ipse dissensus Patrum in quibusdam roborat eorum auctoritatem, quando consentiunt. Nam signum est eos non caece secutos esse alios, sed proposuisse et defendisse suas proprias sententias, quamdiu oppositae non videbantur sufficienter stabilitae.

Neque tamen admittendum est fuisse una aetate consensum Patrum circa aliquam doctrinam, et secuta deinceps aetate Patres consensisse in oppositam doctrinam. Hoc si factum esset, ecclesia una aetate errasset. Sed potuerunt una aetate Patres inter se dissentire, et postea re melius deliberata potuit sequi consensus.

Potest obici Patres trium priorum saeculorum unanimiter docuisse chiliasmum, i. e. gloriosum regnum Christi millenarium, in hac terra ante resurrectionem universalem futurum; posteriores vero Patres hanc opinionem unanimiter reiecisse.

Sed *respondendum est* nullum fuisse umquam consensum Patrum de chiliasmo. Nam praeter S. Iustinum et S. Irenaeum ii, qui erant praecipui defensores huius doctrinae, non sunt Patres ecclesiae, ut Papias, Tertullianus, Nepos, Commodianus, Lactantius, alii, qui non pollent auctoritate dogmatica. Iustinus vero et Irenaeus agnoscunt chiliasmi doctrinam etiam a bonis christianis reici. «Multos etiam christianorum, qui purae et piae sententiae sunt, hoc non agnoscere tibi significavi», ait *Iustinus* (Dial. cum Tryph. 80). Ergo de consensu dogmatico non potest esse sermo.

Schol. De usu SS. Patrum in theologia.

362. Ut ex Patrum auctoritate fiat firmum argumentum, quaedam condiciones requiruntur, quae breviter exponendae sunt.

1. Per se patet *opera, ex quibus argumenta hauriantur, oportere esse genuina* et *lectiones critice certas,* quia ex spuriis et incertis non potest fieri certum argumentum. Nihilominus vis probationis dogmaticae plerumque non destruitur neque minuitur eo, quod opus alicuius S. Patris per errorem attribuitur alii Patri, sicut medio aevo quaedam opera S. Fulgentii solebant adscribere S. Augustino. Praeterea sunt quaedam opera ignotorum auctorum, quae iam temporibus SS. Patrum aderant et ab iis magni fiebant, ut «De vocatione omnium gentium». Ex talibus operibus utique argumentari licet.

2. Supposita certitudine textuum *ante omnia quaestio solvenda est, quis sit sensus verborum ab auctore intentus.* Saepissime SS. Patres verbis disertis et minime ambiguis enuntiant aliquid credendum aut e contra ut haereticum reiciendum esse. Quotiescumque sensus est clarus et definitus, de hac re nihil amplius inquirendum est. Saepe autem satis non est inspicere sententias e contextu avulsas, sed perpendendus est contextus, modus ratiocinandi et loquendi, quo uti solet S. Pater, immo interdum modus loquendi toti illi aetati proprius. Quae si neglegimus, scimus fortasse, quem sensum verba allegata habere possint, sed nequaquam, quem sensum illo loco reapse habeant. Nam non solum suam quisque scriptor habet peculiarem indolem, sed etiam plus vel minus genio aetatis suae servit. Ita termini technici posteriorum temporum non habent eundem determinatum sensum apud priscos

Patres, ut e. g. vocabula sacramenti, substantiae, hypostasis. Praeterea SS. Patres, quando impugnant doctrinam haereticam, non raro rationes errori oppositas ita efferunt, ut neglegere et quasi negare videantur alteram partem veri, quemadmodum e. g. S. Augustinus plane alio modo loquitur contra manichaeos negantes libertatem, alio modo contra pelagianos exaggerantes libertatem humanam, qui non ideo censendus est in pugna cum pelagianis revocasse ea, quae contra manichaeos stabiliverat. Comparanda igitur inter se sunt, quae aliquis S. Pater de una eademque re variis temporibus et variis occasionibus scripsit. Ceterum evidens est non posse has omnes inquisitiones proponi, quotiescumque aliquod argumentum ex SS. Patribus fit, sed suppositum necessarium est verba Patrum vere secundum eorum mentem habere eum sensum, qui iis tribuitur.

3. *Patres interpretandi sunt ut testes traditionis catholicae.* Interdum quidem per modum principii statuitur SS. Patres eodem modo interpretandos esse, quo profanos auctores. Hoc verum est, quod attinet interpretationem mere grammaticam verborum; nam praecepta sana artis hermeneuticae ad omnia scripta, etiam sacra, applicanda sunt. Sed falsum est illud principium, si agitur de interpretatione reali seu de inveniendo vero sensu theologico verborum. Nam SS. Patres, ut ipsi saepissime protestantur, volunt ante omnia servare doctrinam revelatam et ab apostolis traditam (cf. supra n. 329). Ergo quamdiu non est certum, aliquem Patrem in aliqua re a recta doctrina recessisse, praesumendum est eum voluisse verbis suis doctrinam traditam proponere, etsi forte verba grammatice sumpta alium sensum aeque facile vel etiam facilius admittant. Maxime hic modus explicandi sequendus est, si unus alterve Pater loqui videtur contra doctrinam ea aetate communiter receptam, quia improbabile est viros tam insignes, quales secundum iudicium ecclesiae sunt SS. Patres, doctrinam communem suae aetatis vel ignorasse vel impugnasse. Quare iam ipsi SS. Patres praedecessores suos hoc modo interpretati sunt, ut S. Athanasius S. Dionysium Alex. dicentem Deum Patrem esse ποιητήν Filii sui (*S. Athan.,* De sent. Dionys. n. 21); S. Basilius S. Gregorium Thaumat. (*Basil.,* Ep. 210, al. 64, n. 5); S. Augustinus S. Hilarium (*August.,* De Trin. 6, 10, 11). *S. Ambrosius* ait: «Verbum si offenderit, virtutem professionis interrogato. . . . Etiam sermonem dubium mens non dubia obumbrat et defendit a lapsu» (Ep. 48, n. 4); i. e. ipsa mens orthodoxa S. Patris postulat, ut verba eius ambigua orthodoxe explicemus. Contrarius agendi modus damnatur in iurisiurandi formula a *Pio X* praecepta: «Sententiam illorum reicio, qui tenent . . . scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiae principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eaque iudicii libertate, qua profana quaevis monumenta solent investigari.» Sancti enim Patres ut Patres non sunt individui tantum homines sed membra traditionis catholicae, active spectatae, ab apostolis usque ad nostra tempora sine ruptura pertinentis.

4. *Ut auctoritas Patrum sit irrefragabilis, requiritur eorum consensus,* quia ipso dissensu tollitur auctoritas alterius per alterum in re, de qua dissentiunt. Sufficit autem consensus Patrum unius aetatis, dummodo tot sint testes, ut vere ecclesiam illius aetatis repraesentent, quia ecclesia non potuit ulla aetate errorem docere. Si tamen de una eademque re multi Patres testimonium dederunt, opus non est omnes ad unum audire, priusquam certum iudicium fieri possit, sed si ii, qui maxime eminent et ceteris duces erant, indubitanter consentiunt, de reliquorum consensu prudenter dubitari nequit. Exemplo sit concilium ephesinum, quod duodecim Patrum dictis allegatis censuit Nestorii negotium esse confectum. De qua re ait *Vincentius Lirinensis:* «Quamquam multo amplior maiorum numerus adhiberi potuerit, sed necesse non fuit, quia . . . illos non aliud vere sensisse quam ceteros omnes collegas suos nemo dubitabat» (Commonit. c. 30). Praeterea obliviscendum non est silentium non esse dissensum; quare argumentum ex silentio raro et sub specialibus tantum condicionibus aliquid probat.

Interdum auctoritas ecclesiastica doctrinam alicuius S. Patris speciali modo approbavit, ut doctrinam S. Augustini (*Denz.* n. 128 sqq), ita tamen, ut «profundiores difficilioresque partes incurrentium quaestionum, . . . sicut non audemus contemnere, ita non necesse habeamus adstruere» (*Denz.* n. 142; cf. 1320). Immo quorundam Patrum doctrinam specialissimo modo approbavit, ut anathematismos S. Cyrilli Alex. contra Nestorium (*Denz.* n. 113 sqq). Quia approbatio ecclesiae est praecipua ratio, quae SS. Patribus auctoritatem conciliat in ordine logico seu respectu demonstrationis theologicae, eo maior est alicuius Patris auctoritas, quo specialius eius doctrina approbata est.

5. *Singuli Patres, quia non sunt infallibiles, errare poterant, in una alterave quaestione, et revera nonnulli eorum errarunt,* praecipue in rebus, quae ea aetate nondum pertinebant ad explicitam professionem ecclesiae, ut in quaestionibus de spiritualitate angelorum, de rebaptizandis haereticis, aliis. Si dissensus horum Patrum a posteriore doctrina explicita ecclesiae manifestus est, factum est concedendum, et rationes erroris exponendi sunt, et hoc modo, non vero per explicationes artificiosas et improbabiles, auctoritati SS. Patrum consulendum est (cf. *S. August.,* De bapt. contra donat. 1, 1; 2, 4; 2, 14; 5, 26; 6, 3).

6. *Non ideo quia singuli Patres errare poterant, singulorum auctoritas nulla est,* cum inter auctoritatem infallibilem et auctoritatem nullam multi gradus auctoritatis interiaceant. Itaque etiam singuli Patres, quia ab ecclesia approbati sunt, maiorem auctoritatem in rebus theologicis habent quam alii, qui non ita approbati sunt. Est igitur dictum alicuius Patris verum argumentum, at per se solum *argumentum probabile,* quod rem quidem non absolute efficit, sed neque leviter reiciendum est. Sequenda est hac in re regula, quam *S. Thomas* statuit: Sacra doctrina «auctoritatibus canonicae Scripturae utitur pro-

prie et ex necessitate argumentando; auctoritatibus autem aliorum doctorum ecclesiae quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter» (1, q. 1, a. 8 ad 2). Et provocat ad verba *S. Augustini:* «Alios [praeter scriptores inspiratos] ita lego, ut, quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt» (Ep. 82, n. 3). Hoc dicit de singulis Patribus; ex consensu vero argumentatur, «ut appareat ab initio usque ad praesens tempus [idem dogma] apud ecclesiae fidem tanta constantia custoditum» (De peccat. merit. et remiss. 3, 7, 14).

7. Tandem quaeritur, *quomodo diiudicandum sit, utrum SS. Patres velint aliquam doctrinam proponere ut ecclesiae traditionem, an ut suam tantum opinionem plus vel minus probabilem.* Saepe hoc est ex verbis eorum immediate perspicuum. Sufficit legere e. g. quae SS. Patres scripserunt contra arianos et contra pelagianos, vel catecheses, quas habuerunt catechumenis. Saepe vero SS. Patres doctrinam aliquam simpliciter proponunt, non addentes, utrum necessario admittenda sit necne. Quod si fit, ex solis verbis discerni nequit, num agatur de dogmate vel de re cum dogmate necessario nexa, sed ex aliis eorum dictis concludendum est, velintne hanc doctrinam ut unice veram et catholicam haberi. Si hoc certo conici nequit, argumentum per se non est certum. Si vero apud posteriores Patres et theologos constanter et exclusive proponitur eadem doctrina ut necessario amplectenda, signum est doctrinam priorum Patrum consideratam esse ut unice catholicam; et ideo etiam priorum Patrum sententia hoc modo exponenda est. Sub hoc respectu theologia scholastica multum iuvat ad Patres recte interpretandos, quia est theologia patristica in systema redacta et ad faciliorem intellegentiam accommodata. Quae Patres obiter dicunt vel in orationibus rhetorice exaggerant, generatim quaecumque ita dicunt, ut manifestum sit eos nolle ibi exacte et praecise doctrinam proponere, haec caute tantum et cum necessariis restrictionibus utenda recipiantur.

Prop. XLV. Etiam unanimis theologorum consensus in rebus fidei et morum est certum argumentum theologicum.

363. ***Stat. quaest.*** Loquimur de iis theologis, qui inde a saeculo XII in scholis catholicis sub vigilia et prospicientia ecclesiae floruerunt (cf. supra n. 18 sqq). Sunt igitur imprimis ii, qui vocantur «scholastici», ut distinguantur ab aliis recentioribus, qui relictis principiis per multa saecula in omnibus scholis catholicis vigentibus, novorum philosophematum placita ad theologiam applicaverunt.

Plerique theologi non erant episcopi, ideoque non pertinebant ad ecclesiam docentem. Sub hoc respectu, sicut et ratione antiquitatis, differunt a SS. Patribus. Nihilominus *ut testes traditionis manifestant*

nobis sensum ecclesiae suorum temporum. Praeterea systema theologiae scientifice excoluerunt, ideoque ad plurimas quaestiones dant responsa determinata, et eorum usus est expeditior quam SS. Patrum. *Auctoritas eorum derivatur praecipue ab approbatione ecclesiae,* et tanto maior est, quanto specialius approbati sunt. Nonnulli eorum sunt doctores ecclesiae, ut S. Thomas et S. Bonaventura. Etsi in quaestionibus dogmaticis imprimis theologi dogmatici audiendi sunt, non tamen penitus excluduntur canonistae, exegetae, alii, qui data occasione de rebus dogmaticis scripserunt.

Hic locus theologicus ideo quoque nostra aetate valde observandus est, quia quidam, qui theologi esse volunt, eum prorsus ignorare videntur. Nam cum iis proponitur argumentum ex consensu theologorum, respondent: Sic olim theologi censuerunt, ego autem contra censeo; quasi non eo ipso erroris convincatur, qui contra communem consensum novas theorias statuit. Praesertim modernistae, ut ait *Pius X* in encyclica «Pascendi», «philosophiam ac theologiam scholasticam derident passim atque contemnunt. Sive id ex ignoratione faciant sive ex metu sive potius ex utraque causa, certum est studium novarum rerum cum odio scholasticae methodi coniungi semper; nullumque est indicium manifestius, quod quis modernismi doctrinis favere incipiat, quam cum incipit scholasticam horrere methodum».

364. *Arg. 1.* Ex approbatione ecclesiae.

Ecclesia saepe theologiam scholasticam summis laudibus celebravit et omnibus sequendam commendavit. Atqui id non potuisset fieri, si scholastici unanimi consensu doctrinas fidei contrarias tradidissent. Ergo eorum consensus est argumentum doctrinae fidei consentaneae.

Prob. mai. *Sixtus V* in bulla, qua S. Bonaventuram doctorem ecclesiae declaravit, ait: «Haereticorum insidiae et diabolicae machinationes, quibus sacram theologiam, quae scholastica appellatur, hoc luctuoso saeculo oppugnant vehementissime, nos summopere admonent, ut eandem theologiam, qua nihil ecclesiae Dei fructuosius, omni studio retineamus, illustremus, propagemus. . . . Quanto igitur magis hanc munitissimam scholasticae theologiae arcem oppugnare et evertere conantur, tanto magis nos decet hoc invictum fidei propugnaculum defendere et hereditatem patrum nostrorum conservare et tueri et acerrimos veritatis defensores meritis honoribus, quantum possumus decorare.» Laudes, quas Sixtus V tribuit theologiae scholasticae, repetit et confirmat *Leo XIII* in encyclica «Aeterni Patris» (Acta Sanctae Sedis 1879, 107 sq).

Quoties vero adversarii theologiam scholasticam impugnarunt, ecclesia has impugnationes repulit. Ita *Pius VI* prop. 76 pistoriensium: «Insectatio, qua synodus scholasticam exagitat . . . falsa, temeraria, in sanctissimos viros et doctores, qui magno catholicae religionis bono scholasticam excoluere, iniuriosa, favens infestis in eam haereticorum

conviciis» (*Denz.* n. 1576). *Pius IX* loquitur de opinione, quae invaluerat «adversus veterem scholam et adversus doctrinam summorum illorum doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam et vitae sanctitatem universalis veneratur ecclesia. Qua falsa opinione ipsius ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur, quandoquidem ipsa ecclesia non solum per tot continentia saecula permisit, ut ex eorundem doctorum methodo et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excoleretur scientia, verum etiam saepissime summis laudibus theologicam eorum doctrinam extulit, illamque veluti fortissimum fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit» (*Denz.* n. 1680). Quare si agitur «de illa subiectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum conciliorum aut romanorum pontificum huiusque sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quae . . . universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur». Si vero agitur de assensu fide inferiore, opus est, «ut se subiciant . . . iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones iisdem doctrinae capitibus adversae, quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam censuram mereantur» (*Denz.* n. 1683 sq). Haec sufficiant ad ostendendum, quo modo et quo sensu auctoritas ecclesiastica theologos scholasticos et eorum doctrinam approbaverit (cf. *Denz.* n. 1620 1652 1657). Priora de hac re statuta *Pius X* in encyclica «Pascendi» rursus confirmavit.

Quod dictum est de Patribus, valet de theologis: Quo specialius alicuius theologi doctrina approbata est, eo maior est huius theologi auctoritas. Iamvero si doctrina generatim spectatur, nemo saepius et magnificentius a summis pontificibus laudatus et commendatus est quam *S. Thomas Aquinas,* de quo ait *Leo XIII:* «Inter scholasticos doctores omnium princeps et magister longe eminet Thomas Aquinas, qui, uti Caietanus animadvertit, veteres doctores quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est» (encyclica «Aeterni Patris»; Acta S. Sedis 1879, 108). Hisce quidem et aliis laudibus non declaratus est infallibilis S. Thomas, sed proponitur ut doctor, quem tuto sequimur, et a cuius doctrina recedendum non est, nisi solida ratio id postulat, id quod in quaestionibus dogmaticis perraro contingit. Non ideo neglegendos esse alios magnos theologos vix est cur speciatim efferatur. Generatim de usu theologorum in theologia eadem valent, quae supra (n. 362) dicta sunt de SS. Patribus.

365. *Arg. 2.* **Ex nexu theologorum cum ecclesia docente.**

Is est nexus theologorum scholasticorum cum ecclesia docente, ut, si ipsi unanimiter errores in rebus fidei et morum docuissent, ecclesia ipsa in errores incidisset. Atqui hoc est impossibile. Ergo

theologi scholastici non possunt unanimiter docere errores in rebus fidei et morum.

Ad mai. A saeculo XII usque ad saeculum XVIII scholae theologicae erant sub providenti regimine auctoritatis ecclesiasticae, non de iure tantum sed etiam de facto. Auctoritas ecclesiastica assignabat magistros, invigilabat doctrinae, corrigebat vel etiam deponebat errantes. Cuius rei exempla sat multa leguntur in historia (cf. e. g. *Denz.* n. 368 sqq 412 sqq 419 sqq 495 sqq). Itaque si scholastici non reclamante ecclesia unanimiter falsam doctrinam proposuissent, ecclesiae rectores officio suo graviter defuissent, immo laudando et commendando theologiam scholasticam positive errorem fovissent (cf. *Denz.* n. 480 483).

Praeterea ex scholis illis ecclesiasticis prodibant sacerdotes, episcopi, summi pontifices, qui omnes principiis scholasticis imbuti erant. Fieri igitur non potuit, ut in scholis omnibus error doceretur, et rectores ecclesiae ab errore immunes manerent. Immo constat rectores ecclesiae non aliam fidelibus proposuisse doctrinam, nisi quae communiter a theologis tradebatur. Ergo errantibus omnibus theologis ecclesia universa errasset. Quia vero ecclesia nulla aetate errare potuit, doctrina, quae medio aevo communiter recepta erat, nunc infirmari non potest eo, quod nonnulli theologi incipiunt contradicere; sed ea, quae olim unanimiter tradebantur ut fide credenda, sunt de fide; quae tradebantur ut theologice certa, etiam nunc sunt theologice certa; quae tradebantur ut sententiae communiter receptae sine ulla qualificatione theologica, sine temeritate reici nequeunt nisi ob solidas rationes. Si vero dissentiunt inter se scholastici, non necessario pars maior sequenda est, sed perpendendae sunt rationes, quibus probant assertiones suas; si vero rationibus aliis quaestio non solvitur, rationabile est sequi eos, qui sunt maioris auctoritatis, et imprimis S. Thomam. Si unus tantum vel alter obscurioris nominis vel notae singularitatis theologus contra communem torrentem nititur, hoc pro nihilo habendum est (cf. *Canus,* De locis theol. 8, 4; *Wirceburg.* I, 234 sqq).

366. *Obi. I.* Theologi scholastici terminis suis barbaris, abstracto loquendi modo, forma syllogistica arida et incomposita, infinitis divisionibus et distinctionibus, aliis gravibus defectibus reddunt theologiam insipidam et homines deterrent potius quam alliciunt. Ergo theologia scholastica relinquenda et alia, temporum nostrorum condicionibus magis accommodata, substituenda est.

Resp. *Dist. antec.:* Omnes illi defectus, in quantum veri supponuntur, effecerunt, ut doctrina ipsa corrumperetur, *neg. antec.;* doctrinam ipsam intactam reliquerunt, de qua re unice thesis nostra loquitur, *conc. antec.*

Si cui ista, quae obiciuntur, displicent in scholasticis, emendet defectus, si potest, et retineat sanam eorum doctrinam. Praeferenda tamen est in tractatibus theologicis ariditas loquacitati, distinctionum usus confusioni, forma perspicua et simplex ornatui quaesito et alieno. Ceterum apud ipsos scho-

lasticos tanta cernitur differentia in modo scribendi, ut de dictione scholastica quasi de re omnibus communi nemo rationabiliter loqui possit, sed si quis quaerit, cuiusvis fere sermonis exemplaria in eorum scriptis inveniat. Haec non pertinent ad essentiam theologiae scholasticae, sed sunt accidentalia.

367. *Obi. II.* Scholastici carebant sensu historico et omnia a priori definire studebant; unde inepti erant ad eas quaestiones recte solvendas, quae diligentes investigationes historicas postulant. Ergo doctrina eorum in multis relinquenda est.

Resp. *Dist. antec.:* Scholastici quaestiones pure historicas plerumque neglexerunt, *conc. antec.;* non habuerunt eam notitiam traditionis catholicae, quae requiritur, ut doctrina theologica pura servetur, *neg. antec.*

Doctrina apostolica in ecclesia servatur non proxime et principaliter studio historiae sed cotidiano magisterio et extraordinariis definitionibus conciliorum et pontificum. Haec est proxima regula et norma fidei et theologiae. Studium historicum sacrae doctrinae utilissimum quidem est sed adiumentum tantum et fons secundarius. Etiam hunc fontem secundarium, imprimis opera SS. Patrum, scholastici non neglexerunt, cuius rei eorum libri testes sunt, etsi omnia non tam historice quam theologice considerabant. Nostra quidem aetate sensus historicus multo magis evolutus est, sed sensus theologicus saepe deficit. Unde non raro in uno opere de historia dogmatum conscripto plures et graviores errores theologici inveniuntur quam in omnibus voluminibus maximorum scholasticorum simul sumptis. Sic minor defectus maiore defectu commutatus est. Caveantur igitur defectus, et maneat usus secundum sapiens consilium a *Pio X* in encyclica «Pascendi» datum: «Maior profecto quam antehac positivae theologiae ratio est habenda; id tamen sic fiat, ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique reprehendantur, utpote qui modernistarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollant, ut scholasticam theologiam despicere videantur.»

368. *Obi. III.* Scholastici reapse errores theologicos docuerunt unanimiter. Ergo falsa est thesis.

Resp. *Neg. antec.*, in quantum agitur de doctrinis theologicis, quas unanimiter proposuerunt ut omnibus credendas vel tenendas.

Errores, qui in operibus scholasticorum proponuntur, in tres classes dividi possunt:

a) In disciplinis pure naturalibus imbuti erant opinionibus falsis ea aetate communibus, ut de quattuor elementis et similibus. Est tamen notandum eos sibi conscios fuisse multas ex his opinionibus non esse nisi hypotheses vel theorias probabiles tantum. E. g. *S. Thomas* de astronomis, qui sequebantur systema ptolemaicum quoad motum siderum, ait: «Illorum suppositiones, quas adinvenerunt, non est necessarium esse veras. Licet enim talibus suppositionibus factis apparentia salvarentur, non tamen oportet dicere has suppositiones esse veras, quia forte secundum aliquem alium modum, nondum ab hominibus comprehensum, apparentia circa stellas salvantur» (De caelo l. 2, lect. 17; idem dicit in Summa 1, q. 32, a. 1 ad 2).

b) In quaestionibus theologicis potuerunt vetustiores scholastici ut doctrinam probabilem vel probabiliorem admittere eam, quae postea a theo-

logis reiecta est. Huc referre licet e. g. quod veteres scholastici satis unanimiter docuerunt, episcopatum non esse ordinem sacramentalem distinctum a presbyteratu. Neque enim hanc opinionem tradiderunt ut necessario amplectendam. Ita unus ex vetustissimis scholasticis, *Gulielmus Parisiensis (Alvernus)* defendit quidem illam opinionem, sed in fine ait: «Si quis dicere voluerit episcopatum esse ordinem distinctum a sacerdotio minore, non opponimus nos» (De sacram. ordinis 13).

c) Errores dogmaticos in rebus ab ecclesia nondum definitis potuerunt tradere quidam vel etiam multi, at non omnes unanimiter. Ita multi acerrime impugnarunt doctrinam de immaculata conceptione Beatae Virginis Mariae; sed alii non minus fortiter eam defenderunt.

Schol. 1. De consensu populi christiani in rebus fidei et morum.

369. Christus Dominus magisterio ecclesiastico infallibilitatem dedit in utilitatem omnium fidelium, ut omnes concurrant in unitatem fidei (Io 17, 20 sq. Eph 4, 11 sqq). Itaque sicut per Spiritum Sanctum infallibilis servatur testificatio docentium, ita etiam fides credentium. Ideo iam SS. Patres ex consensu fidelium arguunt contra haereticos. Ita *S. Basilius* vituperat Eunomium, «quod non putet oportere in simplici ac nuda multorum fide permanere, sed artificiosis quibusdam captiosisque rationibus veritatem rursus ad id, quod sibi videtur, detrudere» (Adv. Eunom. 3, 1). *S. Augustinus* contra Iulianum: «Non tibi, sicut calumniaris, ‚solum populi murmur' opponimus, quamquam et ipse populus adversus vos propterea murmuret, quia non est talis quaestio, quae possit etiam cognitionem fugere popularem. Divites et pauperes, excelsi atque infimi, docti et indocti, mares et feminae norunt, quid cuique aetati in baptismate remittatur. . . . Quasi parva sit istius veritatis assertio, quod in hoc fidei firmissimo et antiquissimo fundamento ipsa toto orbe diffusa non a se discrepet multitudo» (Contra Iul. 1, 7, 31). His verbis indicatur, quibus in rebus populi consensus invocari possit, scilicet non in quaestionibus subtilioribus, quae captum populi effugiunt, sed in iis quae omnibus pervia sunt, quia vel ad doctrinam vel ad praxim cotidianam pertinent. Ergo si in his rebus clarus consensus populi apparet, certum argumentum est rem istam a magisterio ecclesiastico omnibus credendam vel tenendam proponi. Apparet autem sensus populi variis modis, in libris, picturis, monumentis, inscriptionibus. Maxime picturae et inscriptiones factae a christianis primorum saeculorum utiles esse possunt ad argumentationem dogmaticam. Sed quia hae res multas inquisitiones postulant, antequam firmum argumentationis fundamentum praebent, tractantur in speciali disciplina, quae vocatur archaeologia sacra (cf. *P. Syxtus,* Notiones archaeologiae christianae, Romae 1908 sqq). Idem valet de historia ecclesiastica (cf. *Franzelin,* De tradit. thes. XII).

Schol. 2. De usu rationis humanae in theologia.

370. *S. Thomas* ait: «Utitur sacra doctrina etiam ratione humana, non quidem ad probandam fidem sed ad manifestandum aliqua alia,

quae traduntur in hac doctrina. Cum igitur gratia non tollat naturam sed perficiat, oportet, quod naturalis ratio subserviat fidei, sicut et naturalis inclinatio voluntatis subsequitur caritati» (1, q. 1, a. 8 ad 2). Ratio intellegitur subiective aut obiective. *Ratione subiectiva,* i. e. intellectu nostro, intellegimus, quid credendum sit, et cur credendum sit, actum fidei elicimus, fidei doctrinas meditando nobis asciscimus. *Ratione obiectiva,* i. e. principiis naturaliter cognitis, utitur theologus quadrupliciter: 1. ad stabilienda praeambula fidei et motiva credibilitatis, quae ante theologiam sciri debent; 2. ad formandas conclusiones theologicas ex maiore revelata et minore philosophice cognita; 3. ad ostendendum dogmata consentire cum veritatibus philosophicis vel saltem iis non contradicere, et etiam ad mysteria analogiis quibusdam aliquo modo illustranda; 4. ad defendendas veritates revelatas ab obiectionibus adversariorum.

Hinc intellegitur, cur etiam auctoritas philosophorum intra certos limites invocetur in theologia. Manet autem in sacra doctrina philosophia semper ancilla, numquam fit domina; et etiam ad famulandum eatenus tantum admittenda est, quatenus est vera in principiis, sana in doctrinis, cauta in delectu opinionum, sobria in usu (cf. *Conc. vat.* sess. 3, c. 4; *Denz.* n. 1795 sqq, praeterea n. 1669 sqq; *Wirceburg.* I, n. 242).

CAPUT II.

DE SACRA SCRIPTURA.

Cf. *R. Cornely,* Introductio in utr. T. libros sacros I[2], Parisiis 1894; — Introductionis compendium[7], Parisiis 1911, ubi in append. II tractatus de inspiratione; *Franzelin,* De Trad. et Scriptura; *Franc. Schmid,* De inspirationis bibliorum vi et ratione, Brixinae 1885; *G. I. Crets,* De divina Bibliorum inspiratione, Lovanii 1886; *D. Zanecchia,* Divina inspiratio Sacrarum Scripturarum, Romae 1898; *L. Billot,* De inspiratione Sacrae Scripturae, Romae 1903; *S. Schiffini,* Divinitas Scripturarum, Augustae Taur. 1905; *Chr. Pesch,* De inspiratione Sacrae Scripturae, Friburgi Brisg. 1906.

PRAENOTANDA.

371. *Quid intellegatur Sacra Scriptura.* Proxima regula fidei et proximus fons, ex quo fideles omnes hauriunt notitiam rerum credendarum, est vivum magisterium ecclesiasticum (supra n. 301). Huic autem magisterio Deus tradidit quosdam libros, quorum ipse per homines ut instrumenta factus est auctor, quique ideo «Sacra Scriptura» vocantur (supra n. 303). Hoc nomen desumptum est ex his ipsis libris, in quibus collectio librorum sacrorum iudaeorum vocatur, aut simpliciter ἡ γραφή vel αἱ γραφαί, aut γραφαὶ ἅγιαι, ἱερὰ γράμματα (cf. Io. 7, 38; 17, 12; 19, 24 sqq; Mt 22, 29; Rom 1, 2; 4, 3; 2 Tim 3, 15 sq). 1 Mach. 12, 9 vocantur τὰ βιβλία τὰ ἅγια; unde illud nomen: «Biblia sacra». Maxima pars horum librorum ante Christum iam exstabat. Sed etiam quidam apostoli vel apostolorum discipuli libros sacros conscripserunt. Quare dividitur Scriptura in libros Veteris et Novi Testamenti, qui etiam simpliciter dicuntur *Vetus et Novum Testamentum.*

372. *Qui sint hi libri, definitum est a concilio tridentino,* quod (in sess. 4) enumerat eos omnes et solos, qui in editione latina Vulgata nostra leguntur ab initio Genesis usque ad finem Apocalypsis; et dein pergit: «Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt et in vetere Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit... A. S.» (*Denz.* n. 784). Quam definitionem repetiit *concilium vaticanum* sess. 3, c. 2 (*Denz.* n. 1787). Hic catalogus librorum sacrorum non est novus, sed iam statutus fuit a *concilio carthaginensi* a. 397 (*Denz.* n. 92; cf. n. 84 96) et deinceps saepius. Catalogus sacrorum librorum solet vocari *canon*, et libri in catalogum recepti dicuntur *libri canonici.* Nihilominus haec significatio vocabuli canonis non est primitiva, cum canon per se sit idem ac mensura vel regula. Hoc nomen transferentes SS. Patres ad res dogmaticas, loquuntur de canone, i. e. de regula fidei (*S. Clemens Rom.,* 1 Cor. 7. *Irenaeus,* Contra haer. 3, 11, 1 etc). Ergo quia Scriptura est regula fidei, libri ad eam pertinentes recte vocantur libri canonici.

Quia olim de canonicitate quorundam librorum tum Veteris tum Novi Testamenti disputatum est in ecclesia, illi libri, qui semper et ubique canonici habebantur, vocari solent *protocanonici;* illi vero, de quibus aliquando dubitabatur, *deuterocanonici.* His nominibus non indicatur maior vel minor gradus auctoritatis sed unice factum historicum prioris et posterioris acceptionis universalis illorum librorum. Libri deuterocanonici Veteris Testamenti sunt: Tobias, Iudith, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch et epistula Ieremiae, duo libri Machabaeorum Esther 10, 4 usque ad finem libri, Daniel 3, 24—90; 13, 1 usque ad finem libri. Libri deuterocanonici novi Testamenti sunt: ep. ad Hebraeos, ep. Iacobi, ep. 2 Petri, ep. 2 et 3 Ioannes, ep. Iudae, Apocalypsis, Marcus 16, 9—20, Lucas 22, 43 sq, Ioannis 7, 53 ad 8, 11. Deuterocanonica Veteris Testamenti a protestantibus vocantur apocrypha; quae vero a catholicis vocantur apocrypha, a protestantibus vocantur pseudepigrapha (e. g. 3 et 4 libri Machabaeorum, Psalmi Salomonis, liber Henoch).

Historia canonis traditur in introductione in Sacram Scripturam. Quia haec res postulat longiores inquisitiones historicas, quam quae hic commode institui vel cum utilitate breviter recapitulari possint, eam illi disciplinae theologicae relinquimus. Dogmatice omnis dubitatio, quae olim de quibusdam libris movebatur, iam diu sublata est.

373. *Ad conceptum libri canonici duo pertinent: a) ut liber sit inspiratus, b) ut qua inspiratus ecclesiae sit traditus.* Id definitum est a *concilio vaticano* (sess. 3, c. 2): Libros Veteris et Novi Testamenti «ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati, nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant, sed propterea,

quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi ecclesiae traditi sunt» (*Denz.* 1787). Quia vero libri sacri ecclesiae traditi sunt conservandi et exponendi, non singulis hominibus dati ut regula fidei proxima, multo minus ut unica, ideo *concilium tridentinum* (sess. 4) «ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo, suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat» (*Denz.* n. 786). Cum quidam dixissent hoc decreto interdictum tantum esse Scripturam interpretari contra sensum ecclesiae et Patrum, non tamen positive statutum esse sensum ecclesiae aut Patrum esse necessario admittendum, *concilium vaticanum,* hanc pravam expositionem reiciens, ait (sess. 3, c. 2): «Nos, idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta mater ecclesia» (*Denz.* n. 1788). His igitur decretis duo clare enuntiantur: a) Sacram Scripturam ita esse a Deo inspiratam, ut Deus sit eius auctor; b) hanc Sacram Scripturam non singulis sed ecclesiae traditam esse exponendam. Haec igitur duo iam explicanda et ostendenda sunt. Agemus primum de essentia inspirationis, deinde de extensione inspirationis.

Prop. XLVI. Libri Sacrae Scripturae Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum auctorem habent.

374. ***Stat. quaest.*** Deus libros sacros non produxit miraculose per se solum, sed movit homines ad eos conscribendos. Hic influxus divinus in scriptores sacros vocatur *inspiratio* (activa); scriptores ipsi sub hoc influxu divino constituti vocantur *scriptores inspirati* (inspiratio personalis); similiter libri ab iis ex hoc influxu conscripti vocantur *libri inspirati* (inspiratio realis). Graece plenius dicitur *θεοπνευστία*, scriptores vero et libri sacri *θεόπνευστοι*. Quae appellatio desumpta est ex 2 Tim 3, 16: *Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος*.

Imprimis igitur probandum est Deum exercuisse eiusmodi influxum in homines quosdam, ut libri vi huius influxus divini conscripti ad Deum auctorem referendi sint et divina quadam auctoritate polleant. De accurata natura huius influxus et de extensione huius auctoritatis postea dicemus. Non quaeritur, quomodo inspiratio absolute fieri potuerit, sed quomodo revera facta sit, idque non ex nuda speculatione de conceptu inspirationis vel auctoris sed ex fontibus theologicis discendum est, in quibus hi conceptus explicantur.

Patet nos non posse probare inspirationem Scripturae ex auctoritate Scripturae ut inspiratae. Bene vero possumus ex Scriptura ut

fonte historico discere, quid personae in ea loquentes de inspiratione Scripturae sentiant; et si hae personae cum auctoritate infallibili loquuntur, ut Christus et apostoli, eorum doctrina de inspiratione Scripturae admittenda est. Nihilominus in quantum agitur non de inspiratione in genere vel de inspiratione quorundam tantum librorum, sed de inspiratione omnium librorum canonicorum, argumentum praesto non est ex sola Scriptura, sed necessario recurrendum est ad traditionem.

Cum veteres theologi protestantes, maxime saeculis XVI et XVII, inspirationem adeo exaggerassent, ut ad veram quandam bibliolatriam pervenissent, recentes plerique omnem veri nominis inspirationem reiciunt; et si forte vocem retinent, nihil aliud intellegunt nisi libros sacros scriptos esse ab hominibus sensu religioso valde commotis, et ideo aptos esse ad similem sensum in legentibus excitandum (cf. *Chr. Pesch*, De inspir. n. 224 sqq). Protestantes rationalistas hac in re secuti sunt modernistae, quorum propositio damnata 9 haec est: «Nimiam simplicitatem aut ignorantiam prae se ferunt, qui Deum credunt vere esse Sacrae Scripturae auctorem» (*Denz.* n. 2009; cf. 2090).

375. *Arg. 1.* **Ex Sacra Scriptura ut fonte historico.**

Iam in Vetere Testamento libri sacri speciali modo ad Deum auctorem referuntur; in Novo autem Testamento Christus Dominus et apostoli hanc fidem approbant, et docent libros sacros ita Deum habere auctorem, ut ob hoc ipsum eorum dicta firmissimum argumentum veritatis sint. Atqui haec doctrina, utpote divinitus revelata, vera est. Ergo libri sacri, divinitus inspirati, Deum auctorem habent. Sola maior argumenti probatione indiget.

Prob. mai. a) *Ex Vetere Testamento.* Saepe in Vetere Testamento viri specialiter a Deo electi mandatum divinum acceperunt scribendi res a Deo revelatas et haec scripta conservandi et suis temporibus populo in memoriam revocandi. Tales viri erant Moyses, Iosue, Samuel (cf. Ex 17, 4; 24, 4 sqq; 34, 27; Dt 31, 10 sqq 24 26; Ios 1, 8; 24, 26; 1 Rg 10, 55). Hi viri erant «prophetae» (Nm 12, 6 sqq. Dt 34, 10. Ios 3, 7 sqq. 1 Rg 3, 20). Post hos venerunt alii prophetae, qui simile mandatum a Deo acceperunt (Is 8, 1; 30, 8; 34, 16. Ier 30, 2; 36, 1 sqq. Hab 2, 2). Praeter eos, qui stricte prophetae appellantur, alii quoque viri, qui carmina composuerunt, dicuntur ita scripsisse, ut Deus ipse per eos locutus sit. «Dixit David . . . egregius psaltes Israel: Spiritus Domini locutus est per me, et sermo eius per linguam meam» (2 Rg 23, 1 sq). Haec est ipsa definitio prophetae, qui est quasi os Domini (Ier 15, 19), ut, dum ipse loquitur, ei dicere liceat: «Haec dicit Dominus» (Ez 3, 10 sq. Zach 7, 12). Qui reicit verba prophetae, reicit verba Dei (Ier 7, 25 sqq. Ez 3, 7). Quando ut prophetae loquuntur, sunt sub speciali motione Spiritus Sancti (1 Rg 10, 10; 19, 20. 2 Par 20, 14. Ez 3, 10). Itaque quia non solae prophetiae stricte dictae sed etiam lex et psalmi referuntur ad scrip-

tores propheticos, qui ex speciali mandato vel speciali impulsu Dei scripserunt, intellegitur, cur in tanta veneratione apud israelitas fuerint (cf. 1 Mach 12, 9; Io 5, 39), et cur S. Paulus inter praerogativas israelitarum numeret, «quia credita sunt illis eloquia Dei» (Rom 3, 2), praecipue eloquia scripta.

Hanc fidem confirmat Flavius Iosephus: «Apud iudaeos non cuivis licebat historiam conscribere, sed «prophetis tantum, qui remotissima et antiquissima ex divina inspiratione didicerunt. . . . Sunt duo tantum supra viginti libri, totius temporis descriptionem continentes. Et horum quinque sunt Moysis. . . . Prophetae Moysi succedentes suorum temporum res gestas tredecim libris conscripserunt. Reliqui quattuor libri hymnos ad Deum et vitae praecepta hominibus data continent.» Scripta post Artaxerxem facta «non eadem fide digna habentur atque priora, quia minus manifesta fuit successio prophetarum» (Contra Apionem 1, 7 sq).

b) *In Novo Testamento* Christus Dominus et apostoli hanc fidem iudaeorum approbant. Nam illae formulae: «Scriptura dicit», «Scriptum est», inducunt verba Veteris Testamenti ut argumentum ineluctabilis certitudinis, cui contradicere non liceat (Mt 4, 4 7 10; 21, 42. Io 10, 34 sq. Rom 3, 10). Similes formulae circiter centies quinquagies repetuntur. «Non potest solvi Scriptura» (Io 10, 35). «Oportet impleri Scripturam» (Act 1, 16). «Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de me» (Lc 24, 44). Cur tam firma sunt verba Scripturae? Quia sunt verba Dei, vel quia homines ea dixerunt vel scripserunt sub motione divina. Ita David «in spiritu» locutus est de Christo (Mt 22, 43). Deus in Scriptura loquitur ad iudaeos tempore Christi viventes (Mt 22, 31). «Oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David» (Act 1, 16). Dixit Deus ea, quae Gen 2, 2 scripta sunt de die septima (Hebr 4, 4). Gal 3, 8 loco Dei loquentis ponitur Scriptura loquens. Ergo secundum doctrinam Christi et apostolorum dicta Scripturae infallibiliter vera sunt, quia sunt verbum Dei scriptum, seu quia sunt a Deo inspirata.

In epistula 2 ad Tim (3, 15 sq) illa Scriptura, quam Timotheus ab infantia didicit, i. e. Vetus Testamentum (secundum versionem Septuaginta), dicitur *γραφὴ θεόπνευστος*, Scriptura a Deo inspirata. De «omni prophetia Scripturae» S. Petrus ait: «Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati *(ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι)* locuti sunt sancti Dei homines» (2 Petr 1, 21). Quae verba serviunt ad explicandum illud *θεόπνευστος* S. Pauli. Nam Scriptura ideo est *θεόπνευστος*, quia principalis causa eius non est voluntas humana scriptorum sed Spiritus Sanctus movens homines a Deo electos ad loquendum sive ore sive scripto.

Haec omnia testimonia referuntur ad libros Veteris Testamenti. Novi autem Testamenti libri ab initio religionis non statim aderant; ergo non poterant commemorari nisi ab iis, qui post primos libros

editos scripserunt. Ita S. Petrus in secunda sua epistula (3, 15 sqq) loquitur de S. Pauli epistulis: «Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini, sicut et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistulis, loquens in iis de his, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.» Recenset igitur epistulas paulinas inter «Scripturas», *ὡς καὶ τὰς λοιπὰς γραφάς*. Quas epistulas Pauli habuerit, nescimus. S. Paulus videtur allegare verba quaedam ex evangelio Lucae (1 Tim 5, 18; cf. Lc 10, 7). S. Ioannes in Apocalypsi saepe testatur se a Deo mandatum scribendi accepisse (1, 10 sq 19 etc.), et libro suo tantam auctoritatem tribuit, ut sub gravissimis poenis a Deo infligendis non liceat quidquam addere aut demere (22, 18 sq).

Itaque ex Sacra Scriptura possumus quidem probare exsistentiam librorum inspiratorum, quorum Deus auctor est, non vero possumus ex Scriptura sola probare, quinam sint illi libri omnes et soli, qui inspirati sunt.

376. *Arg. 2.* **Ex consensu Patrum et theologorum.**

SS. Patres et theologi docent scriptores humanos in conficienda Sacra Scriptura fuisse instrumenta Spiritus Sancti, ita ut principalis auctor Scripturae non sint homines sed Deus. Ergo diserte docent thesim nostram. *S. Iustinus* (vel alius eius aequalis) de scriptoribus sacris ait: «Quibus verborum artificio opus non fuit . . . sed puros seipsos divini Spiritus operationi praebere, ut divinum illud delapsum e caelis plectrum, velut quodam citharae vel lyrae instrumento, iustis hominibus uteretur» (Cohort. c. 8). *S. Theophilus Antioch.* vocat sacros scriptores *ὄργανα θεοῦ*, ita ut Deus potius per eos quam ipsi homines loquantur (Ad Autol. 2, 10). Hinc Scriptura sibi consentit, «quia omnes Spiritu moti *(πνευματόφοροι)* uno Spiritu Dei locuti sunt» (l. c. 3, 12). *Athenagoras*: Prophetae «movente eos divino Spiritu elocuti sunt, quae inspirabantur, utente illis Spiritu, sicut si tibicen inflet tibiam» (Legatio 9). *S. Irenaeus:* «Scripturae perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictae» (Contra haer. 2, 28, 2). *S. Cyprianus:* «Nos Deus per Scripturas Sanctas erudire et instruere dignatus est» (Prooem. in libros testim.). *S. Basilius:* «Omnis Scriptura est divinitus inspirata, ideo a Spiritu Sancto conscripta, ut . . . ad nostrum morbum curandum medelam seligere possimus» (In Ps. 1, n. 1). «Paulus dixit: Omnis Scriptura divinitus inspirata. . . . Quomodo Spiritus Sanctus Deus non est, cum illius Scriptura divinitus inspirata sit?» (Contra Eunom. 5; *M* PG 29, 722). *S. Cyrillus Alex.:* «Unus liber est tota Scriptura et dicta per Spiritum Sanctum» (In Is. l. 3, t. 2, v. 13). *S. Ioannes Chrysost.:* Sacras Scripturas «divino Spiritu afflati prophetae locuti sunt; ideo, utpote a Spiritu scriptae, ingentem in se continent thesaurum« (In Gen. 21, 1). *S. Hieronymus:* Omnes Scripturae

«uno scriptae sunt Spiritu Sancto, et propterea unus liber appellantur» (In Is. 29, 9 sqq). *S. Augustinus* Deum alloquitur: «O Domine, nonne ista Scriptura tua vera est, quoniam tu verax et veritas edidisti eam?» (Confess. 13, 29.) *S. Gregorius M.:* Quis singula in Scripturis contenta scripserit, «valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui in illius opere inspirator exsistit, et per scribentis vocem imitanda ad nos facta transmittit» (In Iob praef. n. 1 sq).

Haec pauca, ex plurimis selecta, sufficiunt ad ostendendum secundum communem et constantem traditionem SS. Patrum Deum ita inspirasse Sacram Scripturam, ut verus eius auctor dicendus sit. Vix ulla doctrina clarius et saepius in traditione repetitur. Unanimis quoque est consensus theologorum. *S. Bonaventura* excellentiam Scripturae exponit in prooemio Breviloquii, ubi inter alia, agens de modo procedendi Scripturae, ait: «In ipsa nihil contemnendum tamquam inutile, nihil respuendum tamquam falsum, nihil repudiandum tamquam iniquum, pro eo quod Spiritus Sanctus, eius auctor perfectissimus, nihil potuit dicere falsum, nihil superfluum, nihil diminutum.» *S. Thomas:* Sacrae Scripturae «Spiritus Sanctus est auctor, homo vero instrumentum» (Quodl. 7, a. 16). «Scripturam fides supponit Spiritu Sancto dictante promulgatam esse» (In 2 sent. dist. 12, a. 2). Opus non est alia allegare, quia omnes eandem doctrinam tradunt. Tandem haec doctrina definita est a *concilio vaticano* (supra n. 373).

377. **Obi. I.** Christus Dominus et apostoli, loquentes de Scriptura, se accommodarunt opinioni iudaeorum, qui libris sacris, praecipue libris mosaicis, divinam auctoritatem tribuebant. Ergo eorum dicta potius sunt consideranda ut argumentum ad hominem, non vero premenda, quasi sint revelatio divina de origine et auctoritate Scripturae.

Resp. *Neg. antec.* Nam etsi concedi potest Christum vel apostolos interdum usos esse argumento ad hominem, tamen tam constanter inculcant auctoritatem Scripturae, ut irrationabile sit haec omnia velle considerare ut argumentum ad hominem, praesertim cum saepe non agatur de convincendis iudaeis sed de discipulis instruendis (e. g. Lc 24, 27 44 sq; 2 Tim 3, 15 sq). Hic modus omnia dicta, quae non placent, explicandi per accommodationem ad praeiudicia iudaeorum, est quidem satis communis apud rationalistas, sed est effugium nimis leve et arbitrarium, quo Christo tribuitur usus agendi plane indignus.

378. **Obi. II.** Veteres scriptores christiani, quando de inspiratione Scripturae loquuntur, tam manifeste exaggerant, ut eorum testimonium ob hoc ipsum magnam vim non habeat ad probandum. Nam comparant sacros scriptores cum lyra, cithara vel aliis instrumentis, ut hi tamquam instrumenta sensu carentia et mantica vi acti appareant. Ergo argumentum ex vetere traditione non est efficax.

Resp. *Neg. antec.* Nam etsi veteres interdum valde efferunt praevalentem influxum Spiritus Sancti in hagiographos, nihilominus saepe et clare dicunt hos non scripsisse mente perturbata sed illuminata et bene perspicientes, quid agerent et scriberent. Quando montanistae manticam prophetiam introducere conabantur, catholici fortiter restiterunt; et montanistae ex ecclesia eiecti sunt. «Huiusmodi spiritu nullum umquam nec in Vetere nec in Novo Testamento prophetam afflatum poterunt demonstrare» (*Euseb.* H. E. 5, 17).

379. *Obi. III.* Veteres scriptores non raro extendunt inspirationem ad libros non canonicos, ut cum *S. Augustinus* dicit S. Hieronymum scripsisse «non tantum donante, verum etiam dictante Spiritu» (Ep. 82, 2). Ergo ex eorum dictis nihil concluditur de origine et auctoritate Scripturae unice propria.

Resp. *Dist. antec.* SS. Patres interdum utuntur vocabulo inspirationis sensu lato et minus proprio, ita ut ex nudo verbo inspirationis nihil certi et determinati colligi possit, *conc. antec.;* non applicant hoc vocabulum ad Scripturam sensu presso et determinato, quo nulli alii libro conveniat, *neg. antec.* Ita *S. Augustinus:* «Solis iis Scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum auctorem eorum in scribendo aliquid errasse firmissime credam. . . . Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ita senserunt» (Ep. 82, 3; cf. supra n. 362, 6). Soli libri canonici ubique in liturgia legebantur, idque cum specialibus venerationis signis; multi mortem subire malebant quam eos gentilibus tradere (cf. quae scripsi De inspir. n. 389 sqq). Iam tot commentarii biblici, quos SS. Patres ediderunt, efficax argumentum praebent ad ostendendum, quid censuerint de divina Scripturae inspiratione.

Prop. XLVII. Deus eo factus est auctor Sacrae Scripturae, quod scriptores sacros supernaturali virtute ita ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent.

380. ***Stat. quaest.*** Etsi catholici omnes unanimiter consentiunt Scripturam vere esse a Deo inspiratam, nihilominus non idem consensus adest, si agitur de notione inspirationis accuratius explicanda. Explicationes quasdam falsas vel minus probabiles in fine thesis recensebimus. Cum inspiratio consistat in influxu quodam Dei in sacros scriptores, quaeritur, qualis hic influxus fuerit. In omni scriptore distinguimus actus intellectus, quibus concipit quid scribere velit, voluntatem scribendi, exsecutionem voluntatis. Itaque quaestio de inspiratione est quaestio de modo, quo Deus se habuerit ad hos varios actus hagiographorum.

Respondemus verbis, quibus *Leo XIII* in encyclica «Providentissimus Deus» rationem inspirationis exponit (*Denz.* n. 1952). Haec doctrina iam ante illam encyclicam fuit valde communis inter theo-

logos; e. g. paene ad verbum traditur a *Cornely* in dissertatione de inspiratione, quae est appendix II Compendii Introductionis (n. 4), et ab eo, quem ipse sequitur, Card. *Franzelin* in thesi III de Scriptura, ut huius expositio quodammodo sit praevius quidam commentarius doctrinae pontificiae, quidquid nonnulli in contrarium imaginati sunt. — Per partes verba propositionis exponemus.

381. **Prob. pars I.** *Influxus inspirativus est supernaturalis.* Nam Deus est auctor principalis Scripturae, scriptores vero humani sunt eius instrumenta. Atqui per solum influxum supernaturalem Deus est auctor Scripturae, hagiographi vero eius instrumenta.

Maior probata est in thesi praecedenti (n. 376) et saepe docetur a SS. Patribus. *S. Hippolytus:* Scriptores sunt prophetae «ad instar organorum habentes in se Verbum ut plectrum» (De Christo et Antichr. 2). *Theodoretus Cyrensis:* «Sunt divini Spiritus instrumenta» (In Dan. praef.). Secundum *S. Hieronymum* scriptor sacer quodammodo dixit: «Meum est quasi organum praebere linguam, illius [Spiritus Sancti] quasi per organum sonare, quae sua sunt» (Ep. 65, 7). Secundum *S. Augustinum* Christus ad scriptores Novi Testamenti se habet ut caput ad manus. «Quidquid enim ille de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tamquam suis manibus inspiravit» (De consensu evangelist. 1, 54). Tandem, ut alia omittamus, *Leo XIII* in encyclica «Providentissimus Deus» ait «Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum», et Deo tribuendum esse Scripturam ut «primario auctori».

Prob. min. Instrumentum non producit effectum per actionem, quam accipit a seipso, sed per motionem, quam accipit ab alio, qui est causa principalis et agit per virtutem sibi insitam simulque motum tribuit instrumento. Ergo si Deus speciali modo utitur hagiographis ut instrumentis ad scribendos libros sacros, requiritur influxus Dei supernaturalis, quia in naturalibus actionibus creaturae agunt per vim et motionem sibi propriam; quare Deus, etsi concurrit ad omnes actiones, non tamen est sensu proprio auctor omnium librorum, qui scripti sunt. Immo neque quivis influxus supernaturalis sufficit, ut homo agens sit causa tantum instrumentalis. Nam si agit per formas supernaturaliter sibi inditas, quarum usus arbitrio hominis subditur, ut sunt gratia sanctificans et virtutes, manet causa principalis. Unde etsi quis cum auxilio gratiae scribit librum, Deus non est proprio sensu auctor neque inspirator libri. Ideo SS. Patres et theologi scholastici *inspirationem docent reduci ad donum charismaticum prophetiae,* et hagiographos vocant prophetas (cf. quae collegi De inspir. n. 38 40 43 sq 47 51 61 64 68 sq 71 83 117 170 sqq etc.), quem modum loquendi hauserunt ex Sacra Scriptura (supra n. 375). Iam paucis illis, quae ex Patribus et theologis excerpsimus, clarissime constat inspirationem esse influxum supernaturalem plane extraordinarium in scriptores sacros. Neque restringunt

hunc influxum ad hunc vel illum librum, sed integram Scripturam verbum seu oraculum Dei esse docent.

382. **Prob. pars II.** *Deus supernaturaliter movit intellectum et voluntatem hagiographorum.* Nam Deus utitur creaturis ut instrumentis secundum naturam ipsarum. Atqui scriptores sunt creaturae rationales, per intellectum et voluntatem agentes. Ergo Deus iis usus est ut instrumentis per influxum supernaturalem in intellectum et voluntatem. Hoc SS. Patres maxime inculcarunt, pugnantes contra manticam theoriam montanistarum. Itaque sacri scriptores scientes et volentes scripserunt, sed intellectu illustrato et voluntate mota a Deo. *S. Hippolytus:* «Non enim ex sua facultate loquebantur, ut impostores, nec quae ipsi volebant, haec annuntiabant, sed prius per Verbum recte instruebantur» (De Christo et Antichr. 2). *S. Ioannes Chrysost.:* «Discimus prophetas non fuisse sicut vates [gentiles]. Illic enim daemon, quando animam invasit, orbat mentem et obscurat ratiocinationem.... At Spiritus Sanctus non ita agit, sed sinit cor intellegere, quae dicuntur. . . . Utpote sollicitus et beneficus, eos, qui ipsum suscipiunt, cognitionis participes reddit.» Loquitur de psalmista (In Ps. 44, 1). De aliis scriptoribus sacris ait: «Prophetabant, ut ipsos decebat, cum intellegentia et omni libertate. . . . Deus autem non per necessitatem impellit sed consiliis. . . . Dei est illuminare et cum intellegentia docere, quae opus est» (In 1 Cor. hom. 29, 2). *S. Augustinus:* Matthaeus scripsit «sequens auctoritatem Spiritus Sancti, a quo mentem suam regi plus nobis ille utique sentiebat» (De consensu evangelist. 3, 7, 29). Similiter alii Patres, item theologi communiter. Si scriptores sacri sine supernaturali Dei motione suo intellectu et sua voluntate elegissent, quae scriberent, ipsi essent auctores primarii, non Deus. Non ideo tamen Deus impediebat libertatem eorum in scribendo; nam Deus sapientia et potentia sua potest etiam liberis instrumentis cum infallibili efficacia uti, quomodocumque vult.

383. **Prob. pars III.** *Deus scribentibus ita adstitit, ut scribenda infallibili veritate apte exprimerent.* Assistentia divina refertur ad exsecùtionem seu ad ipsam materialem scriptionem libri. Potest enim homo, etiam sub supernaturali motione, deficere in exsecutione, quia facultates exsecutivae non semper perfecte oboediunt voluntati. Ergo requiritur assistentia ad cavendos saltem eos defectus, quibus sensus a Deo intentus mutaretur. Potest etiam sacer scriptor uti amanuensi ad scribendum, qui non est inspiratus, ut Paulus scripsit epistulam ad romanos per Tertium (Rom 16, 22) et alias epistulas per alios amanuenses. Ne igitur ob has vel alias rationes defectus irreperent, quibus sensus afficeretur, Deus invigilavit, et sivit causas secundas agere, quamdiu vidit omnia apte scribi; sed quam primum vidit hominem aberrantem a recta scriptione, ita influxit, ut errores caverentur. Assi-

stentia igitur hoc modo concepta, per se est aliquid negativum, arcens defectus; et solum ubi opus est, accedit influxus positivus. Ita hanc assistentiam explicant Bañes, Contenson, Bellarminus, Suarez, plurimi recentiores.

Scripturam igitur sic confectam *Deus apostolis revelavit* esse *Scripturam a se inspiratam, et per eos ecclesiae tradidit.* Nam sine revelatione divina non posset inspiratio credi fide divina, sicut ecclesia credendam praecipit. Ergo quia ecclesia omnem revelationem ab apostolis accepit (supra n. 329), etiam Sacram Scripturam ut inspiratam ab apostolis accepit. Traditio Scripturae sane non constituit inspirationem librorum, sed eam supponit et manifestat. Sed actus, quo Deus vult, ut liber ecclesiae tradatur qua inspiratus, est de conceptu inspirationis complete sumptae. Causa enim finalis libri inspirati est, ut ecclesiae tradatur ut custodiendus et explicandus. Ergo intentio, ut liber tamquam canonicus ecclesiae tradatur, et inspiratio supernaturalis sunt duae res inseparabiliter nexae.

384. *Obi. I.* Sacri scriptores saepe litteris consignarunt res sibi naturaliter notas. Atqui in hoc casu non requiritur supernaturalis illustratio intellectus. Ergo haec non est de essentiali conceptu inspirationis.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* In eo casu non erat necessaria nova revelatio rerum iam notarum, *conc. min.;* non erat necessarium supernaturale iudicium de scribendis rebus, *neg. min.* Et eodem modo *dist. conseq.*

Si Deus volebat scribi res scriptoribus plane ignotas, requirebatur revelatio. Sed Deus poterat etiam homines inspirare, ut scriberent res, quas aliunde noverant. S. Ioannes scripsit multa, quae viderat (Io 19, 35; 1 Io 1, 1 sqq). Lucas diligenter inquisivit in ea, quae in evangelio scripturus erat (Luc 1, 3), et in Actibus multa narrat, quibus ipse interfuerat. Secundus liber Machabaeorum breviatus est ex libris Iasonis Cyrenaei (2 Mach 2, 24 sqq). His notitiis scriptorum potuit Deus uti et usus est; sed ut fieret auctor libri, debuit eorum intellectum illuminare, ut iudicarent haec esse scribenda (cf. *S. Thomas* 2, 2, q. 174, a. 2 ad 3). Eo ipso autem, quod movet scriptorem ad hoc iudicium formandum et quod revelat ecclesiae se eum ita movisse, Deus etiam testatur res scribendas veras esse, quia non potest inspirare ad falsa scribenda. Neque tamen inde certo concluditur singulos scriptores inspiratos sibi conscios fuisse supernaturalitatis huius influxus, quemadmodum aliae quoque supernaturales illustrationes intellectus sunt, quarum supernaturalitas non directe a nobis apprehenditur, sed solum ex doctrina ecclesiae cognoscitur. Multi tamen theologi censent conveniens esse, ut scriptor inspiratus conscius sit inspirationis, etsi concedunt id non esse de ratione huius charismatis (cf. *Franzelin,* De Script. thes. III, coroll. 3).

385. *Obi. II.* Sacri scriptores non raro scripserunt rogati vel interrogati ab aliis hominibus, ut Paulus apostolus a corinthiis, vel moti aliis occasionibus et circumstantiis. Atqui qui ob tales rationes scribit, non movetur a Deo ad scribendum. Ergo non necessario requiritur motio supernaturalis et interna ad inspirationem.

Resp. *Conc. mai.* *Neg. min.* Deus enim potest uti illis circumstantiis externis et cum iis iungere internam motionem, sicut cum praedicatione externa iungit internam gratiam fidei. Si scriptorum voluntas non a Deo sed a causis externis tantum mota esset ad scribendum, Deus non esset auctor librorum; at non cessat esse auctor, si simul movet motione externa et interna. Notandum autem est ecclesiam una generali et comprehensiva sententia definire omnes libros sacros inspiratos esse neque agnoscere libros magis aut minus inspiratos ratione originis et auctoritatis, sed omnes «pari pietatis affectu ac reverentia suscipit ac veneratur» (*Conc. trid.* sess. 4). Si vero agitur de personali inspiratione scriptorum, potuerunt habere maiorem aut minorem illustrationem intellectus et motionem voluntatis, de qua re nihil scimus, sed hoc scimus, eos omnes ita inspiratos esse, ut eorum libri sint Dei verbum infallibile. Potuit etiam unus scriptor inspiratus prae alio habere inspirationes propheticas, poeticas, alias; attamen haec ad essentiam inspirationis biblicae non pertinent, sed ad eam concomitanter se habent.

Schol. Excluduntur varii errores de conceptu inspirationis.

386. 1. *Falsum est dicere inspirationem consistere in sola assistentia divina, qua arceantur errores a Scriptura.* Hoc docuit *Io. Iahn* in introductione in libros Veteris Testamenti (Einleitung in die Geschichte der Bücher des Alten Bundes[2], Wien 1802, § 19, p. 91 sq). Reiecta est haec doctrina in *concilio vaticano* sess. 3, c. 2: Libros Sacrae Scripturae «ecclesia pro sacris et canonicis habet non ideo . . . dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant . . .» (*Denz.* n. 1787). Nemo fit auctor libri eo quod invigilat tantum, ne quid falsi scribatur. Atqui Deus est auctor Sacrae Scripturae. Ergo sola assistentia divina non sufficit. Neque is, qui negativam tantum assistentiam praebet, recte dicitur inspirare, id quod Iahn concedit, et addit appellationem inspirationis non esse valde aptam. Atqui hoc nomen theopneustiae est appellatio sollemnis, qua tum Scriptura tum traditio indicat modum proprium, quo Deus se habeat ad libros sacros (supra n. 375 *b* 376). Ergo sola assistentia divina non sufficit.

2. *Falsum est dicere aliquos libros ideo dici inspiratos, quod, etsi fuerint per se scripta pure humana, ab ecclesia in canonem recepti sint.* Hoc olim docuerat *D. Haneberg* in historia revelationis biblicae (Versuch einer Geschichte der biblischen Offenbarung, Regensburg 1850, 714), sed postea sententiam retractavit. *Concilium vaticanum* l. c. docet: «Eos vero ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod, sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati . . .» Manifeste approbatio ecclesiae non potest efficere, ut Deus fiat auctor et inspirator libri, qui sine eius speciali influxu confectus est.

3. *Falsum est dicere Deum posse fieri auctorem libri per solam subsequentem approbationem.* *Bonfrerius* distinguit triplicem modum, quo Deus se habere possit ad aliquem librum, scilicet inspirando, assistendo, approbando, seu antecedenter, concomitanter, consequenter.

Dein addit: «Hoc tertio modo, etsi non existimem Spiritum Sanctum aliquando usum in iis, quos habemus, Sacrae Scripturae libris, absolute tamen nihil vetat uti» (Praeloquia in Scripturam Sacram c. 8, sect. 7). Itaque haec est quaestio iuris pure speculativa, non quaestio facti. Simile quid *Lessius* docuerat. Hanc quaestionem scholasticam non attingi decreto concilii vaticani, in ipso concilio declaratum est (Collect. Lac. VII, 140). Concedendum est Deum approbando veritatem dictorum in aliquo libro conferre libro auctoritatem divinam, sed negandum est eum hac approbatione fieri auctorem libri, qui modo pure humano sine speciali Dei motione scriptus est. Numquam tamen Bonferius locutus est de inspiratione concomitante aut consequente, quod ei interdum attribuunt.

4. *Neque ad inspirationem sufficit divinum consilium vel mandatum scribendi, neque initialis tantum excitatio ad scribendum et directio in exsecutione, neque generalis suppeditatio materiae,* ut censuit *Rich. Simon* (Historia critica textus novi Testamenti c. 23 sqq). Haec fortasse sufficerent, ut Deus dici posset inspirasse Scripturam; sed nequaquam sufficiunt, ut Deus sit auctor principalis, homines vero causa instrumentalis tantum Sacrae Scripturae.

5. *Multo minus sufficit mere personalis inspiratio, de qua saepe loquuntur recentes protestantes.* Intellegunt autem singularem quandam commotionem religiosam, qua correpti sacri scriptores ita scripserunt, ut eandem commotionem in mentibus legentium excitent. Qui hanc theoriam sequuntur, distinguunt varios gradus inspirationis in variis libris sacris, prout cum maiore vel minore commotione scripti sint, et concedunt alios libros, ut «Imitationem Christi», esse magis inspiratos quam quosdam Scripturae libros.

Hanc falsam opinionem suam fecerunt modernistae, secundum quos scriptores sacri exhibent res praeteritas, praesentes, futuras non secundum obiectivam veritatem sed secundum suas subiectivas apprehensiones, quae apprehensiones non sunt quid pure humanum sed etiam effectus Dei immanenter in homine agentis, non tamen ab errore in scribendo servantis. Ideo Scriptura est quidem inspirata, non tamen ab erroribus immunis. Haec opinio quantum consonat placitis rationalistarum protestantium, tantum aliena est a catholica de inspiratione doctrina, et ideo ab ecclesia damnata est (*Denz.* n. 2010 sq 2090).

Stat igitur haec *catholica notio inspirationis:* Inspiratio biblica est charismatica illustratio intellectus et motio voluntatis et assistentia divina hagiographo praestita ad ea omnia et sola scribenda, quae Deus suo nomine scribi et ecclesiae tradi vult.

Prop. XLVIII. **Inspiratio ita extenditur ad omnes res et sententias Scripturae, ut omnia vi inspirationis infallibiliter vera sint, etsi non omnia eodem modo vera; ad verba autem materialia ita**

extenditur, ut non quidem singula a Deo sint dictata, sed eo modo a scriptore electa, quo Deus voluit.

387. **Stat. quaest.** Statuta notione inspirationis quaeritur, num et quomodo inspiratio extendatur ad totam Scripturam et omnes partes eius. Possumus in Scriptura, sicut in omni libro, distinguere res quae dicuntur, et verba, quibus dicuntur. Res vocantur etiam veritates seu sententiae vel iudicia, obiective sumpta.

Iam saeculo XVII *H. Holden* sola «doctrinalia» et quae cum iis proxime cohaerent, inspirata esse docebat (Divinae fidei analysis 1, 5, 1). Ad cuius opinionem accesserunt alii, ut *Ph. N. Chrismann* (Regula fidei catholicae § 51). Saeculo XIX *Fr. Lenormant* statuit «inspirationem non extendi nisi ad ea, quae religionem spectant, quae fidem et mores tangunt, hoc est ad instructiones supernaturales in Scriptura contentas» (Les Origines de l'histoire, Paris 1880, VII). Similiter alii. Contra hanc opinionem, quam auctoritas ecclesiastica notavit, prima pars thesis statuitur.

Ex altera parte multi theologi olim censebant non res tantum et sententias omnes sub inspiratione scriptas et infallibiliter veras esse, sed etiam singula verba materialia a Spiritu Sancto determinata et dictata esse. Ita e. g. *Bañes* (In 1, q. 1, a. 3, dub. 3) et thomistae communiter, sed alii quoque non pauci. Haec sententia ab omnibus fere relicta est. Verba «materialia» dicuntur secundum formam grammaticam considerata; sententiae secundum sensum acceptae dicuntur verba «formalia», seu «res et sententiae», i. e. sententiae, quatenus res significant.

Nihilominus multi ex iis, qui «mechanicam», ut aiunt, verborum materialium inspirationem reiciunt, insistunt inspirationem extendi etiam ad verba, quatenus homo inspiratus scribat facultatibus supernaturaliter elevatis; et ita inspirationem verbalem non esse mechanice sed psychologice concipiendam (cf. Revue biblique 1904, 293 sq). Hanc «psychologicam» extensionem inspirationis ad verba illi theologi, quos hi recentes defensores inspirationis verbalis impugnant, non negarunt. Ideo tota haec quaestio per se est magis de modo loquendi quam de re.

388. **Prob. pars I.** *Inspiratio ita extenditur ad omnes res et sententias, ut omnia vi inspirationis infallibiliter vera sint.* Nam Christus et apostoli ut testimonia inspirata et infallibilia citant dicta Scripturae non dogmatica tantum et moralia sed etiam historica (Mt 2, 18; 12, 3 sq 40 sqq; 23, 35; 24, 37 sqq. Mc 2, 25 sqq. Lc 11, 30 sqq. Io 3, 14. Hebr c. 11 et plurimis aliis locis). Ideo *omnis* Scriptura est utilis ad docendum, quia divinitus inspirata est (2 Tim 3, 16).

SS. Patres unanimiter et constanter urgent omnia et singula Scripturae verba esse vera, quia a Spiritu Sancto dicta. *S. Hilarius:* «De caelestibus eloquiis opinandum est, ut quidquid in his est, excelsum,

divinum, rationabile et perfectum esse existimetur» (In Ps. 135, n. 1). *S. Gregorius Naz.*, loquens de factis historicis in Scriptura narratis, ait: «Numquam concedemus, neque enim fas est, vel res minimas a scriptoribus temere esse positas» (Orat. de fuga sua c. 105). *S. Ioannes Chrysost.:* «Ne illas quidem, quae exiguae videntur, Scripturarum sententias praetercurramus; nam et ipsae de Spiritus gratia sunt» (Ad pop. antioch. hom. 1, 1). *S. Hieronymus* de se ait: «Non adeo hebetis fuisse me cordis, et tam crassae rusticitatis . . . ut aliquid de dominicis verbis aut corrigendum putaverim aut non divinitus inspiratum» (Ep. 27, 1). *S. Augustinus:* «Scripturam esse veracem nemo dubitat nisi infidelis aut impius» (De gen. ad litt. 7, 28, 42). «Maior est quippe Scripturae huius auctoritas quam omnis humani ingenii capacitas» (ibid. 2, 5, 9). Quia omnes SS. Patres, de hac re loquentes, idem de inspiratione et inerrantia Scripturae docuerunt, *S. Leo M.* monet: «Ab evangelica apostolicaque doctrina ne uno quidem verbo liceat dissidere aut aliter de Scripturis divinis sapere, quam beati apostoli et Patres didicerunt atque docuerunt» (Ep. 82, 1), «cum indubitabilem obtineat auctoritatem sacra narratio» (Sermo 52, c. 1).

Perfectus quoque est de hac re scholasticorum consensus. *S. Thomas* ait: «Scripturae divinae a Spiritu Sancto traditae non potest falsum subesse» (De pot. q. 4, a. 1), sicut aliis scientiis; «nam aliae scientiae sunt per rationem humanam editae, haec autem Scriptura per instinctum inspirationis divinae» (In Ps. prooem.). *Canus:* «Scriptorum sacrorum hoc privilegium est, ut nullus eorum in scribendo erret» (De loc. theol. 2, 18). Alia vide, si placet, in opere meo De inspir. n. 157 sqq.

Nostra aetate *Leo XIII* in encyclica «Providentissimus Deus» docet: «Nefas omnino fuerit aut inspirationem ad aliquas tantum Sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Non enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus se expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei et morum, nihil praeterea, pertinere. . . . Etenim libri omnes atque integri, quos ecclesia tamquam sacros et canonicos recepit, cum omnibus suis partibus Spiritu Sancto dictante conscripti sunt. Tantum vero abest, ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est Deum, summam veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse» (*Denz.* n. 1950 sqq).

389. **Prob. pars II.** *In Sacra Scriptura non omnia eodem modo vera sunt.* Ex iis, quae hucusque diximus, utique cum certitudine hoc colligitur: a sacris scriptoribus nihil affirmari ut verum quod falsum sit; nihil negari ut falsum, quod verum sit. Ergo omnia dicta Scripturae eo sensu sunt vera, quo a Sancto Spiritu per sacros scriptores

affirmantur. Sed hoc principio non obstante non omnia eodem sensu affirmantur, neque eodem modo vera sunt.

a) Imprimis manifesta est *distinctio inter ea, quae Spiritus Sanctus ipse dicit, et ea, quae ab aliis dicta refert.* Quando alii neque explicite neque implicite loquentes inducuntur, Spiritus Sanctus ipse loquitur, ut statim ab initio Scripturae: «In principio creavit Deus caelum et terram.» Sed *ipse quoque Spiritus Sanctus potest loqui historice, prophetice, poetice, didactice,* brevi, potest uti omni genere loquendi rationabili, inter homines usitato. Alia autem est veritas carminis, alia veritas historicae narrationis, alia aliorum generum litterariorum. Compara e. g. quae in psalmis 104 et 105 cantantur, cum narrationibus historicis pentateuchi, vel descriptiones animalium in capitibus 39 et 40 libri Iob cum zoologia scientifica. Quando parabola proponitur, potest tota narratio esse ficta, dummodo doctrina, quae narratione illustratur, sit vera. Prophetae saepe uno conspectu proponunt res longo temporum intervallo disiunctas, quia eas simul vident (cf. Ioel 2, 28 sqq). Metaphorae, etiam cum a Spiritu Sancto adhibentur, accipiendae sunt ut metaphorae, non sensu crasse litterali. Et sic singula genera litteraria, etiam in Sacra Scriptura, suam propriam veritatem habent. Porro, quia Deus saepe movit scriptores ad scribenda ea, quae naturaliter scirent, sine nova revelatione, intellegitur, quomodo possint esse in Scriptura assertiones indeterminatae vel dubitativae (cf. Io 2, 6; 6, 19; Act 25, 6; 1 Cor 1, 16). Hae non sunt dubitationes Spiritus Sancti sed scriptorum humanorum, qui inspirati sunt ad manifestandam notitiam, quam habebant.

b) *Sacra Scriptura loquitur de rebus physicis, sicut omnes homines loqui solent,* de ortu solis et occasu et de aliis similibus, secundum externam apparentiam, non secundum intimam rerum naturam. De qua re monet *Leo XIII:* «In consideratione sit primum scriptores sacros seu verius ,Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura' (*S. August.,* De Gen. ad litt. 2, 9, 20); quare eos, potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora hodieque de multis fert rebus in cotidiana vita ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone cum ea primo proprieque efferantur, quae cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et Doctor Angelicus 1, q. 70, a. 1 ad 3) ,ea secutus est, quae sensibiliter apparent', seu quae Deus ipse, homines alloquens, ad eorum captum significavit humano more» («Providentissimus Deus», ed. *Herder* 55). Ita e. g. lepus, quia secundum externam apparentiam ruminat et ungulas non dividit, conumeratur inter animalia immunda (Lv 11, 6), etsi secundum rei veritatem non ruminat sed ungulas dividit. Deus igitur, ut finem legis obtineret, debuit ita loqui, ut a populo israelitarum intellegeretur (cf. *Ottiger,* De revelat. supernat. 440 sq).

c) *Non eadem ratione atque res physicae res historicae diiudicandae sunt.* Nam 1. res physicae per se non pertinent ad ordinem salutis; contra vero multa facta historica per se intime ad ordinem supernaturalem pertinent, ut peccatum originale, historia populi israelitici, maxime dicta et facta Christi. 2. Deus revelatione non tradidit scientiam naturalem, qua de internis rerum constitutionibus erudiremur; sed multa facta historica revelavit et per ecclesiam credenda proponit, ut iam ex Symbolis apparet. 3. Modus communis loquendi de phaenomenis physicis non adhibetur ad exponendam rerum naturam; sed historica narratio fit ad docendos homines res gestas. Unde historico non licet ut vere facta narrare ea, quae facta non sunt; sed si quaedam refert, quae in populari tantum opinione erant, debet sufficienter indicare se rumores tantum referre, vel se hoc invenisse in documentis, quibus fidem rerum committat. In iis, quae ita citantur, sufficit veritas citationis, non requiritur veritas rei citatae. Ita in duabus epistulis, quae praemittuntur libro secundo Machabaeorum, quaedam narrantur de morte Antiochi, quae cum narratione ipsius libri non conveniunt (2 Mach 1, 15 sq; 9, 1 sqq). In epistulis referuntur rumores inter iudaeos sparsi, in libro ipso narratur verum factum. Possunt esse citationes explicitae (Neh 7, 5 sqq); possunt etiam esse citationes tacitae seu implicitae (2 Par 5, 9; 8, 8). Sed *quod attinet «citationes implicitas», exaggeratio cavenda est.* Nam libri historici Veteris Testamenti non sunt congeries citationum, quas sacri scriptores collegerunt nullo facto iudicio de earum veritate et falsitate, sed sunt historia ordinis supernaturalis, quae a Christo et ab apostolis ut vera historia ad docendum adhibetur. Unde auctoritas ecclesiastica negavit licere citationes implicitas supponere sine solida ratione (*Denz.* n. 1979). Multo magis et saepius damnata est sententia dicentium in Scriptura sub forma historica narrari mythos vel fictiones historica veritate carentes, quae solum serviant ad ideas aliquas religiosas illustrandas (cf. *Denz.* n. 1707 1980 2014 2016—2018).

d) *In Sacra Scriptura non raro homines vel angeli loquentes inducuntur.* Quod si fit, proxime Spiritus Sanctus solum testatur verba dicta esse ab hoc vel illo; sed utrum illa dicta vera sint necne, aliunde discernendum est. Interdum aliorum dicta approbantur ut vera (e. g. Tit 1, 12 sq), interdum reprobantur ut falsa (e. g. Ier 28, 15 sq); interdum simpliciter referuntur. Si persona, cuius verba referuntur, loquitur ut legatus divinus, est testimonium Dei ipsius; sed si quaedam dicit non ut legatus Dei sed suo nomine, falli potest (cf. 2 Reg 7, 2 sqq). Si longa oratio laudatur propter principale intentum, non sequitur singula, quae in illa oratione accessorie dicuntur, esse vera (cf. Iob 42, 3 et 42, 7). Angeli boni ad homines venientes et loquentes, censentur semper loqui ut legati Dei (cf. Dn 9; Hebr 1, 14; Apc passim). Si homines quidam vel in genere vel ob speciale factum laudantur, non ideo omnia eorum dicta ut vera neque omnia eorum facta

ut bona praedicantur (cf. Ex 1, 15 sqq; Iud 10, 12 sqq). Si sacri scriptores referunt, quid ipsi olim dixerint vel egerint, vi inspirationis solum verum est eos ita olim dixisse vel egisse (cf. Ex 2, 13 sqq). Si praesentes, quos habent inter scribendum, affectus amoris, gaudii, tristitiae aliosve exprimunt, certum est proxime eos habuisse hos affectus; sed etiam videtur certum hos affectus esse moraliter honestos, quia secus non esset finis rationabilis eorum scriptionem inspirandi. Haec pauca sufficiunt ad ostendendum, qua attentione saepe opus sit in argumentando ex Sacra Scriptura.

390. **Prob. pars III.** *Per inspirationem non singula verba materialia a Deo dictantur.* Nam:

a) Ista verbalis dictatio seu influxus divinus supernaturalis, quo homines determinantur ad haec individua verba adhibenda, videtur pugnare cum indole Sacrae Scripturae, in qua non pauci defectus grammaticales et litterarii insunt, ut SS. Patres iam observarunt. Atqui inconveniens est hos defectus ad specialem motionem Spiritus Sancti referre. Ergo potius referendi sunt ad naturalem indolem scriptorum humanorum. Revera interdum sacri scriptores ipsi sibi hos defectus adscribunt. Ita auctor secundi libri Machabaeorum: «Si quidem bene, et ut historiae convenit [scripsi], hoc et ipse volui; sin tenuiter et mediocriter, hoc est, quod assequi potui» (2 Mach 15, 38, graece). S. Paulus se vocat «imperitum sermone» (2 Cor 11, 6). Similiter SS. Patres hos defectus non ad inspirationem sed ad singulorum scriptorum naturales condiciones referunt, et diserte distinguunt verborum compositionem, quibus singuli differant, a sensibus, qui ubique divini sint. Ita e. g. *S. Hieronymus* de Ieremia: «Ieremias propheta sermone quidem apud hebraeos Isaia et Osee et quibusdam aliis prophetis videtur esse rusticior, sed sensibus par est, quippe qui eodem spiritu prophetaverit. Porro simplicitas eloquii de loco ei, in quo natus est, accidit» (In Ier. prolog.). Similiter loquitur de S. Paulo (In Eph. 3, 1). Neque iuvat dicere Spiritum Sanctum in supernaturali sua motione se singulorum indoli accommodasse; nam Deus nihil agit frustra, potuit autem eundem effectum obtinere scriptores singulos suae naturali dispositioni relinquendo.

b) *Hagiographi interdum allegant dicta Scripturae secundum sensum tantum, mutatis vocabulis* (cf. 2 Reg c. 22 et Ps 17, ubi est idem psalmus sed magna differentia verborum; vel Rom 9, 3 cum Is 8, 14 et 28, 16). Atqui ita non agerent, si censuissent Spiritum Sanctum determinasse illa vocabula. Item evangelistae eosdem sermones Christi aliis et aliis verbis narrant, ut e. g. verba institutionis eucharistiae (Mt 26, 26 sqq. Mc 14, 22 sqq. Lc 22, 19 sq). «Ut enim quisque meminerat, et ut cuique cordi erat, vel brevius vel prolixius eandem explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est. . . . Ut quod ad doctrinam fidelem maxime pertinet, intellegeremus non tam ver-

borum quam rerum quaerendam vel amplectendam esse veritatem» (*S. August.,* De cons. evangel. 2, 27 sq). Ergo SS. Patres, si toties inculcant singula verba Scripturae esse Spiritus Sancti verba et ideo plena sensuum, loquuntur de verbis formalibus, non de verbis materialibus. «In divinis Scripturis non verborum seriem sed rerum pondus examinare debemus» (*S. Ambros.,* In Luc. 8, 63).

c) *Si de conceptu Scripturae inspiratae sunt verba materialia, a Spiritu Sancto determinata, Scriptura magna ex parte periit,* quia plurium librorum textus originalis non iam habetur, ut e. g. evangelii S. Matthaei. Praeterea *versiones,* etiam authenticae, ut Septuaginta et Vulgata, non possunt sensu perfecto vocari Scriptura Sacra, quia desunt vocabula a Spiritu Sancto determinata. Atqui ecclesia versiones authenticas semper sine ulla restrictione pro canonica Scriptura habuit. Immo plurimi Patres et concilia non respexerunt textum hebraicum, quem ne legere quidem poterant, et tamen censebant se habere Scripturam. His omnibus satis ostenditur verba materialia, in quantum ab iis non dependet sensus Sacrae Scripturae, plane accidentaliter se habere ad conceptum libri inspirati, ideoque prorsus gratuito asseri scriptores inspiratos supernaturali modo ad usum horum verborum determinatos esse. Quod si quis obicit: Nonne effatum Chrysostomi, alia lingua redditum, ab omnibus simpliciter et sine addito vocatur verbum Chrysostomi? valde obvium est responsum: Ab omnibus habetur verbum formale Chrysostomi, concedo; ab ullo rationabili homine habetur verbum materiale Chrysostomi, nego; nam Chrysostomus haec verba materialia fortasse ne intellexisset quidem.

391. **Prob. pars IV.** *Inspiratio eatenus extenditur ad verba materialia, quatenus vi inspirationis omnia eo modo exprimuntur, quo Deus voluit.* Nam liber non potest esse sine determinatis verbis et compositione verborum. Ergo Deus, si supernaturali influxu efficit, ut liber fiat, etiam influit in externam compositionem libri. Nullus umquam theologus cordatus hoc negavit; sed qui impugnaverunt «inspirationem verbalem», illam «dictationem mechanicam» tantum reiecerunt, quam etiam defensores recentis «theoriae psychologicae» respuunt. Etiam verba materialia esse aliquo modo inspirata docent e. g. *Suarez* (De fide disp. 5, sect. 3), *Franzelin* (De S. Scriptura thes. III. p. II, n. 1), *Kleutgen* (apud *Schneemann,* Controv. de grat. 473 sqq). Sed hi auctores clare exponunt, quemadmodum inspiratio extendatur alia ratione ad res, alia ratione ad verba materialia. Non pauci vero ex defensoribus recentis theoriae de inspiratione verbali plane indeterminate et sine ulla distinctione dicunt tam res quam verba esse inspirata, et declamantes contra «vivisectionem» Scripturae, praeferunt confusionem. Itaque videndum est, qualem influxum inspiratio habeat vel non habeat in verba materialia.

a) Deus movens scriptorem, ut lingua hebraica vel graeca vel alia scribat de certis rebus, eo ipso movet eum, ut utatur iis verbis, quibus res illae exprimuntur. Qui vult de aqua et igni scribere, debet nominibus aquae et ignis uti, non vero nominibus arboris et lapidis. Praeterea Deus, quia movet modo ad scribendum poema, modo ad scribendam historiam vel epistulam vel alia, etiam movet ad eligendam dictionem poeticam, historicam, epistularem vel aliam.

b) Nihilominus non inspiratione confertur notitia linguae neque ars poetica, historica, epistularis, sed his rebus aliunde suppositis, Deus utitur hominibus ut instrumentis aptis ad talem librum scribendum. Neque enim omnia, quae requiruntur, ut liber inspiratus scribatur, ex inspiratione derivanda sunt, sed ea tantum, quae sine charismatico Dei influxu esse et concipi nequeunt.

c) Non nimis urgendum est hoc quorundam argumentum: Sacer scriptor supernaturaliter elevatus est ad scribendum, et ut supernaturaliter elevatus et motus scribit sententias et verba. Ergo etiam verba sunt inspirata. Etsi aliquid veri inest in hoc argumento, duplici tamen difficultate laborat. Nam 1. fieri potest, ut stilus libri non sit scriptoris inspirati sed alterius cuiusdam. Paulus apostolus «divinorum sensuum maiestatem digno non poterat graeci eloquii explicare sermone. Habebat ergo Titum interpretem. . . . Denique et duae epistulae, quae feruntur Petri, stilo inter se et charactere discrepant. Ex quo intellegimus pro necessitate rerum diversis eum usum esse interpretibus» (*S. Hieronymus,* Ep. 120, 11). Maxime de epistula ad hebraeos est opinio quorundam veterum et posteriorum sententias esse Pauli, dictionem alicuius discipuli eius (e. g. *Euseb.* H. E. 6, 25; *Bellarminus,* De Verbo Dei 1, 17). Si haec opinio admittitur, corruit illud argumentum «psychologicum», et efficitur in libris inspiratis electionem verborum materialium non esse necessario derivandam ex inspiratione. 2. Verum non est eum, qui mente rem scribendam conceperit, eo ipso determinatum esse ad certa verba adhibenda. Nam saepe homines multum laborant, dum inveniant aptissimum modum exprimendi ea, quae in mente habent, neque raro in hoc conatu deficiunt. Hoc de S. Paulo asserit *S. Hieronymus:* «Cum ipse sentiat, quid loquatur, in alienas aures puro non potest transferre sermone. . . . . Se ipsum interpretari cupiens, involvitur» (Ep. 121, 1).

Ceterum si cui placet illa nova theoria inspirationis, suam faciat, quia est res per se prorsus innocua. Id solum ne obliviscatur hanc theoriam a quibusdam adeo amari, quia putant se hoc modo posse deprimere efficaciam inspirationis. Sic enim argumentantur: Cum verba inspirata manifeste saepe valde imperfecta sint, patet inspiratione non removeri defectus humanos. Atqui si defectus verborum consistunt cum inspiratione, etiam defectus sententiarum et rerum cum inspiratione conciliantur. Si hac mente doctrina de inspiratione verbali recipitur, patet eam non carere periculo, cui revera quidam acerrimi defensores

eius succubuerunt (cf. quae scripsi De inspir. n. 454). Quare securius est dicere Deum inspiratione res et sententias determinasse, et simul invigilasse, ut omnia apte exprimerentur (cf. supra Prop. XLVII). Sic enim clarius exprimitur diversus respectus inspirationis ad res et verba materialia, quam si in confuso dicitur: Tam res quam verba sunt inspirata.

392. **Obi. I.** Qui nostra aetate loquuntur de ortu et occasu solis vel de aliis phaenomenis physicis, ideo tantum non falluntur neque fallunt, quia omnes sciunt res obiective aliter se habere. Atqui scriptores sacri in plurimis rebus talem scientiam non habuerunt. Ergo revera errarunt.

Resp. *Neg. mai. Trans. min. Neg. conseq.* Neque enim loquentes de ortu solis et occasu vel similibus ob hoc ipsum non decipimur, quia secreto apud nos cogitamus: Scio obiective res aliter se habere, sed quia ita loquentes abstrahimus ab intima rerum natura, et simpliciter verbis significamus, quae sensus referunt. Idem dicendum est de hagiographis. Extra statum quaestionis est, quid de intima rerum constitutione hagiographus in mente habuerit, et solum quaeritur, quae phaenomena sensibilia verbis expresserit (cf. De inspir. 509 sqq).

393. **Obi. II.** Sacri scriptores arte critica destituti erant. Atqui sine arte critica non potest historia perfecte conscribi. Ergo historia sacra est imperfecta.

Resp. *Dist. mai.:* Sacri scriptores non erant scientifice exculti in arte critica, *trans. mai.;* sacri scriptores non habebant sanum sensum et adiutorium divinum, quo verum a falso distinguere possent in rebus, quae scribendae erant, *neg. mai. Dist. min.:* Sine arte critica scientifice exculta non potest perfecte excoli *scientia* historica, *conc. min.;* non potest umquam verum a falso distingui et recte enuntiari, ne cum adiutorio quidem divino, *neg. min. Dist. conseq.:* Historia sacra est imperfecta, quatenus neque omnia neque modo perfectissimo et scientifico narrantur, *conc. conseq.;* quatenus falsa pro veris affirmantur, *neg. conseq.* Sicut ars critica non est remedium absolutum omnium errorum, quemadmodum in multis libris criticorum biblicorum cernitur, ita defectus criticae scientificae non necessario ducit ad affirmandos errores, quia in necessariis natura et gratia provident, scientia autem non dat rationem, sed eam supponit et perficit (cf. De inspir. n. 498).

394. **Obi. III.** Liber absolute verus, in usum hominum conscriptus, repugnat, quia mutatis dispositionibus mentalibus homines easdem res aliter et aliter concipiunt. Ergo etiam historia Sacrae Scripturae est relative tantum vera.

Resp. *Dist. antec.:* Repugnat liber hoc sensu absolute verus, quod omnem veritatem modo perfectissimo et omnibus hominibus proportionato doceat, *conc. antec.*; repugnat liber hoc sensu absolute verus, quod nihil falsi affirmet, *neg. antec. Dist. conseq.:* Historia sacra est relative vera, quatenus certas tantum veritates modo hominibus accommodato docet, *conc. conseq.;* quod falsa affirmet, *neg. conseq.* Veritas absoluta eo tantum sensu tribuitur historiae sacrae, quod eius affirmationes conformes sunt cum ordine ontologico. Eatenus autem haec historia relative tantum vera est, quatenus non omnia narrantur, quae hominibus et ipsis quoque hagiographis nota erant,

quatenus insunt locutiones indeterminatae et summariae, quatenus interdum hagiographi diserte dicunt se velle referre ea sola, quae in certis fontibus invenerunt, ut auctor secundi libri machabaeorum (cf. De inspir. n. 516 sqq).

395. *Obi. IV.* Theoria inspirationis verbalis praeferenda est, si a) melius convenit cum conceptu libri inspirati, si b) melius respondet doctrinae Patrum, si c) est rationabilior. Atqui ita est. Ergo.

Resp. Conc. mai. Neg. min. Nam ad a) quidquid est de conceptu libri inspirati in abstracto considerati, in libris, quos ecclesia inspiratos esse docet, verba materialia non sunt determinata a Spiritu Sancto, ut supra (n. 390) vidimus; unde cum his libris inspiratis inspiratio verbalis non melius convenit, sed ab iis discrepat. Ad b) SS. Patres verba materialia non ex inspiratione sed ex humanorum scriptorum ingenio et condicionibus repetunt. Ad c) rationi et experientiae contradicit, qui ait verba materialia in individuo esse eo ipso determinata, quod quis sciat, quas res velit scribere. Qui pro tali affirmatione ad leges psychologicas provocat, solum ostendit se ignorare leges psychologicas.

Schol. De usu Vulgatae in theologia dogmatica.

396. Nullius libri inspirati textus autographus ad nos pervenit sed apographa tantum, immo nonnullorum librorum solae versiones. Praeterea in communi usu totius ecclesiae vel etiam alicuius particularis ecclesiae numquam fuit textus hebraicus Veteris Testamenti sed versiones, inter quas eminent versio Septuaginta et versio latina illa, quae vocatur Vulgata. Ecclesia autem infallibilis est in agnoscenda authentia alicuius versionis, sive sollemni definitione sive practico tantum usu eam authenticam declarat; nam Scriptura ut fons revelationis et regula fidei sine dubio est unum ex principalibus obiectis infallibilitatis ecclesiasticae. Et usu quidem practico SS. Patrum graecorum, immo ipsorum apostolorum, authentica declarata est versio Septuaginta, sollemni vero ecclesiae definitione Vulgata.

Sic enim ait *concilium tridentinum* in sess. 4: «Si quis libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt et in vetere Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit . . . A. S. . . . Insuper eadem sacrosancta synodus, considerans non parum utilitatis accedere posse ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et Vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam reicere quovis praetextu audeat vel praesumat» (*Denz.* n. 784 sq). Dein de expositione Scripturae ea addit, quae iam supra (n. 373) citata sunt. Circa hoc decretum pauca adnotasse iuvat.

a) Concilium Vulgatam declaravit authenticam versionem, non comparatione facta cum textibus primigeniis secundum postulata scientiae

criticae, sed ex principio theologico, quia haec versio longo saeculorum usu ab ecclesia probata est, cum ecclesia non possit pro genuina Scriptura adhibere eam, quae non sit genuina.

b) Quare proxime haec versio declarata est authentica sensu iuridico seu legali, quatenus non licet in foro theologico ullum argumentum, quod ex Vulgata legitime fit, sub hoc praetextu reicere, quod sit ex versione et ideo vim probandi non habeat, usquedum probetur conformitas cum textu primitivo. Consequenter haec authentia iuris supponit authentiam conformitatis cum scripto inspirato, saltem quoad substantiam, quia secus non posset legitimum argumentum biblicum ex versione fieri.

c) Quia in decreto agitur de statuenda certa norma fidei et morum, non requiritur perfecta conformitas cum textu originali neque immunitas ab errore in iis quoque rebus, quae ad fidem et mores nullo modo pertinent, sed a solis textibus dogmaticis et moralibus omnis prorsus error doctrinalis excluditur. Ergo ubi res fidei et morum in quaestione non sunt, licet a Vulgata ob sufficientes rationes recedere.

d) Textus, qui ante Tridentinum critice dubii erant in Vulgata, per declarationem concilii nacti non sunt maiorem auctoritatem, quia concilium respicit Vulgatam, prout in ecclesia legi consueverat. Ergo quae certa erant, manent certa, et quae dubia erant, manent dubia. Sunt autem paucissimi eiusmodi textus dubii, qui dogma afficiunt, et omnibus noti, ut 1 Cor 15, 51. Ex his igitur certum argumentum fieri non potest, saltem si agitur de re inter ipsos catholicos controversa. Si vero exstat in Vulgata textus, qui ab ecclesia receptus est ut dogma revelatum enuntians, hic textus praebet certum argumentum theologicum, quamquam fortasse in primigenia Scriptura non legebatur; attamen in hoc casu non est argumentum biblicum, sed argumentum traditionis, sicut multi iudicant de 1 Io 5, 7.

e) Si textus Vulgatae est obscurus vel ambiguus, explicatur textu claro Scripturae originalis vel aliarum versionum authenticarum. De qua re ait *Leo XIII:* «Neque tamen non sua habenda erit ratio reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum. Quamvis enim ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum sit, inspectio praecedentis linguae, suasore Augustino, proficiet» (*Denz.* n. 1941). Ex quibus verbis efficitur, quod ceteroquin etiam per se manifestum est, definitione tridentina non esse quidquam detractum authentiae aliorum textuum. Ex his igitur aeque bene atque ex Vulgata et sub iisdem condicionibus argumentum biblicum fieri potest.

Plura de his rebus, sicut etiam de praeceptis hermeneuticis traduntur in introductione ad Sacram Scripturam. Ideo pauca haec in memoriam revocasse sufficit.

Prop. XLIX. Sacra Scriptura non est unicus fons revelationis, sed alter fons est sacra traditio, secundum quam Scriptura est explicanda.

397. *Stat. quaest.* Iam supra (n. 301) diximus proximum fontem et proximam regulam fidei esse praedicationem ecclesiasticam. Haec praedicatio ecclestiastica, inde ab apostolis usque ad nostram aetatem continuata, est sacra traditio active spectata. Doctrina, quatenus hoc modo tradita est, est traditio passive spectata. Si utrumque elementum simul sumitur, habetur traditio complete sumpta.

Veterum protestantium principium fundamentale erat Sacram Scripturam esse unicam regulam et unicum fontem fidei, neque quidquam posse esse obiectum fidei, quod in Scriptura non doceatur. E. g. *formula concordiae* n. 1: «Credimus, confitemur et docemus unicam regulam et normam, secundum quam omnia dogmata omnesque doctores aestimari et iudicari oporteat, nullam omnino aliam esse quam prophetica et apostolica scripta tum Veteris tum Novi Testamenti» (cf. *Moehler,* Symbolik § 44). Recentes protestantes in varias partes abeunt. Rationalistae neque Scripturam neque traditionem agnoscunt immutabilem normam fidei, sed solam naturalem rationem normam supremam omnis religionis statuunt. Methodistae, pietistae, alii admittunt internam motionem (visitationem) Spiritus Sancti, qua dirigantur in via salutis. Ii, qui «orthodoxi» vel «conservativi» vocantur, solent praeter Scripturam admittere «libros symbolicos» (Confessionem Augustanam etc.) ut regulam fidei.

Secundum catholicam vero doctrinam non sola Scriptura est fons et regula fidei, sed omnia credenda vel tenenda sunt, quae ab apostolis per vivum magisterium ecclesiasticum ad nos pervenerunt, sive in Scriptura continentur, sive non continentur. Cum haec iam probaverimus (supra n. 186 sqq 219 sqq 301 sqq), hic maxime quaeritur de habitudine traditionis ad Scripturam.

398. *Arg. 1.* Ex Sacra Scriptura.

Christus Dominus apostolis numquam dedit praeceptum scribendi libros sed eundi et praedicandi evangelium in toto mundo usque ad consummationem saeculi (Mt 28, 19 sq. Mc 16, 16 sq). «Illi autem profecti praedicaveruut ubique» (Mc 16, 20) et instituerunt alios ad praedicandum et eos iusserunt iterum post se alios ad idem munus instituere (Act 14, 22. 1 Tim 1, 3 18; 4, 14; 5, 7 19 sq. Tit 1, 5; 2, 15). Pauci ex apostolis ob speciales rationes scripserunt, neque umquam remittunt fideles ad libros ab apostolis scriptos, sed monent, ut permaneant in iis, quae audierant (Rom 16, 17. 1 Cor 7, 17; 11, 23; 14, 33. 2 Cor 1, 18. Gal 1, 8. Col 2, 6 sq. 2 Thess 2, 14. 2 Tim 1, 13 sq; 2, 2). Hic totus agendi modus ostendit ecclesiam principaliter super oralem traditionem esse aedificatam et in futurum

aedificandam (cf. *Euseb.* H. E. 3, 24). «Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?» (Rom 10, 14.)

399. *Arg. 2.* **Ex persuasione veteris ecclesiae.**

Nam vetustissimi Patres ut *Clemens Rom., S. Ignatius M., S. Irenaeus,* alii docent apostolos orali praedicatione annuntiasse evangelium et successores instituisse, qui eadem via doctrinam revelatam posteris traderent (supra n. 271 sq). Praeterea SS. Patres iam reiciunt haereticorum provocationem ad Scripturam ut unicum fontem revelationis. *S. Ignatio M.* disputandum erat cum haereticis dicentibus: «Nisi invenero in archivis, hoc est in evangelio, non credo, et dicente me ipsis, quod scriptum est, responderunt mihi hoc esse demonstrandum» (Philad. 8, 2). *S. Irenaeus* ait omnes haereticos mendacia sua abscondere per Scripturam (Contra haer. 5, 21, 2). «Quid autem si neque apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias?» (ibid. 3, 4, 1). *S. Hilarius:* «Memento tamen neminem haereticorum esse, qui se non secundum Scripturas praedicare ea, quibus blasphemat, mentiatur» (Ad Constant. 2, 9). *Vincentius Lirin.:* «Aliter namque illam [Scripturam] Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Photinus.... Idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur» (Commonit. c. 2). Seu, ut multo ante *Tertullianus* dixerat: «Ergo non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum examen. . . . Ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est, quibus competat fides ipsa, cuius sint Scripturae. . . . Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas Scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum» (De praescr. 19).

400. *Arg. 3.* **Ex contradictionibus oppositae sententiae.**

Illa doctrina non potest admitti, quae ducit ad manifestas contradictiones. Atqui talis est doctrina, quae statuit Scripturam unicam fidei regulam. Ergo.

Prob. min. a) Protestantes docent libros omnes et solos in canone contentos, esse verbum Dei inspiratum; itaque nihil fide credendum esse, quod ex his libris non hauriatur; tertio singulos fideles esse authenticos interpretes Scripturae. Atqui nihil horum docetur in Sacra Scriptura, sed potius ibi docetur institutio magisterii ecclesiastici authentici. Ergo doctrina de sola Scriptura ut fidei regula ducit ad contradictiones.

b) Praeterea protestantes communiter docent parvulos esse baptizandos, baptismum haereticorum esse validum, loco sabbati diem dominicam esse colendam, multa alia, quae non ex Scriptura sed ex traditione hausta sunt.

c) Multi omnibus temporibus erant, qui sibi Scripturam comparare non poterant, et tamen salvandi erant. Multi homines ne legere quidem possunt. Pauci sunt, qui linguam hebraeam et graecam norunt, qua conscripti sunt sacri libri. Plurimi ergo fidere debent versionibus, de quarum authentia ipsi iudicare non possunt. Ita loco magisterii infallibilis, a Christo instituti, admittunt testes et normas fallibiles, quibus se ut ducibus committunt in negotio salutis.

d) Verba Scripturae saepe sunt obscura vel difficilia, et male intellecta grave periculum creare possunt (2 Petr 3, 16). Per multa saecula viri docti ad Scripturam elucidandam omnem operam impenderunt, nec tamen nunc usque omnes tenebras removere potuerunt. Quomodo igitur omnibus hominibus Scriptura potest esse unica norma credendi, quibus praesto non est scientia theologica, historica, philologica ad Scripturae studium necessaria, immo ne ingenium quidem neque otium?

e) Revera gravissimi textus Scripturae a protestantibus contrario modo exponuntur, sicut e. g. illa verba: «Hoc est corpus meum», incredibilem multitudinem expositionum inter se contradicentium habuerunt. Teste *Bellarmino* (De euchar. 1, 8) anno 1577 prodiit libellus, in quo ducentae expositiones horum verborum enumerantur. Ex doctrina de sufficientia Scripturae pullularunt tot sectae, inter se vehementer pugnantes, quarum quaevis veram interpretationem Scripturae sibi vindicat. Unde vanum est effugium dicentium singulis dari a Spiritu Sancto illuminationem ad Scripturam recte intellegendam. Spiritus Sanctus non est spiritus discordiae et infidelitatis. Inter eos autem, qui neglecta traditione et magisterio ecclesiastico solam Scripturam se sequi iactitant, maxima discordia praevalet, et infidelitas in dies crescit.

Itaque gratias Deo agere debemus, qui dedit nobis fontem et regulam fidei omnibus his defectibus, contradictionibus, periculis exemptam, magisterium apostolicum, semper vivum, ad quod omnibus patet accessus, a quo in rebus fidei et morum omnes, qui sincere volunt, infallibilem institutionem accipiunt, cui dictum est a Christo: «Qui recipit vos, me recipit; et qui me recipit, recipit eum, qui me misit» (Mt 10, 40).

401. ***Obi. I.*** SS. Patres saepe testantur S. Scripturam sufficere. Ergo ipsa traditione docetur sufficientia Scripturae.

Resp. SS. Patres docent S. Scripturam sufficere eo sensu, quo protestantes volunt, *neg. antec.;* alio sensu, *conc. antec.* Videlicet:

a) SS. Patres docent Scripturam canonicam sufficere, neque adeundos esse libros apocryphos. Ita *S. Cyrillus Hierosol.* in catech. quarta n. 33 35: «Studiose disce, et quidem ab ecclesia, qui sint Veteris Testamenti libri, qui vero Novi; neque mihi quidquam apocryphorum legas. . . . Eos solos studiose meditare, quos etiam in ecclesia cum fiducia legimus. Multo prudentiores et religiosiores te erant apostoli et veteres episcopi, ecclesiae rectores, qui eos tradiderunt. Tu ergo, filius ecclesiae cum sis, noli leges transgredi.»

b) SS. Patres docent Scripturam sufficere ad demonstrandos praecipuos illos articulos fidei qui in Symbolo sunt, quod catechumenis addiscendum erat. De Symbolo loquens ait *S. Cyrillus Hierosol.*: «Oportet circa divina et sancta fidei mysteria ne minimum quidem absque divinis Scripturis tradi nec temere probabilitatibus argumentisque in verborum artificio consistentibus abduci. . . . Haec enim fides non ex commentitia disputatione sed ex divinarum Scripturarum demonstratione vim habet» (Catech. 4, n. 17). Hic Scriptura non opponitur traditioni ecclesiasticae sed commentis philosophicis.

c) SS. Patres interdum docent Scripturam sufficere ad componendas varias disputationes cum iis haereticis, qui cum catholicis Scripturae auctoritatem agnoscunt. Ita *S. Augustinus,* disputans cum donatistis, ait: «Sunt certe libri dominici, quorum auctoritati utrique consentimus. . . . Ibi discutiamus causam nostram. . . . Auferantur ergo de medio, quae adversus nos invicem non ex canonicis libris sed aliunde recitamus» (De unit. eccl. n. 5 sq). Tantum vero abest, ut S. Augustinus solam Scripturam sine ecclesiae auctoritate regulam fidei statuat, ut dicat: «Ego vero evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas» (Contra epist. Manich. c. 5, n. 6). Plura apud *Franzelin,* De trad. thes. XIX.

402. *Obi. II.* Etiam inter catholicos sunt disputationes de rebus fidei, et multi ex catholicis a fide defecerunt. Ergo ex eo, quod inter protestantes sunt discordiae et multi fiunt infideles, nihil probatur contra regulam fidei, quam statuunt.

Resp. *Nego paritatem.* Nam catholici, quamdiu sequuntur suam regulam fidei, habent remedium certum discordantium opinionum, neque possunt a fide deficere. Protestantes vero, qui profitentur se solam Scripturam sequi, non habent aliud medium Scripturam interpretandi nisi subiectivas suas opiniones, et ideo necessario incidunt in oppositas doctrinas. Et per hunc subiectivismum via latissima aperitur dubitationi et infidelitati. Ergo quod catholici non possunt agere nisi contra sua principia, hoc protestantes agunt secundum sua principia; et ideo omnino consequenter plurimi ex iis omnem auctoritatem tam Scripturae quam traditionis respuunt, et suam quisque rationem subiectivam supremam religionis normam statuunt.

403. *Obi. III.* «Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus» (2 Tim 3, 16 sq). Ergo Scriptura per se solam sufficit.

Resp. *Conc. antec. Neg. conseq.,* quia nulla est consequentia. Nam ex eo, quod accurata Scripturae notitia sit episcopo utilis ad instruendos homines in omni opere bono, sane rationabiliter non colligitur nullum esse aliud medium ad hunc finem conferens, et multo minus colligitur Scripturam singulis esse datam ut unicam normam fidei et morum. Apostolus Timotheum monet: «Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti. . . . Bonum depositum custodi» (2 Tim 1, 13 sq). «Ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis» (1 Tim 3, 15).

INDEX ALPHABETICUS.

(Indicantur numeri marginales.)

A.

B.

C.

D.

E.

L.

M.

N.

O.